


ſu potæ, colorem album armentis conciliat, quemadmodum Clitumnus idem præſtat in Umbriâ.

Anien oritur in montibus Trebanorum, tresque lacus amœnitate nobiles in Tiberim defert, ubi à montibus Simpruinis deſcendit: ad Tibur ex altâ rupe, præcipite aquæ dejectu, qui cataractes apud Strabonem eſt, maximo cum fragore decidit in ſubjectam Convallem, inde per plana & fructuoſa loca fluit in Tiberim, Sabinos à Latinis dividens, potu gratus, aſpectu perjucundus. Tranſitum ejus quatuor jungunt pontes. Pauſanias tradit, Anienis aquas eâ eſſe naturâ, ut ad primum contactum gelidiſſimæ, mox paulatim caleſcere videantur. Auctor eſt Martialis, ebur ablutum Anienis aquâ, candorem accipere, ſimiliterque dentes humanos. Inter Anienis arenas leguntur amygdala, aniſum, fœniculum, aliaque in petram verſa, ut in Romanorum deliciis ſint, ludantque arripientes, qui putant, ſe dulciaria tragemata arripere. Superioribus annis Corporis cadaver humani cæſum, & in flumen Anienem projectum,

arboris radici adhærens, in lapidem conversum est, & à putrefactione alienum, uti Titus Celsus, Patritius Romanus à se visum affirmat. Detraxit juxta fluvium hunc memorabili victoriâ Gallo provocatori cæso torquem aureum Torquatus, cognomen inde sortitus. Delicatissimus omnium audit à Plinio.

Silari naturam esse tradunt classici authores, ut in eum immersa folia virgultaque lapidescant, nec tamen immutato colore vel formâ, quanquam aliàs ejus aquæ salubris sit potus.

Acheron est fluvius, ad cujus ripam Pandosia urbs, in cujus agro funestam fatali casu accepit cladem Alexander Epirotarum rex, Apollinis Oraculo præmonitus, ut Acherusiam aquam, utque Pandosiam vitaret; ratus, non alium esse Acherontem, non aliam, quàm in Epiro Pandosiam.

Padi pater mons Vesus, seu Vesulus, in finibus Ligurum Gabienorum, profluit ex fonte, nulli amnium claritate inferior, per angustas confragosasque rupes, & artas scopulosi montis convalles; tantâque vi

pro-

prorumpit, ut summam habeat admirationem. In Saxa hinc delabens, fragore strepituque maximo resonat. Mox in planiciem effusus aquæ copia, quæ versandæ molæ frumentariæ sufficit, temerè lateq; non ullo certo alveo decurrit, spatio trium ferè milliarium, usque ad Paisanam; ubi quasi cuniculis ita absorbetur, ad Paracolum, unde pergens aquulas, torrentes, amnesque ab Alpibus & Apenninis montibus varios colligit, quibus tandem mirum in modum auctus altusque, mediam Langbardiam, & Romanulæ partem permeans, in Hadriaticum se exonerat mare septem ostiis prægrandibus. Augent ipsum vehementer, præter ipsa flumina, liquatæ nives, idq; circa Canis ortum, inquit Sabellicus, nec, cùm maximè intumuit, tam navigiis est infestus, quàm agris: quò fit, ut perpetuo accolarum labore, utrinque coerceatur aggeribus: in eo satis vicinis campis æquus, quòd nihil ex rapto sibi vindicat. Dicitur Fluviorum rex Eridanus, non Nilo, non Istro minor.

Sontius fontem habet in Alpibus juxta

Japidiam, quæ nunc Carnia, vel Carniola: primùm per præcipites rupes vallesq; confragosas in occasum Solis hybernum, tanto cum impetu & violentiâ provolvitur, ut ad 120. penè stadium nec pedibus, nec jumento transitum patiatur: Dein crescens perpetuò stadia ferè 60. per Vallem Plitianam conficit, pòst eodem amplius spatio per asperrimas fauces ad Caporetum defertur, ubi pons eximius arcu uno, pedum 60. transitum jungit: hinc vallem Caporetinam 80. paulò minus stadiorum emetitur, multò lenior, adeò ut ubique transmittere commodè liceat. Porrò circa finem hujus longissimæ convallis apud Tulminam amnem excipit Tulminam, eoque non procul alium, ex angustis faucibus prorumpentem Hydram, insignem fluvium, ubi argenti vivi metalla sunt: deinceps 80. ferè stadiis per vallem Sontii, quam vocant Roncinam, labitur ad pontem trium arcuum: hinc per artas valles, è regione Goritiæ, ubi pons tribus pilis lapideis innixus, lenis 40. paulò amplius stadia defluit, usque dum amnem Vipavum colligat, ex Alpibus per fini-

finitimam Goritiæ vallem accedentem, quo recepto navigabilis efficitur uſque ad mare, ſtadiis 140.

Bætis in Hiſpaniâ oritur propè Caſtaonem, ex Oroſpeda monte: à fonte in occaſum vergit Cordubam, & alia oppida præterlapſus, ad Hiſpalim, illius oræ caput; in Auſtrum declinat, & oſtio ſatis amplo, unius ſcilicet leucæ, ſed quod vadoſius, haud procul Gadibus, in Atlanticum mare ſe exonerat, Alveus, qui Nebriſſam & Aſtam præterfluebat, oblimatus eſt, ſic tamen, ut illius veſtigia hodie viſantur, cum æſtuariis atque Diorygibus manu factis, ad exportandas ſcaphis lintribusque fruges ex agris in vicinas urbes. Cùm ſpatioſum ſit oſtium, languidior & minore cum impetu Oceanum ingreditur, adeò ut metus ſit, ne aliquando non obturetur quidem nobiliſſimus portus, ſed difficiliorem præbeat grandioribus navigiis adſcenſum. Straboni & Pauſaniæ dicitur Tarteſſus, quæ urbs mari hauſta eſt.

Turius, nunc Guadalabiar, quaſi pura & limpida aqua, habet amæniſſimas ripas,

rosis semper varioque florum genere coronatas: vestitur utrimque nemoribus à fonte, qui in Aragoniâ, ad ostia usque, adspectu pulcherrimo gratissimoque: ubi vitex, platanus, pinus, aliæque nunquam carentes fronde arbores.

In Sæpusio Poloniæ rivus est ex arduis montibus profluens, cujus guttæ in lapideam duritiem concrescant, ita ut ex eâ sponte existant fulcra sustentantia canales, quibus rivus ad molendina divertitur, apud Matt. Cram.

Septentrionalium rerum scriptores memorant, juxta littora Ostrogothorum torrentem esse, qui alluat Horcopiam urbem, cujus in alveo omnium rerum formæ comperiantur Saxeæ, perinde ac arte confectæ: aliis enim est humani corporis forma, manuum, pedum, digitorum, quæ sparsim confuso ordine per alveum projecta visantur.

Aristoteles ait: sunt aquæ in multis locis, quas cùm oves biberint, moxque inierint nigros generent agnos, ut in terrâ Assiride agri Chalcidici Thraciæ facit amnis, quem præ nimiâ frigiditate Psychrum vocant.

cant. Et in Antandriâ quoque duo sunt fluvii, quorum alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit : Scamander etiam amnis flavas reddere oves creditur.

Et Isidorus, in Thessaliâ duo sunt flumina ; ex uno bibentes oves nigræ fiunt, ex altero albæ, ex utroq; variæ.

Unicum præ omnibus totius orbis admirabilem Europa habet : Dividua in Moscovia in Oceanum influit, & nivibus liquatis adeò quandoque patet, ut navigio, quamvis celeri cursu, totâ die trajici non possit : ait Jovius Strabo : Pisæ sitæ sunt in medio amnium Arni & Æsaris, quà illi concurrunt ; alter ab Aretio copiosus descendens; sed in tres divisus alveos, alter ab Apennino; & ubi confluunt, alter alterius violento incursu ita se invicem attollunt, ut qui utrinque in ripâ stant, alius alium videre non possit : itaque eò subvectionem à mari necesse est difficilem fieri, quæ est stadiorum circiter viginti. Fertur fabula, quo tempore primùm illi amnes fuerint è montibus delati, incolis obsistentibus, ne in unum confluentes alveum, diluvio agros vastarent ; pollici-

tos fuisse amnes, se eluvionem non facturos; ac stetisse promissis. hæc Strabo. Sed quæ tanta comitas in amnibus, ubi fratrum quoque gratia rara est! Quæ passim portentosa apud Plinium & alios de fluminibus referunt, non lubet huc illinere.

Solinus scribit, Tigridem fluere in Arethusam lacum, magnisque ac sapidis piscibus abundare: aquas autem tum fluminis, tum lacus, adeò naturâ invicem repugnare, ut non misceatur, nec lacus pisces in fluvium, nec amnici in lacum pertranseant. Nam Tigris, Tauro monte resistente, in profundam specum mergitur, quem subterlabens, in altero ejus latere apud Zoroanda emicat, vluas & purgamenta plurima secum trahens; deinde identidem absconditur, rursusque redditur.

Quin & Danubius aliquando sese terris condit, & diu subterlabens, tandem evomitur, & in Savam defluit, Saxoni Grammatico.

Ana flumen, Bæticam à Lusitaniâ disterminans, post longum excursum conditur,

ditur, ac tandem post stadia sexagintaquatuor redditur, velut ibi exoriens, Emeritamq; urbem alluit, Marco Arebo.

De Alphæo flumine tradit Pausanias, occultis meatibus subterlabi usque in Siciliam, in Arethusam fontem, ibiq; desinere: addit Plinius, si quid jactum fuerit in Alphæum, hoc in Siciliâ redditur in Arethusâ: nam per Olympium fluens alphæus Peloponnesiaco littori infunditur, & in Arethusam pervenit. Poëtarum commentis hoc non dispar, & Straboni minimò creditum: sed Nazianzenus labascentem fulcit fidem: Alphæus fluvius, qui ex Arcadiâ Peloponnensi ad amarum Arethusæ fontem in Siciliam per aquas marinas ingreditur, nec propterea ex ejus dulcedine quidquam, mari sese commiscendo, amittit.

Hinc facilior assensus de Virgine aquâ, quæ Herculeo rivo non miscetur, quanquam juxta sit, sed cùm illa refugiat, dicitur Virgo apud Plinium.

Portenti instar, duos in Macedoniâ fluvios, non procul ab Euripidis sepulcro, simul rectà confluere, & nihil sibi invicem

communicare, ſed ſuâ naturâ uterque retentâ, alter ſaluberrimum præbet potum; alter mortiferum.

Lyceſius, Thraciæ fluvius, dicitur Bocatio potus inebriare: & quiſquis minus moderatè bibat Lynceum, titubare, ac ſi vino ſe nimio ingurgitarit.

In Cephalonia inſulâ amnis eſt, cujus circa alterum latus cicadarum copia eſt; ultra alterum latus, nullæ omninò, referente Ariſtotele.

Mæander tantâ vi eſt præditus, quanquam non ingens fluvius, ut maritima littora ipſe valeat immutare; impotens potentiſſimum exiguis viribus devincit. Ex ipſo enim tantum lutum fluit, ut in littus illatum aggeſtu, introrſus in mare pertrahatur, littoraque ipſa etiam introrſus protendantur: unde factum eſt, ut Pryene, quæ olim littori adjacebat, in mediterraneis à littore & hodie diſtet ſtadiis pluribus, adeòq; Strabonis tēpore jam 40. ſtadiis. Eadem ratio Nili, limū protrudentis ad extremum littus: ſed prorſus diſpar Venetiarum; ſi mare per alluvionem fecerit continentem.

Cæſar

Cæsar ait, Ararim tantâ lenitate fluere, ut oculis, utram in partem fluat, judicari non possit: fluit tamen in Rodanum.

Beca fluvius Livoniæ, ruit præcipiti lapsu è scopulis in Oceanum, tantumq; sonitum emittit, ac fragorem, ut sensim homines reddat surdos, apud Ortelium.

CAP. XXVIII.

FONTES.

IN Peking, sub Chinting, efformatur lacus exiguus, è duobus fontibus, quorũ unus, cùm vicinissimi sint, frigidissimus, alter calidissimus.

In Gailo sive Ganlo monte, ad Jungchang, lapis est, nasi humani figuram repræsentans: ex naribus fontes bini profluunt, calidus alter, alter frigidus.

In Xantung, sub urbe Tengcheu, est fons Hanuen, naturæ prodigium, ex quo simul calida & frigida emanat, unde fonti nomen.

In Xensi, ad Linchang civitatem, in monte Limon, fons est cristallo similis,

cujus aqua vix quatuor cubitis altior: sed superior illius pars est frigidissima, at in fundo adeò calet, ut nemo pedes ad fontem continere possit.

In Quangsi, sub Queichin, prope Hingan puteus est, cujus, aqua, mediâ ex parte turbida; altera pellucens ac cristallina: quæ partes licet inter se misceantur, volvanturque, pristinam tamen divisionem coloremque continuò recuperant.

In Queicheu, sub Tungpin, ad Pingten, fons est, qui per idem osculum emittit aquam duplicem, claram limpidamque; & turbidam ac obscuram. Ubi scaturiginem aqua deseruit, quasi una dedignata alteram, in contrarias abeunt partes. E clariori hauriunt aquam potui ex oryzâ præstantissimâ conficiendo.

Sub Jungping fons est, in quo facilè ova vis excoquere.

Fontes calidi ebullientesque quamplurimi sunt a Hiaoy, Puteolos Italiæ quodammodo repræsentantes. Quòd si Sinæ harum rerum aut studiosi magis aut curiosi forent, facilè eosdem ex hisce effectus nancisci possent: Sunt enim ex iis,

qui

qui ſaporem varium ac colorem habeant.

Ad Hiaoy mons eſt Caotung, in quo thermæ ac calidi fontes plurimi.

In Huquang ſub Hoangcheu, in Sucung monte, fons eſt aquæ calidiſſimæ.

Ad Ju civitatem ſub Hanan urbe fons eſt aquæ calidiſſimæ, inde Ven dictus.

In Xanſi ignei ſunt putei, non ſecus atque aquei per Europam, adeoq; paſſim, qui magno compendio & ſumtuum parſimoniâ ad cibos coquendos adhibentur. Putei os ita clauditur, ut foramina aliqua parva, ad cacabum, quæ eum capere poſſint, relinquantur: atque ita nullo penè labore cibos ibi coquere conſueverunt incolæ. Narrãt hunc ignem quandoq; craſſum eſſe, nec admodum lucentem aut diaphanum: calidus quidem eſt, ſed ligna injecta minimè comburit. Quin & in cannarum majorum tubis collectus facilè circumfertur, ut, cùm lubet, ad coquendum, eo uti quis poſſit, aperto in cannâ foramine, quo erumpens ignis res leviores facilè elixat, donec expiraverit: miro naturæ arcano, ſi fidei bonæ litârunt Sinæ, qui

tamen non facilè comperti sunt fallere in istiusmodi.

Sub Juencheu, ex monte Nang, emanat fons, cujus aqua toto anno ita frigida est, ut nemo illam bibere possit, nisi prius aliquanto tempore Soli fuerit exposita.

Chenning habet fontem Caici, frigidissimæ aquæ, licet circumvicina terra tota ab igne subterraneo calescat.

In Xensi, ad Jengan urbem, manat in montibus liquor ille bituminosus, quem vulgò *Petroleum* vocant, quemque ad lucernas; & curandam scabiem illîc adhibent.

Ad Hoaiking in Hanan, olim mons Tai, ingenti boatu emisso, disruptus, cavernam aperuit trecentarum perticarum, ex quâ aqua emanat bituminosa, crassa ac pinguis, quæ in multis est olei vice, saporis non ingrati.

In Suchuen, sub Chingtu metropoli, ad Nuikyang, est aquæ fons, qui modò ascendit, modò descendit; æstusque marini horas, adeo procul à mari, eum sequi observatum est.

In Fokien, sub Hinghoa, in vertice mō-

tis

tis Hucung, puteus est, cujus aqua æstum marinum suo accessu & recessu refert.

Ad Jungchang est mons Gailo, seu Ganlo, in quo puteus profundissimus, ex quo anni fertilis futuri, aut sterilis augurium desumunt incolæ; idque verno tempore, notato illius aquæ ascensu atq; altitudine, & descensu seu demissione.

Sub Xunking est fons, Tieju, lacteus ob suavitatem aquæ dictus.

Ad Vuting est fons Hiangxui, aquæ odoriferæ, maximè in vere: quo tempore incolæ, ob rei insolentiam sacra fonti faciunt, & aquam vino illo suo ex oryzâ mixtam ebibunt: voluntq; aquam hanc multis morbis mederi.

Sub Hanan, ad metropolim est fons Ping pulcherrimus, cui lapideum adstruxêre pegma, ut fatius spectari à curiosis possit.

Sub Nanking; ad Changcheu est fons Hoei, qui secundum locum præstantissimæ aquæ præbet, hac de causâ etiam à Magnatibus ubique expetitus: & cùm plurimæ naves illâc transeant, vix ulla est, quæ jam in vasis paratam, vilissimo non e-

mat pretio, quamvis, si tantum ibi morari libeat, cuivis, quantum lubet haurire liceat. ad provincias maximè remotas devehitur, imò in ipsam Regiam Peking usq; : eam enim pro potu Cha conficiendo maximè rentur aptam, in quem usum eandem coëmere solent.

In Huquang, sub Hoangcheu, est fons Loyu, qui civitatem Kinxui facit celebrē: nam pro potu Cha conficiendo tertium præstantiæ obtinet locum.

In Junnan est mons Xang, in quo fons frigidissimus, qui tamen paralyticis mirè prodest.

In Quangnan, prope civitatem Fu, est torrens Nanmo, qui semper fluit aquâ calidâ, pro balneis laudatâ, & multis morbis mederi creditâ.

Ad Cioking datur fons aquæ calidæ, quo asthmatici, & obstructionis morbis laborantes lavantur, & facilè sanantur.

Ad Xaoun in monte Cietai, fons est multis morbis salutaris,

Sub Lingan urbe, prope Tunghei, in monte Sieu, fontem esse scribunt, cujus aqua sæpius epota carnem albam reddat,

ac ad pinguedinem augendam gracilioribus mirè conferat.

Sub Xunte est mons Tang, id est, balneum, cavernosus, qui emittit aquam calidam, & abstergit scabiem.

Prope Chelo , in monte Manglo est fons aquæ lethiferæ: ex quo si vel tantillum homines aut animalia hauserint, continuò interire solent.

Yaogan habet haud procul ingentem puteum salsum , ex cujus aquâ fit sal candidissimus, quo tota utitur regio. Inventionem putei tribuunt ovibus , quæ terram lambebant & exculpebant.

Ad Penxui est Fonien mons , in quo quamplurimi salis putei ; sic & sub urbe Queicheu, in horridis montibus. Hengman , habet triginta octo fontes aquarum : Nanmin novem puteos salis.

Ad Yangcheu Salinæ sunt frequentissimæ, in quibus sal eodem modo omninò conficitur, uti in Europæis locis ex aquâ marinâ.

In Kiangsi, ad Nankang est fons Lien, cujus aqua , velut pannum ex argenteis filis contextum , lapsu suo refert , &
exin-

exinde triginta efformat rivulos: ejus aqua censetur præstantissima.

Ad Sintien, ex monte Çaimiao decidit aqua, quæ ad Solis repercussionem efformat iridem continuam.

Sub Jaochen est mons Xehung, prope Yukan, lapidea Iris dicta, quòd aqua ex illo decidens, iridem continuam adspectantibus præbeat.

Ad Europam conversi, mira itidem proponimus: Plinius refert, fontem in Gadibus esse inclusum ad putei modum; qui cum Oceano augeatur & minuatur, adeoque oceani motibus consentiat. Et in Hiberniæ regione Connachiâ æstuat mare bis quotidie, & quiescit bis: fons ibidem in montis excelso vertice, illius maris æstum quotidie imitatur. Sed Strabo nobis monstrat fontem in Gadibus, in quem paucis gradibus descendatur, potabilis quidem aquæ, at contrariæ marinis fluctibus naturæ, quandoquidem fluctibus augescentibus fontis minuerentur aquæ; & deficientibus augesserent.

Per Hispaniam fontes sunt innumerabiles; ager solus Xericii in territorio Pacis

cis Augustæ, fontes habet sesquimille. Prope Oriense oppidum fons est nomine Burga, in altum scaturiens, itaque fervens, ut in eo & ova coquantur, & sues immersi facilè depilentur. Hîc sese nobis sponte ingerunt fontes Mattiaci, & Plinio & Tacito noti, in agro Nassavico, quem Wisbadenum nominant, uno ferè milliari à Rheno distantem dextro; infra Moguntiam; haud longè post Mattium oppidum, inter Vispos seu Usipetes fuit: unde Visipet in Wisbad conversum. Uti Argentina cum exercitu Suevis; & Colonia Agrippina Ubiis Belgisque fuit opposita, sic Moguntia Cattis, Mattiacis & Vispis. In istis finibus cadit Drusus Tiberii Neronis & Liviæ filius, frater Tiberii Imperatoris, pater Claudii Imperatoris, cujus Cenotaphium ad Moguntiam, specie glandis, & statua ad introitum telonii, ita in lapide inscribitur *Drusus Germanicus.*

Fontes Vispii calent & fervent naturaliter, ad salutem corporis humani: & ultra viginti balneis scaturiunt in Domiciliis civium, qui superiorem oppidi partem habi-

habitant, & hoſpitibus vacant. Sua ibi balnea pauperibus, ſua leproſis, ſua domicellis, ſua reipublicæ: ſed fervor alicubi remiſſior, temperatior ex mineralibus, & intenſiſſimus, ubi ſulphur dominatur: In balnea plerumque quadrati muri, deſcenditur aliquot gradibus, profluit aqua pro voto incaleſcens; Sunt curatores thermarum ad munditiem. Aeris temperiem arguere videntur terrâ naſcentia & coloris & ætatis integræ: bona conſtitutio valetudinis apud ſenes & pueros: & ſana pecoris viſcera: quibus non nemo addit vinetorum præſtantiam. Nemini tamen peregrino hic tractus, ob exhalationes ſulphureas, ſolumque tepens valdè arriſerit. Subdio eſt fons quadrato incluſus muro, ubi ſcaturigines ferventiſſimam ebulliunt. Præſcribitur & hauſtus calidæ. Morborum hîc varia cura, medicorum pericula, ægrotorum ſuſpiria.

Trans montem vicinum itur Sualbacum, quod differentiæ causâ dicitur Longum, in Cattis, ubi acidulæ frequentantur benigniſſimæ, ſaporis adeò acuti, ut vinum à muſto deſciſcens videantur, & vel

inde

inde fons vini dictæ ; ætatem celebres: ventriculum adeò detergent , ut latrantem, vellicantemve experiantur bibones quovis tempore : hinc operæ jubentur haurire acidulas in medio pago languidiores, ne avidius tuburcinent & celerius digerant. Fons Optimus in radice præcipitis montis, ſcaturit geminus uno paſſu diſcretus, ad pratum anguſtiſſimæ vallis : aqua manè pota, & quidem ab æſtuante, cerebrum tentat, linguam mordicat, inſtar vini deferventis , ſed languidioris: perfricat palatum, mundat dentes, expurgat renes & veſicam, educit humores vitioſos, ſed quibus viſcera non integra, nocet, conſtringit utique & arrodit. Uſus creditur maturior in confinio Maij & Junij, maximè conducere valetudini, antequam vires corporis æſtivis ſolibus debilitentur.

De acidulis iſtiusmodi in hoc tractu variis, etiam nimium ſalſis alicubi, uſque ad Aquisgranum, balneis etiam clarum, eorumque uſu & præſtantiâ viderint Medici, videris Medicos. Hoc tamen addendum, wisbadæ in muro, quem pagano-

rum

rum vocant, legi inſcriptiones Jovi & Junoni, tum Mercurio Nundinatori: & Sualbaci extare in Pagi parte inferiore puteum, in horto, crate ligneâ cõtectum, ne quis imprudens, aut etiam pecus ibidem diſpereat: is & friget, & bullit, uti ahenum fervidum, nullas tamen eructat aquas, incompertæ profunditatis: ſed paralyticis prodeſt ex foco balneantibus ſub tecto. Per vallem inferiorem nullæ acidulæ, uti per ſuperiorem aliquæ, ſed minus benignæ. Germania hinc inde, imò univerſa Europa ſcaturigines minerales ſubinde præbet.

In oppido Luſitaniæ Villa nova fons & oritur & occidit: oritur Calendis Maij, & aquas uſque ad Calendas Novembris abundè affundit: poſtea occultatur per totam hyemem, donec ad ſtatutum renaſcatur tempus, idque ſingulis annis compertum. Octoleucis à Conimbricâ eſt fons Ferventia, quicquid admotum abſorbens. Cujus rei periculum fieri vidit Henricus Cardinalis & princeps, coram Johanne Rege Luſitaniæ, & cæteris fratribus regiis, cùm in arborum truncis & ramis,

ramis, tum in jumento, quod fonti ad motum, pede paulatim abſorberi ceptum, ægrè tandem à famulis extractum refert Valæus. Affirmat Plinius, alterum juxta fluere, qui omnia reſpuat: is hodie ſi extat, ignoratur. Supra Burgenſem civitatem, ad paſſuum millia circiter viginti ad Orientem, pagus eſt *Boëtius*, ſub altiſſimâ rupe, ex qua fonticulus effluēs in planiciem, ad pagum deſcendit, duosque in lacus ingreſſus, tantam iis virtutem vimq; ſalubritatis infundit, ut quicunque fluxum ſanguinis patiuntur, hac aqua loti è veſtigio liberentur.

In Bæticâ provinciâ, juxta oppidum *Antiquera* fons potus calculos diſſolvit, à petra, quam per urinam extrahit, denominatus. In Cantabrica fontes Tamaricos tres deſcribit Plinius, qui ſingulis ſiccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra ſuſpicionem ullam aquæ, cùm ſit vicinus illis fons, ſine intermiſſione largus.

In Narbonnenſi provincia fontem eſſe ſcribit Plinius, qui *Orge* vulgò; in eo herbas naſci tantoperè expetitas bubus, ut

ut merſis capitibus totis eas quæritent. Item, Tungri, Galliæ civitas, fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis, quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur, purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumq; vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ac poſtremò rubeſcit.

In Delphinatu, haud procul Gratianopoli fons eſt admirandus, qui absque intermiſſione flammas evomit, iisque, quicquid admovetur, correptũ ſtatim conſumit. Similis eſt in Epiro, de quo Auguſtinus de Civit. Dei. Haud procul Encolismenſium civitate ſcaturigo, vel abyſſus potius monſtratur admiranda, vulgò *Touure*, quæ Charentam (Canentelum) fluvium latitudine ſuperat. Fundus nondum repertus, nec origo, unde fonti tanta aquarum copia.

Ad urbem Limaniæ Claromontium Fluvius vulgò *Tiretaine* pontem habet, cujus lapides ex aqua fontis proximi mirum quantum induruerint: fons, qui aquam hanc provomit, trecentorum paſſuum intervallo à fluvio diſtat, eumque verſus labens,

bens, lapideam hanc induit & nanciſcitur duritiem & firmitatem, ut pars etiam inde fuerit conſtructus, triginta longus ulnas, ſex craſſus, octo latus. Illud etiam fidem videtur ſuperare, fontis aquam in pratis, per quæ pontem verſus ſe præcipitat, lapideſcere. ponti nomen idem cum aqua, Saulſe.

Ibidem ex colle quodam bitumen valde nigrum tenaxque, quo Incolæ oves ſignant, fontis inſtar fluit: Indicium indubiè territorii pinguis, inque intimis terræ viſcentibus latere metalla, liquorem bituminoſum extrudentia. Bitumen quidem guttatim promanat, ſed copiam adfert continuitas: hyberno tempore frigus impedit, quò minus diſſolvatur & fluat.

Haud procul à monte *de Coſne* locus eſt *Cherron*, ubi fons, maximis æſtatis caloribus congelari contra naturam ſolitus, hybernis menſibus liqueſcit, tantumq; recuperat calorem, ut fumos & exhalationes, inſtar fornacis, emittat.

In Aquitania Auſtrali quarta leuca ab aquis Tarbellicis, Aquis, antrum eſt, *la Grotteſque*, in quo tres Tymbi, qui per ſe

aquæ ad plenilunium implentur; decrescente verò Luna, ne aquæ quidem guttam retinent. In Andegavensi regione, haud procul Samuro, in pago *Varao* rivulus & fluit & stagnat bis de die.

Danum in Burgundiâ evomit ex sinuoso recessu mons arduus, *Syrodo* grandi & celeberrimo pago incumbens. nam inferius videtur antrum profundi præcipitii, in quo fons imperscrutabilis profunditatis, latitudine ferè quatuor passuum. Hinc rupes horrendæ imminent, quæ contemplantibus horrorem planè incutiunt, ac per gurgitem altissimum tanta aquarum copia ebullit, ut statim in ipso ortu flumen navigiorum, si ob rupes & saxa, per quæ devolvitur, liceret, satis capax esset.

Apud Etruscos, ad pedem montis Rufoli fons nitidus exilit aquæ dulcis, in qua nullo unquam tempore quidquam impuri cernitur, tantæ levitatis, ut ad trutinam cum cæteris hujus situs examinata aquis, cunctis pondere cedat.

Anagniæ, Latii oppido propinquus fons est Tofanus, hyeme, Celano lacu gla-

glacie constricto siccus; autumno, vere ac æstate redundans.

Prope Linternum in Campania acidulus est fons, cujus aquæ, vini modo, faciunt temulentos: quod Valerius Maximus de aqua agri Caleni in Campania idem refert.

In Etruria prope Libbianum fons est, qui singulariter dicitur *Aqua*, acidus, acutique saporis & mordacis, adeò ut nullum eum gestet animal.

Haud procul à Lecia quibusdam in locis aquæ tanto strepitu, tantaq; violentia ebulliunt, ut altitudine pedum decem exiliant, nec minore cum sanitu rursum cadant: tanti præterea fervoris, ut injecti animalis vivi ossa extemplò carne nudata rursum emergant.

In Campania quondam fuerunt innumeræ aquæ, quæ salutarem adferre medicinam solent corporibus adfectis, quarum multas cùm variis hîc ibi terræ motibus haustas esse, tum Tripergulana conflagratione, quæ in annum C. 1536. incidit, interiisse constat: visuntur tamen cir-

ca Bajas, locisque Averno vicinis adhuc magna copia.

De Bajanis universim Plinius: aquæ nusquam largius, quàm in Bajano Sinu, nec pluribus auxiliandi generibus; aliæ Sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ acida salsaq; mixtura. Vapore quoque ipso aliquæ prosunt, tantaque eis est vis, ut balneas calefaciant, ac frigidam etiam in soliis fervere cogant, quæ in Bajano Posidianæ vocantur, nomine accepto à Cai Cæsaris liberto: obsonia quoque percoquunt. Vaporant & in mari ipso, quæ Licinii Crassi fuêre, mediosq; inter fluctus existit aliquid valetudini salutare.

Prope Baias ad oram lucus monstratur, ubi quondam splendida fuerunt ædificia: balnea bajana vocant accolæ, Medici verò Silviana, in ripam non nihil excavata. Juxta eadem, in orâ littoris ampla domus ad rupis pedem in saxum excisa conspicitur, ubi *balneum Trituli* medicis, vulgo Ciceronianum, quod in villâ Ciceronis, quam Accademiæ nomine fecit celebrē, putetur extare. Satis constat, Cicerone

vivo

vivo fontes hos nondum fuisse apertos: nam post ejus excessum C. Antistio Vetere villam possidente primùm erupisse, carmineque Tullii Laureæ, quem Cicero habuit libertum, celebratos, Plinius est author.

Quo tua Romanæ vindex clarissime linguæ,
Silva loco melius surgere jussa viret;
Atq; Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hîc etiam apparent Lymphæ, non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant:
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur, aquæ.

locus elegantiam habet summam; Crypta est admirabili artificio in saxum excavata, ubi & imagines erant, manus ad affecta corporis loca tenentes, quibus aquæ facultas auxiliabatur; nunc majore ex parte disjecta sunt omnia, nobilissimorum tamen colorum, quibus ædificium fuit de-

 pictum,

pictum , indicia etiam nunc superſunt. Fons interdiu ſemel, ecitem noctu, cum occaſu exortuq; Lunæ, calidam ac fumantem aquam in balnei lacum emittit: quo repleto, pars in mare quodam rivulo defluit; pars ad fontem revertitur. Ulterius ad dextram vergenti Aqua puriſſima, ſed penè fervens, & tactu vix innoxia offertur, quam plerique credunt in balneum Ciceronianum, vel Tritulenum viis occultis diffluere.

Ad littus, juxta templum D. Mariæ eſt *balneum olei Petrolei*, quòd is liquor cum ejus aquis conjunctus eſſe tàm aſpectu, quàm odoratu percipiatur.

Sunt & aliæ quamplurimæ aquæ: Tacitus: Tigillinus, accepto apud *aquas Veſuvianas* neceſſitatis nuntio, inter ſtupra Concubinarum & oſcula, & deformes mores, ſectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu fero & inhoneſto. Et alibi: In tantâ mole curarum Claudius valetudine adverſa corripitur, refovendiſq; viribus mollicie cæli, & ſalubritate aquarum Sinueſſam pergit.

Non procul Leciâ aquæ ſunt; quarum virtus,

virtus, ut salitæ & affatim potæ, moxq; vel ore vel alio naturæ abscessu redditæ, mirabilem in modum corpora malis plurimis emundent: sterilitatem quoque mulieribus auferunt fæcunditate repositâ.

Ad montem Ulimentum, prope Febianum vicum, fons est aquæ dulcis, potu ubertatem lactis intermissum nutricibus restituens. In silvis Antiis fons exiguus scatet inter ingentes ædificiorum ruinas, ubi aviculas duas, iis aquis gustatis, repentè jacuisse mortuas, refert Leander ocularis testis.

In Umbria, haud procul Narniâ, multæ fontium ostenduntur scatebræ, quarum nonnullæ anno (1507. repertæ, quarum aquas infirmi qui potâssent, morbis malisque omnibus liberabantur; unde mox maximo concursu ægri omnibus ex partibus huc confluere ceperunt, quibus hausti fontis latices salutem impertiebantur. Hac de causâ cum Narnienses advenarum hospitio tabernas aquæ adjicere decrevissent, effodiendis novo operi fundamentis vetera ædificiorum sunt inventa,

ta, quo constitit, etiam olim hunc in pretio fontem fuisse.

In Longbardiâ Cispadanâ mons est, Apennini portio, Zibuis, supra quem ex saxo latex prorumpit, olei cum aqua mixti specie, vulneribus mirificè conferens.

Apanus, juxta montes Eugoneos, prope vicum cognominem, multis scaturit locis, sed quinque maximè nobilibus: 1. ad radices montis Ortonis, fonte exiguo: 2. ad pedes Montagnoni, ubi balnea amplissima, vivis lapidibus à Theodorico Ostrogotho extructa, post exustionem Attilanam: 3. inter utrumque, humili clivo, in medio agro, ubi Crater vivo saxo sub Dio extat, aqua fervidissima perpetuo Canale duas molas farinarias versante: 4. prope Bataleam, ubi fons à S. Helenâ denominatus è saxo scaturit: 5. ad D. Bartholomæi ædem, ubi limus sive lutum medicatum artuum doloribus efficacissimum, eruitur. Celebrant Aponi fontes, Martialis, Claudianus, Suetonius. Extat epistola Theodorici regis ad Aloysium architectum Patavinum, de reparandis Aponi balneis elegantissima apud Cassio-

do-

dorum. Inter reliqua & illud, Furto ablatam pecudem, fonti immersam, prius decoqui, quàm pilos amittere. Ad Aponi fontem divinationes exercere solitos veteres ex Suetonio notum; qui C. Cornelium Augurem Patavinum, jactis in Aponi fontem talis aureis cùm summum numerum ostendissent, imperium Tiberio prædixisse testatur. Jacobus Dordus Medicus idemq; horologii Patavini artificiosissimi inventor, ex aquarum Aponi mille libris salis candidissimi libram effici, absq; majore coctione, publicè docuit anno 1340.

Redimus in Germaniam, ne silentio prætereamus aquas Saxoniæ Hornhusunas, nuperrimè per turbas bellicas valdè frequentatas & laudatas: protrupêre & tales per Wetteraviam; In Westriæ ducatu Bipontino, ad radices Cænobii obsoleti, quod à Wernero, Pirmanni discipulo, restauratoreq; disciplinæ Benedictinæ nomen habet, ubi mons desinit in pratum, vallis, sive recessus vix quinquaginta passuum in montem assurgit, unde circa annum vicesimum hujus seculi scaturigo ef-

fudit aquam ſuavem potu & omninò innoxiam, ſed acidiorem linguæ relinquens ſaporem ferrugineum: protrudebat ſubinde materiam, ſpermati ranarum non abſimilem, luteam, palmarem, levidenſem, quæ ulceribus & diræ ſcabiei, puſtulis venenatis, tum ſerpenti ſalſedini medebatur. Aqua hauſta & cibis addita, tum in balnea verſa mirè proficiebat ægrotis; oculorum præſens auxilium & lippientium & caligantium. Cùm Princeps laudatiſſimus territorii averet ſectum addere lapidem, ut commodius hauriretur, & ipſo aſpectu ornatiore invitaret, dedignata faſtum, ſuis opibus magnifica, ſecundum lapidem ſectum prodiit, impatiens cameræ.

Ad Mœnum circa Francofurtum eſt *puteus putris*, fætet enim, inſtar ovorum putrium; ut horrorem & nauſeam pariat: laudatus tamen à medicis, quòd innoxiè ingurgitetur per omnes morbos æſtuantes. Accolæ fabulantur, puteum turbari, ſi quis accedat eo anno moriturus: cæterum in paludoſo loco, ad ſilvam cæduam, aquas præbet limpidiſſimas, ſi quiſquam alius. Intra ipſam urbem puteus eſt ejuſ-

dem

dem penè ſaporis, in ædibus privatis, ad cloacam, ab eâ tamen puriſſimus, eò quod nuper minus profundus, & tinctoris cereviſiariive uſibus parcior, fodi cepit, & deprimi. Operæ ubi ſaxum ſiliceum ſiderunt, ſcaturigini latenti viam reclusêre, ut tantâ prorueret vi, quæ operis memoriam inſtrumentorum ademit, neceſſitatem ſalutis impoſuit: itaq; abundat poſterius.

In eodem agro eſt fons Hermanni in hortulanorum campo, ferruginei itidem ſaporis, qui & à jejunis & à febricitantibus & ab ægrotis hauritur benignè. Ad marginem Mœni eſt puteus ſcabiei, ingrati coloris, quod ſuperficies referat ſquamas contiguas puſtularum: medetur tamen ſcabiei.

Per viciniam, ad milliare unum atque alterum in hemicydo fontes ſunt ſalſi, quorum aqua canalibus dolatis deducitur in alveos ligneos, limo ſtratos, & ob aquam ſalſam tardiſſimè vitioſos, ut aſpergatur in ſtramina dependentia, ubi ſol tenuem educit aquam evaneſcentem, ut relapſa denſetur in lixivium, & inſtrumento orbiculari, quod tubulo erecto pon..ius

alveorum ex ordine indicat, in maturâ coctioni, eoque spissiore parum descendens, probata defluat in lebetes amplissimos, qui formâ quadratâ ex laminis ferreis consolidantur, & igne subjecto excoquatur in salem & vicino & lotharingico laudatiorem.

Quoniam in materiam salis devenimus, diversa ejus genera libet dispicere; est enim fontanus, putealis, lacustris, palustris, fossilis, marinus, ex Bernardino Gomesio. *Fontanus* è fonte calido salem ferente, è nitrosis sulphureisq; terræ venis erumpens, quæ salsum saporem continent: cujusmodi fons est superior, & apud Salinas in Comitatu Burgundiæ, & passim per Germaniam superiorem, è quo sal candidissimus conficitur per decoctionem. *E puteis* educta aqua salsa, in areas diffusa, adveniente cæli rore condensatur, & in candidissimum salem concrescit: ut in Volateranis Etruriæ puteis, unde Magno Etruriæ Duci tributum ingens annuum. Apud Oscenses in Tarraconensi provinciâ, non longè à Pyrenæis montibus, puteales salinæ sunt, quas vulgò vocant Nabalicas: è quibus

quibus aqua tracta congelatur in ſalem, purpurearum violarum odore & colore, ſuaviſſimum & perfectiſſimum. *Lacuſtris* è lacubus egeritur, & concreſcit, dum lacus aqua in ſalem mutatur, ardore ſolis ſalſuginoſam terræ naturam ad ſaliendas aquas excitante. Talis eſt ſal Tarentinus in Apulia; Tatteus, è Tattâ lacu minoris Phrygiæ: Agrigentinus in Siciliâ, Tragaſſeus in Æolide, in Valentiæ regno inter Carthaginem novam & Orcelitanum agrum è lacu de la Mata. *Paluſtrem* ſalem nuperrimè invenerunt in Burgundiâ, inter Sedelocum & Arnamducum urbes, in domini nobisis viri *de la Rochette*, exigua palus ulvâ & juncis obſita, qua humilior eſt, undam exudat adeò ſalſam, ut tota vicinitas, imò & ipſi ruſtici longè ſepoſiti undique accurrerent, doliaque ea implerent, qua ſalis loco utebantur. Diſplicuit publicanis, qui ſalis vectigal exigunt, naturæ liberalitas, vivam calcem immerſerunt ſalutiferæ aquæ, corruperuntque tantum Dei beneficium, quo nunc ſolæ quadrupedes volucresque utuntur, dedignatæ perverſitatem hominum, datis ultrò mu-

neribus invidentium. Ex iis enim pascuis, nec pecus, nec volucres abigi possunt, adeò dulcedine cibi, potusque amantissimi delectantur.

Marisotus anno C. 1639. voluit experiri, an ille sal tot hominibus, tot bestiis petitus, salubris esset, & è tribus aquæ amphoris igni in aheno suppositis, sal niger, qui palmam impleret, permansit in fundo; gustavit minutulum quoddam, & statim violento nisu exoneravit stomachum. Qua de re cùm ad medicum quendam retulisset, quicquid ejus salis haberet, petenti illi tradidit: postque aliquot menses gratias ei per literas egit medicus, quòd eo usus primùm in Xenodochiis, mox & in remedium privatorum, multos ubique præsentissimis morbis liberasset, detracta per vomitum bile vitrea, qua stomachi orificium solet circumvallari atque obsideri, multasque & periculosas ægritudines ciere. Et nunc damnada publicanorum avaritia, tam promtum, tam salutiferum beneficium sub calce sepultum jacet, hoc prætextu, quòd salis reditus minuerentur.

Re-

Restant duo salium genera paucis exponenda, *fossilis* scilicet, & marinus. Primus è montium terræque visceribus, instar magnorum lapidum eruitur, tantâ soliditate, ut edolari; atque ex eo effingi simulacra possint. Nitor ejus & perspecuitas mira; cristalloque similis; unde eum medici salem gemmam appellant: de hoc Plinius In citeriori Hispania in conventu Carthaginensi, Egelestæ (Eniestæ) quoq; cæditur, plebis penè translucentibus: cui jam pridem à medicis palma inter omnia salis genera perhibetur. Sal porrò *marinus* concrescit, cùm mare fervens æstu spumas agit, easque ad littora & scopulos evomit, vel vento corradente algam in interiora terrarum imbris in morem deferuntur, qualis sal in Narbonensi Gallia, qui *de Pequais* vocatur. Is Aquilonis flatibus, temperato regionis calore densatur. Plinius spumam vocat; Georgius Agricola, salem à marina spuma genitum, & salem virginem, à flore salis, quem Poëtæ salis spumam vocant, & salina, mare; nimirum à sale.

In Valentiæ regno, juxta Ferrariam Promon-

montorium, excavatis ibi rupibus, longi canales excrescentes maris fluctus excipiunt, qui deinde in patentes quasdam areas influunt, ubi marina, cœlesti rore, & Aquilone florite concreta, sal Hispaniæ fingit. Similis est, qui in littore Santonico, ad Aquitanicum Oceanum, multâ arte & labore perficitur, in paludibus, quæ vulgò *de Salans* appellantur, quarum terra pinguis est, & glutino similis, multâ argillâ oblita, quæ equorum pedibus trita, fossis alveisque obductis, restangnantem maris aquam, cum sale advectitio, non ebibit, sed conservat, eductamque è canalibus, pluviæ Soli, aëri, ventis, diluendam siccandamq; tradit, ab æquinoctio Verno, ad æquinoctium autumnale.

Post hunc salem, secundum locum inter marinos obtinet ille, qui è mari & aqua dulci gignitur: Is autem fit, dum mare fervet, atque excrescentibus fluctibus, in proximos & adjacentes littori lacus affunditur; quorum stagnantes aquæ dulces marinâ conditæ, ac vi Solis extremas lacus oras exiccante, concrescunt in salem, qualis in Ebuso, Balearici maris insula,

la,reperitur. Omne ſalis genus Ormus inſula Perſici ſinus continet, tota ſal, ob id ſterilis, ut neque in ea vireſcant herbæ, neque arbores, neque ſtirpium genus ullum adoleſcat: ibi flumina, fontes, putei, terra, glebæ, ſale redundant, cujus permutatione in alias merces, incolæ ſine labore ullo vivunt. Cracovia, caput urbium Poloniæ, ſalem gemmam, ſive gemmeum habet; fontanum Æolis; putealem Selinuntium Siciliæ; lacuſtrem Agrigentum, ejuſdem Siciliæ urbs; Paluſtrem Burgundia, marinum Gallia & Hiſpania. Ormus una, tota ſal eſt, tota omni ſalis genere abundat, ſuſtinetur, vivit, veſtitur, ædificatur: ideò incolis non venditur, quibus ſacer, unde nullum vectigal impoſitum; aut ſi quando impoſitum, ceſſatum eſt ab impoſitione, omnibus communis factus, qui ab aquis, communi omnibus elemento, venit.

In Troade, cùm anteà cuivis permitteretur, ſalem Tragaſſæum gratis auferre, & Lyſimachus ſalarium tributum exigi mandaſſet, illic poſtea nihil ſalis viſum eſt: Admiratus id Lyſimachus, tributum remi-

remiſit, continuoque ſal rurſum extitit, apud Athenæum. Quod cùm timerent Celtiberi, ne fons ſcilicet, qui in agro Cæſar auguſtano fluit, ob tributum ſalarium illi impoſitum deficeret, & ſal nativum incolis denegaret, cum fonte pepigerunt, ut (apud Gomeſium) quotannis certo die, unicuique gratuitò, quantum opus haberet ſalis, aſportaret: hinc ſemper ille perennis fluxit, fonsq; ob id ſacer, ſacræq; ſalinæ appellantur, quæ juxta oppidum armillas extant, dictum quaſi Halmyrallas, id eſt ſalinulas. Sed & alia eſt ratio, cur ſal ille ſacer vocetur, quòd ſcilicet totus cenſus ex eo proveniens, alendis Chriſti pauperibus impendatur apud Turolium urbem ejuſdem Conventus Cæſar auguſtani, ad quam ejuſmodi ſalinæ pertinent, quas fons. Dictus efficit, latis quibuſdam faucis exceptus, atque indè per areas, lateritio ſubſtratas pavimento, diffuſus, ubi rore cœli aſperſus in candidiſſimum & ſuaviſſimum ſalem concreſcit. Eandem ob cauſam Sal Cataritanus in Sardinia ſolis Exteris venalis eſt, ne ſcilicet exareſcat, incolis venundatus.

Iſtud

Istud porrò ex antedictis quidam affirmant, non sine aliqua ratione, sensum aquis esse, unde aliquæ tactum refugiant, aliæ tactæ efferuescant, atque irascantur: aliæ exarescant, ubi ipsis aut illis, quæ in iis nascuntur, tributum imponitur, cùm ab origine sua omnium fuerint. Istarum meminit Athenæus: Regnante Alexandro, Pyrrhi folio, prope Thyamin, fluvium Thesprotiæ, quæ in Epiro est, in paludie quadam enatam casu fuisse fabam, quæ nunquam aliàs nisi in Ægypto creverat, unde Ægyptiaca dicitur; toto biennio abundè posteà fructus peperisse: cùm verò præsidium ibi Alexander collocasset, qua arcerentur non ii tantùm, qui decerpere vellent, sed ii etiam, qui eò commearent videndi gratiâ, exiccatam paludem fuisse; & in posterum non solùm ejus fabæ non genuisse plantas, sed nec jam inde aquam in ea fuisse conspectam: Adeò aquarum delicata, & sui juris conservandi obstinata natura est, quo uni servire non potest.

In Edepso, quæ Macedoniæ civitas fuit, rivulus haud procul à mari emicuerat, cu-

jus

jus potus ægri plurimum auxiliabatur; ideò confluentibus multis, cùm vectigal ab Antigono fuisset indictum, statim evaniat. Simile miraculum Jacobus Meierus in Annalibus Flandriæ refert, de fonte medicato apud Slusam, qui exaruit, ubi Dominus fundi suas ægrotis aquas negavit, nisi antea certum pretium persolvissent; mox cùm idem permisisset cunctis, gratis eas potare, rediit fons vividior, & amplior quàm anteà fuerat. Addit apud eandem Susam Flandriæ urbem anno C. 1441. concharum collectioni tributo imposito, transmigrasse aliò, aut saltem evanuisse conchas, neque ante comparuisse, quàm earum collectionem urbani publicassent, Oceana in gratiam pauperum liberali, qui conchis maximè vescuntur; & ultrò sal ejectante, quo ipsi melius vivant, qui è crassioribus maris partibus prognatus, pro quinto elemẽto est bestiis hominibusque, ad sanitatis conservationem necessario: nihil enim mari, nihil sale sanius. Unde sunt qui credant, nullum piscibus æquoreis præscriptum à Naturâ vivendi terminum; omnes violento fine mori:

mori: nam cùm mare mortalitatis impatiens, exanima quævis animantium corpora ilicò evomat in terram, nunquam inter tot, tantaque & varia ejectamenta cadaver piscis visum est. Salsi quippe maris salubritate crescunt, durantque pisces per secula neque morbos sentiunt, neque senectutem, comprobante proæmia *Nihil pisce sanius.* Vulnera, nisi mortalia, vix ipsi sentiunt, cùm statim coalescant, simulatque se mari merserunt : hinc ad multorum morborum curationem aqua marina medici utuntur ; in purgationibus verò eadem & sacerdotes antiqui, & magi.

Diogenes Laërtius tradit, Euripidem cum Platone in Ægyptum profectum, ibique ægrotantem, marino fluctu sanatum à sacerdotibus Ægyptiis. Apuleius seipsum marino lavacro tradidit, septies submerso capite fluctibus, purificandi studio : unde sal in medicinis & sacrificiis adhibitus. Admotus enim recenti vulneri sanguinem sistit, ulcuscula sanat, dentes gingivis incorruptos servat, suffusionibus oculorum medetur. Olim temulentia laborantes, sale & oleo perunctì juvabantur:

tur: pleraque Comitialis morbi pharmaca addito ſale fiunt. Epota maris aqua bilem atram excutit: valet ad morſus venenatos, unde ſali nomen à ſalute. In ſacrificiis molæ ſalſæ ſuper victimas inſpergebantur, unde fruges ſalſæ apud Virgilium: nam farina hordei mixto ſale, aqua à miniſtro ſacrorum perfundebatur, hinc in tergus victimæ, tanquam levis miles, ſpargebatur: reliqua molarum cum villis è fronte victimæ vulſis in ignem ſuper aram accenſum conjiciebantur.

Luſtrationum & purgationum mos, ut ſal infunderetur aquæ dulci, ſi marina deeſſet, ramoque in eam demerſo lauri vel olivæ, irrorarentur homines & loca ubi purgamine opus haberent: Hinc proverbium: *nihil utilius ſale & Sole.* Veſtæ ſal rufum offerebatur tantum, & in calicibus fictilibus aſſervabatur.

Atque hîc præcellere Europa poterit, ſi diverſitas & numerus ſpectentur.

Hoc nobis caput claudat Oroſius, qui refert, quadraginta annis ante nativitatem Chriſti, Romæ trans Tiberim, è taberna meritoria fontem olei largiſſimè è terra pro-

profluxisse. Quo signo inquit, quid evidentius, quàm in diebus Cæsaris Augusti futura Christi nativitas declarata est! Christus enim unctus interpretatur (intelligitur.) Itaque cùm eo tempore, quo Cæsari perpetua Tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit, significavit, per omne tempus Romani Imperii Christum, ex eo Christianos id est, unctum, & ex eo unctos de meritoria taberna, id est, de hospitali largaque Ecclesia, affluenter atque incessabiliter processuros.

Sed unde nobis aquæ, in summis montibus? unde scaturiginibus tam diversæ qualitates? In tres classes videntur doctiores discedere, quorum alii aquarum origines tribuunt aëri, ex quo humores frigore concreti solvantur in pluvias & nives, adeoque fulmina. Fatemur equidem, sic augeri fontes & fluvios, quemadmodum Rhenus per æstatē exundat, & fontes cælo pluvio crescāt: per siccitatem diuturnā utrosq; exarescere, & Africā parcissimæ pluviæ peregrinantes aliquando post triduū enecare siti. Si Senecam audimus, pluviam nun-

nunquā ultra decem pedes in terram penetrare, & præcipitem hauriri, ſorberi, in mare devolui non utiq; ſuffecerit viſcerib⁹ terræ ad producenda mineralia, metalla & juge fontes, maximè in ſummis montibus, quos pluvia eodem momento deſerit. Itaque debuit Ariſtoteles hoc ludibrium Agricolæ.

Sic prodit altera claſſis eorum, qui ſca, turigines omnium aquarum in terra ipſa inveniunt, neque tamen eadem ambulant via: nam transelementationis patroni nobis eunt perſuaſum, ex terra generari aquam, & ex aqua terram, ſic deinceps aërem & gnem: quibus ſaniores non poſſunt accedere, quod ignis, ſuperior cæteris elementis, reſolvat omnia, à nullo gelu conſtringi queat. Ignis ſanè non inducit illam mutationem, cum omnem humiditatem conſumat, & terram in evaporationes ſiccas cogat: deinde aqua nunquam ſuum gelu exuat, unde fruſtra laboraret agens in aſſimilando ſibi patiente. Nec ullum præſidium á gelu, quod conſtringit nihil disſolvit, vel ipſa Ambra & gundi cum comprehenſis heterogeniis teſte.

Poſtre-

Postrema classis fingit sibi immanes lacus & ingentia aquarum receptacula ab ipso conditu mundi, & ventorum impetus saxorumque angustias, unde aquæ usque ad superficiem terræ propellantur: & nonnulli eorum addunt subterraneos ignes, sulphur & picem, quæ aquam in altum extollant, frigore rupium continuò congelandam: & utut hoc indulgeamus, quis subterraneas illas cisternas replebit, nisi qui in aëre castella huic usui suspendat aquaria? Rectissimè igitur Salomon Ecclesiastes aquarum omnium scaturiginem collocat in ipsum mare, eoque sapientius, quòd rationes superiores illi sententiæ perbellè ancillentur; etiam ringente Agricola, qui hydraulicæ imperitus marinàs percolare non didicit aquas, tametsi maritimis locis nihil detrahat.

Ne verò mireris, benevole lector, sed considera æquilibrium aquæ ex alto præcipitatæ ad idem resurgere: quod siphunculi usuales docent. Idem si des mari, nihil errabis maximè ubi consideres, aquas esse cõtinuas, & tanquam telam linteam trahi. Hinc terra declivis est ad littora maris, sed

mare pro ratione recessus insurgit, sicuti guttula aquæ in orbe & mensa, & longè altius est continente, donec in summo adipiscatur æquilibrium & sibi & terræ commune, ut sic censeatur globus Terraneus.

De coloribus, sapore, & virtute aquarum disquirant Naturæ indagatores, quibus religio est quicquam ignorare.

Sed aliam quæstionem movet Moses de aquis magnæ abyssi & cataractis cæli. Illam aquarum eruptionem ex abysso aliqui saltem ex parte, cum diluvium ex solis causis naturalibus non provenerit, referendam esse ad conclusos intra terram & aquam flatus. Nam adventante tempestate, antequam per apertum aërem ventus prorumpat, sentimus intrinsecus aquam agitari: & cũ ipso maris æstu quotidie adventat aura quædam, quæ ex aqua erumpit, ubi impetu interni flatus agitatur. Hinc fontes, & aqua & aër sese mutuum exagitant; nam aqua deorsum cadens premit densatque aërem; aër plus satis compressus, quærit laxamentum, unde turbæ, uti in ventre animalium. Jam cataractas

vocat

vocat Moses nubes decidentes, quæ modicè & parcè alias stillare solent, neque ubivis cæli, sed incredibili copia & horrifico sonitu ac fragore, cataractarum instar, immensam aquarum vim super terram effusam fuisse: unde refert idem Moses, factam esse pluviam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Ex iis etiam, quæ dicta sunt de subterraneis aquarum ductibus, & aquis copiosissimè sub terra conclusis, intelligi potest, quo sensu terrâ dicatur fundata esse super maria, & super flumina formata, psalmo vigesimo quarto. Unde etiam Exodi vigesimo mentionem facit Deus aquarum, quæ sub terra sunt. Aquarum igitur moles maxima, sub montibus saxosis, & rupibus, tanquam cameris quibusdam inclusa continetur.

Iridem cum admiratione, inde Græcis Thaumantis dicitur, suspiciamus; naturaliter ex dispositione nubium, earumque ad solem oppositione, & radiorum solarium reflexione ortam, sed quæ memoriam diluvii, & fœris perpetui ab instituto divino rem subeat animis. Hinc in circuitu

throni fuit iris, aspectu similis smaragdo: sic angelus fortis descendens de cælo fuit amictus nube, in cujus capite iris, apud D. Johannem. Denotat autem meteoron hoc pluviam, si serenitas præcessit; serenitatem contra si pluvia, quarum rerum est signum naturale; sed post diluvium cepit esse signum fæderis divini. Non minimum auget pulchritudinem ejus illa magnitudo, qua cælum videtur in circulum comprehendere: nunquam eri superstat hemisphærio nisi circuli medietas, quasi pars sit circuli majoris, atque altera pars sub terra sit in altero hemisphærio: cujus rei quidem causa est, quòd fiat ab oppsito Sole, velut in terram despectante, ac secundum peripheriam refractione radiorum per aërem densum reddente circulum, qui terram in medio contineat: quò fit, ut quo sol sit humilior, atque occasui propinquior, eo sit arcus pars quæ spectatur sublimior; & quo superior Sol, eo arcus demissior: nimirum est illi oppositus, & per totum cælum distentus. Fit non rarò multiplicatio arcuum, etiam oppositorum, pro ratione dispositæ materiæ.

CAP.

Cap. XXIX.

MONTES.

IN montibus Sinicis conſideramus 1. Magnitudinem. 2. Altitudinem. 3. Vertices. 4. Valles. 5. Colles. 6. Cavernas. 7. Medicinalia. 8. Figura 9. Portenta. 10. Animalia. 11. Induſtriam hominum. 12. Eventa. 13. Incolas.

1. Lungciven, prope Kungyang, ducentorum plus minus ſtadiorum eſt. (12½ mill.)

Mons Suming occupat 280. ſtadia ſub Xaohing. (17½ mill.)

Mons Lofeu, propè Polo, ad Hoeicheu, habet in ambitu 300. ſtadia. (18½. mill.)

Tiengo mons ad Pingkiang. habet 500. ſtadia. (31. mill.)

Quanghia mons ad Nankang habet totidem ſtadia.

Heng mons ad Hoenyuen occupat octingenta ſtadia (50. mill.)

Sub Kiegan, propè Ganfo, eſt mons Uncung, qui totidem ſtadia tenet.

Tienmo idem ſpacium poſſidet.

Ad Jotyen incipit mons Yen, & excurrit ultra 1000. ſtadia. (63. mill.)

Ad Civitatem Quan incipit mons Chingchang, ejusdem ſpatii.

Caoleang mons, circa Leangxan civitatem, tantundem tenet.

In Kinhoa, ad Yu mons eſt Kiming, omnium maximus.

Sub Cingcheu, ad Chuching eſt mons Langſie, qui ad mare usque excurrit: in eo plurimi pagi, quibus initium dedit Xio Imperator, cum ad triginta hominum millia per montem frequentandum & colendum diſtribuit.

Sub Lingkiang, propè Sinyu, eſt mons Mung, totus ſylvis ac campis amænus.

2. Ximus ad Taigan dicitur altus quadraginta ſtadia (2½. mill.) Perhibent, ex ejus vertice, ad primum Gallicantum, videri ſolem.

Pin mons, ad civitatem Guei, tantæ eſt altitudinis, ut Sinæ ei tribuant ſexaginta

ſtadia,

ſtadia ($3.\frac{2}{3}$ mill.) Ex ejus vertice videtur ipſa metropolis Chingtu, trans reliquos montes.

Tientai montis altitudo, duodeviginti millia perticarum attingit (5. mill.)

Suming mons ſub Xaohing eſt ejusdem altitudinis.

Venpi mons Queicheu ſuperat ipſas nubes.

Sub Chingtu eſt mons Jeking, prope Çu civitatem, qui ſupra ipſas nubes aſcendit.

Sintien habet montem Pie altiſſimum, ſupra nubes ipſas aſcendentem.

Keſing mons ad Civitates militares, ipſas nubes exuperat.

Sub Lingkiang, propè Sinyu, eſt Mung mons altiſſimus, adeò ut nubes transcendere videatur.

Tafung mons propè Xefan civitatem, videtur ipſum cælum pertingere.

Propè Çangki eſt mons Juntai altiſſimus, nubium idcircò thronus dictus.

Hoçang mons ad exurgit ultra mille perticas (decies mille pedes.)

Sub Kiunche, propè Van civitatem, eſt

insula Tocheu, centum stadiorum, ($6\frac{1}{4}$. milliar.) in qua mons ipsas nubes transcendit.

In Quangtung sub Hocicheu propè Polo, est mons Loseu, altus ter mille, sexcentas perticas. (ultra unum milliare.)

Ad Liencheu, circa Lingxan, est mons Loyang, tantæ altitudinis, ut duos impendere integros dies cogatur, verticem subiturus.

Mons Kiming ad Yu conscenditur novem itinere dierum.

Suchuen provinciæ montes sunt altissimi.

Ad Kienning urbem est mons Xin, ex quo trans omnes montes Sol ex mari oriẽs, conspicitur.

In Peking est mons Puon, altissimus & præruptus.

3. Sub Sintien est mons Pie, supra nubes elatus, cujus acutissimus vertex ad modum pyramidis attollitur: hinc Pie, penicillus dictus.

Tocieu vertex, in monte Pexe, sub Cincheu civitate, erigitur supra nubes.

Tulie

Tulie mons, prope Van civitatem tantæ altitudinis verticem quendam extollit, ut ne aves quidem Volatu suo unquam eum superare sint ausæ.

Fang mons, ad Liucheu civitatem majorem, habet verticem, qui in Cubum desinit.

Hoçang mons ad habet verticem nullis meteororum varietatibus obnoxium, atque à tonitru & pluvia securum.

Propè Van civitatem est insula Tocheu, in qua mons altissimus; cujus vertex Hoeifung tantæ est altitudinis, propè Yai civitatem, ut nec ventus nec pluvia ejus superiora infestet, nomen illi, quod ex mari tempestates reprimere, atque infringere videatur, venturaque remittere.

Latung mons ad unum habet verticem acclivem, ad mille ducentas perticas. ($\frac{1}{3}$.milli.)

Sub Junnan, ad Tali, in montibus Chao, vertex Tingsi superat alios, & ad mille perticas eminet. (1.mill.)

Kimons , eminet vertice ad centum, eoq; amplius perticas.

Sub Lieucheu, in monte Sienye est altissimus vertex , qui veluti paries ex uno lapide totus ad perpendiculum exurgit.

Mons Cu, sub Xunte, dictus orphanus, quod verticem unum duntaxat erigat, à cæteris omnibus separatur.

Sub urbe Chinting est mons Cangnien altissimus, & superat nubes vertice.

In Quangsin, prope Jeyang, in altissimo monte Paofung est vertex, cujus altitudo nubes transcendit, & sustinet lapideam domum.

Sub Lieucheu, in monte Sienye, altissimus est vertex, qui veluti paries ad perpendiculum exurgit, habetque domum lapideam.

Sub Vnting est mons Hingkieu, undiquaque horridus & præruptus, in vertice tamen planus, & per arctissimam viam, unius hominis capacem aditur, belli tempore accolis asylum.

In Changte, ad Lin civitatem est mons Yyang, adeò præruptus ac arduus, ut ægrè con-

conſcendi poſſit: in illius tamen vertice planicies eſt, in quâ belli tempore multi turbas vitant.

Tapien mons, propè Yxui, habet verticem in planiciem diffuſum, adeò ut nonaginta ſtadiorum aperiat campum ($4\frac{1}{2}$. mill.)

In monte Xin eſt vertex quidam, cujus ſummitatem ornat palatium, quod in puriſſima aëris regione, ſupra omnes nubes extractum ajunt.

Paoking montem habet Chingçang, cujus vertex ad figuram Galli Gallinacei videtur accedere.

Xintang mons altiſſimus ac præruptus, vix admittit aſcenſum: in eo tamen vertex amæniſſimum habet lacum, eumque piſcoſum, circumquoque arboribus ac floribus ſeptum.

Sub Pingo eſt Monien, oculorum vertex, quòd in ſummitate duos habeat ingentes lapideos oculos.

In Chekiang, ad Hangcheu, quæ eſt Quinſai, mons Funghoang duos altiſſimos vertices, ex adverſo ſibi oppoſitos,

tantæ altitudinis erigit, ut cœlum ipsum contingere videantur.

Ciexe mons ad civitatem Ho duos erigit altissimos vertices, quos inter, quasi per portam intromissus, volvitur Croceus fluvius.

Tien mons dicitur cœli oculus, quòd in duobus verticibus duos habeat lacus.

In Lieuyang, mons Taihu erigit tres ingentes vertices.

In monte Xin sunt tres altissimi vertices, quorum unus in purissimam aëris regionem extollitur.

Sub Jungning est lacus ingens Lucu, in quo ties Insulæ, omninò æquales: earum quælibet collem habet, centum perticas altum.

Ad Paoking urbem est mons Lung, qui quatuor ita, æquales per circuitum extollit vertices, ut undiquoque idem videatur: ibidem in medio lacus est.

Uhoa mons quinque florum dicitur, à quinque altissimis æqualibusque verticibus, quorum quilibet mille perticas altus dicitur.

Nan-

Nanmin mons ingens attollit duodecim vertices altiſſimos.

Ad Juenkyang eſt mons Yotai maximus, qui viginti quinque numerat vertices, adeò amænus & pulcher, ut pretioſæ turris obtinuerit nomen.

Prope Kiun civitatem eſt mons Vutang, qui ſeptem & viginti in cælum attollit vertices.

Sub Hoeicheu eſt mons Hoang, in quo triginta duo vertices altiſſimi.

Junglin, mons ingens, ſex ſupra triginta numerat vertices.

Mons Talao, ſub Foning, attollit totidem vertices.

Heuki mons oſtentat ultra ſeptuaginta vertices.

Heng mons numerat vertices duos ſupra ſeptuaginta.

Prope Sinfung ingens ac denſiſſimus eſt mons Hiana, qui nonaginta erigit vertices.

Sub Xaohing urbe mons eſt Suniing, qui varios in cœlum vertices, ad ducentos & octoginta erigit.

Sub urbe Paoting vallis eſt, altiſſimis montium verticibus clauſa.

Ad Quienchang prope Quanchang eſt mons Chunghoa, qui totus ex meris ferè nudisque verticibus conſiſtit, inter quos unus ſolummodò vireſcit, atque arboribus conſitus eſt.

In Peking eſt mons Puon, qui varios attollit vertices.

In monte Ximo, ad Taigan, altiſſimi ſunt vertices.

Ad Siucheu eſt mons Xeching, lapidea mœnia vulgò dictus, quòd altiſſimi montem totam coronent vertices.

4. Propè Hoating vallis eſt triginta ſtadiorum (2. mill.) adeò profunda & anguſta, ut non niſi tenue & obſcurum admittat lumen: patet tamen per illam via.

Ad Focheu metropolim eſt mons Fang, in quo vallis quadraginta ſtadiorum. (2½. mill.) ubi undiquaque in collibus aurea, citrea & limonia poma.

Sub Gucheu, à civitate Pelieu eſt profunda vallis, ac ſuperata difficilis, per quã unica tantòm via patet: eſtque iter illud, per

per quod in Tungking regnum pervadere licet narrant, ob nimias difficultates ac labores per asperrimum illum callem, non paucos iter facientes, priusquam eluctentur, perire. Alii Tienmuen, cæli portam; alii Queimuen, Dæmonum portam vocant.

Sub urbe Paoting vallis est, altissimis montium verticibus clausa, ad quam per arctissimam, eamque unicam aperitur iter semitam: belli tempore, propter securitatem expetita, & à pluribus frequentata.

5. Hing collis, circa Niugyang, dicitur à copiâ prunorum Armeniacorum.

Ad Chinyuen est mons Polung; qui colles sensim sese attollentes altius atq; altius, ita ostentat, ut irati maris intumescẽtes undas videre te credas: inde undarum gratia dictus.

Prope Kienyang est mons Ulung, in quo colles quinq; unum quendam in media conclusum ambiunt. is Sinis unio, illi dracones dicuntur.

In Quangtung, sub Hoeicheu, propè

Polo,

Polo, eſt mons Loſeu, qui habet acclives colles quindecim.

Propè Kiun civitatem, eſt mons Vutang, qui habet colles acclives ſex ſupra triginta.

Sucung mons, numerat totidem.

Propè Linſiang, ſub Yocheu, ingens eſt mons Tayun, in quo ad ſeptuaginta numerantur colles.

Mons Ho numerat trecentos ſeptuaginta duos colles.

Ad urbem Queilin eſt callis acclivis per montes, in quo ſeptem colles, omninò urſæ majoris in cœlo figuram repræſentant.

6. Lungciven, propè Kungyang, mõs, habet ingentem cavernam.

Sub dieucheu, in monte Sienye, ingens viſitur caverna.

Sub Tegan, propè Ingxan eſt mons Tungting, in quo ingens, ac inſcrutabilis profunditatis eſt caverna.

Ad Liping urbem eſt mons Taiping, & in eo Tungni caverna pulcherrima ad modum domus excavata, formâ quadratâ, ubi

ubi quodlibet latus tria occupat ſtadia (648. perticas) mediam rivulus, inſtar argenteæ villæ interfluit.

Sub Xaohing urbe mons eſt Suming, à quatuor cavernis verſus cælum apertis dictus, quaſi quatuor claritatum.

Heng mons habet decem ingentes cavernas.

Sub Hoeicheu eſt mons Hoang, qui ex octodecim cavernis antra habet obſcuriſſima.

In monte Jungte, quatuor & viginti lapideæ domus ſeu cavernæ profundiſſimæ conſpiciuntur.

Çupe mons ad Fung civitatem, numerat ſeptuaginta duas cavernas.

In monte Ximo , ad Taigan cavernæ ſunt multæ.

In Quangtung, ſub Hoeicheu, propè Polo , eſt mons Loſeu, qui præbet quadringentas ſupra triginta duas cavernas.

Propè Mengyang eſt mons Queikiue, adeò aſcenſu arduus ac cavernoſus , ut à malo ſpiritu excavatum dicant.

Sub

Sub Jengan urbe eſt mons Chengleãg, cum cavernâ plurimorum idolorum.

Çokieu mons habet ingentem cavernam, velut abyſſum, cum duabus ſtatuis.

In Quangſi, ad Queilin, in monte Hayang caverna eſt aquea, quæ quadrupedes ac cornupetas alit piſces.

7. Sub urbe Chinting, mons Cangniẽ altiſſimus habet fontem medicum, ſaluberrimumque.

Kioang mons habet ſcaturiginem & fontem aquæ ſaluberrimæ.

Pao mons, ad Lieucheu, civitatem majorem, habet aërem iſtiusmodi naturæ, ut illius accolæ febrim nunquam timeant; ac tametſi eâ laborent, facilè ſanentur, præterquam menſe Martio & Aprili: qui enim hiſce duobus menſibus febri corripiuntur, nullum habent remedium, aut vitæ ſpem.

Sub Cintien, urbe militari, eſt Into mons, adeò ſalubris aëris, ut degentes in eo ægritudines, quas ventus aut frigidior aër inducunt, ignorent.

Cokieu mons, vulgò continuum ver, quod

quòd nullam aut exiguam ſentiat tempeſtatum per annum mutationem, perpetuòque vireſcat.

Sub Kaocheu, circa Tienpe eſt mons Caoleang, ejus naturæ, ut nunquã, nec ab æſtate calorẽ, nec ab hyeme frigus incolæ timeant: adeò ver perpetuũ ibi eſſe volũt.

Jungking habet Liunglai, in quo etiam æſtate glacies reperitur.

In Xanſi eſt mons Lie, ad Pu civitatem, apud quem Xunus, optimæ vitæ ac nominatiſſimus Imperator, apud hanc gentem, antequam eligeretur in Imperatorem, agricola fuit. Hic mons, ad hæc usque tempora, ſpinas nullas, nullas malas aut noxias ſtirpes producit: ex viri meritis id factum fingunt.

8. Mons Umuen pendentia quaſi in aëre juga haqere videtur.

Paokingmontem habet Chingçang, cujus vertex ad Galli Gallinacei figuram accedere videtur.

In Quangſi ad Queilin eſt mons Ly, qui figurâ Elephantem refert.

Ab urbe Queilin acclivis per montes callis eſt, in quo ſeptem colles omninò

urſæ

ursæ majoris in cælo figuram represen-
tant.

Tienmo mons cæli dicitur oculus, quòd in duobus verticibus duos habeat lacus.

Utung mons hominem ſtantem inclinato capite repræſentat.

Sub Pinglo eſt Monien, oculorum vertex, quùd in ſummitate duos habeat lapideos oculos, adeò à naturâ affabrè efformatos, ut artem omnem ſuperare videantur, nam pupilla clariſſiè diſtinguitur circumſtant veluti humores duo, albus ac niger, uti in oculo noſtro.

Mons Caolan, ad modum theatri civitatem Lan amplectitur, pulcherrimo undiquaque patente proſpectu.

Ad Kieukiang eſt Paye mons, prope Tegan, triginta occupans ſtadia, qui ad inſtar mæmorum, magnâ ex parte civitatem ambit.

Fung mons ad Tungping, ita ſylvis agriſque diſtinctus eſt, ut pulcherrimam figuram referat: unde eum Siræ ſerico Damaſceno comparant.

Ad Chinyuen, in monte Pelung, attollun-

luntur colles altius atque altius, instar undarum per mare intumescens.

9. Sub Linkiang, propè Sinyu, est mons Mung, altissimus & super nubes, qui tamen sylvis ac campis amænus est.

Ad Kienchang propè Quanchang, mons est Changhoa, qui totus ex meris ferè nudisque constat verticibus, inter quos unus solummodò virescit, atque arboribus est consitus.

Ad Kienning urbem est mons Xin, ex quo supra omnes montes Sol oriens conspicitur.

Mingyue mons ita dicitur à subterraneo specu, quo quasi perforatus videtur ductu adeò directo, ut ex adverso foramen ad instar splendentis Lunæ appareat.

Mons Lie ad Pu civitatem, nullas spinas, nullas malas aut noxias stirpes producit.

Ad Paoki est mons Chinçang, cujus anfractus, cùm tempestas aut tonitrua imminent, tantum murmur ac boatum edere feruntur, ut ad triginta, eoque amplius stadia, exaudiri possit (2. mill.)

Pro-

Propè Sinyang mons eſt altiſſimus juxta ac amæniſſimus, obſervatumque ſæpius quoties nupes illius tegit verticem, quàm mox certò pluviam imminere.

Propè Pingchai mons eſt Pequi, in quo obſervatum, quòd ſi nix hyberna in illius vertice liquefiat, anni optimi ac fertilis futuri id eſſe ſignum; contra, ſi nix uſque ad æſtatem perduret, malum eſſe augurium.

Fang mons propè Changyang, ejuſmodi naturæ eſſe ſcribitur, ut vere & autumno nullus omninò in eo ventus percipiatur; & æſtate ventum aſſiduò è cavernis emittat; ac tempore hyberno venti eodem modo ab extra ſeſe intra cavernas inſinuent.

Keſing mons ad civitates militares, inſolito frigore vigeſcere dicitur, fortè ob nimiam ultra nubes altitudinem quæ in frigidam aëris regionem pertingat.

Ad Nankang eſt mons Quangliu, qui ſereno ubique ac circumquoque cælo, ſemper nebulis aut nubibus oppletus eſt, adeò ut ex lacu ægrè admodum videri poſſit, licet illi admodum vicinus ſit.

Xe-

Xechung mons, propè Hukeu, dicitur lapidea campana, quod ad hunc montem à vento agitatæ atque allisæ undæ, boatum ingentem emittant.

Matang mons, propè Pengçe, in magni fluvii ripa, multarum navium eversione est infamis; nam si vel minimum à ripis aberrant nautæ, undarum vi arreptas naves facilè ad hosce scopulos allidi, & in partes dissipari vident.

Sub Xaichen, propè Xangcao est mons Lingfung, in quo post diurnas pluvias noctu semper ingens apparet flamma, sicco tempore non item.

Ad Cancheu est mons Tiencho, in quo noctu lux, veluti accensorum carbonum apparet quidam putant, serpentes esse, aut araneos, quos fabulantur pretiosos quosdam, quos capite gestent, evomere lapillos acre sorbere.

Ho mons igneus dicitur, quòd singulis noctibus quædam in eo appareant lumina, velut candelæ accensæ. Putant Sinæ, esse animalcula, quæ carbunculos vocamus, seu cicindulas, eoque ex flumine in montem exire, ibique collucere.

To

To collis grandiusculus, in montibus propè Sieugin, est à parte exteriore inaccessus; at natura ipsa intra illius viscera scalam cochlidem fecit, per quam ascensus patet.

Sub Queicheu, ad Queiyang, mon Tungeu dicitur cupreum tympanum, quia, cùm pluria imminet, in eo auditur tympani pulsus.

Ad Munghoa est Tienul mons, cœli hauris, qui tàm subtilem ac delicatam habet Echo, ut quantumvis licet summissa quis loquatur voce, ictum ac repercussionem audiat.

Ad Sunan urbem est mons Vanxing, undiquoque veluti ad perpendiculum abscissus: unica tamen, eaque arctissima via ad ascensum patet, quò incolæ belli confugientes tempore, in tuto sunt.

Ad Tucho habet mons Chiny planiciem, ad quam per unum solùm tramitem patet accessus, sub custodiâ munimenti.

Sub Juencheu est mons Niang, sive spectabilis, eò quòd undique præruptis saxis horridus, ob præcipitia & voragines, videri

videri quidem, at non adiri possit; trecenta in ambitu complexus stadia (12½. mill.)

Ad urbem Xunking est Co mons, pomorum aureorum sylvis celebris.

Mons Si, ad occasum civitatis Van, habet amænissimum Sungæ familiæ viridarium, quod adhuc lacu, sylvis ac frugiferis arboribus consitum visitur.

Prope Kienvang est mons Ulung, in quo colles quinque sextum in medio conclusum ambeunt: is Sinis dicitur unio; quinq; illi, dracones.

10. In monte Quan folcones vulturesque, quibus ad venationem utuntur, capiunt, audacissimos ac generosissimos prædones.

Propè Sinfung est ingens & densissimus mons Hiang, in quo & vicinis montibus, nunquam aliàs visas belluas, hominesque omninò sylvestres, ac ferino ritu ibi vitam degere ajunt Sinæ geographi.

Mons Fungçao, phœnicis nidus dicitur; scribunt autem, sub eo nido lapidem pretiosissimum, ac valoris inæstimabilis esse repertum.

Per Xensi, in monte Holan complures sunt equi sylvestres.

Linyao urbs habet in tractu montoso uros & animalia tigribus simillima.

Per Chekiang, in monte Cutien, sub Kiucheu sunt tigres: minimè noxiæ, quæ in vicinis regionibus ferocissimæ hîc mansuescunt. Eadem ratio serpentum.

In Chinyuen, sub Junnan, est mons Nilo, tigribus & leopardis infestus.

In Suchuen, ad civitatem Cungking, sub metropoli Chingtu, mons est Toyung in quo simiæ reperiuntur, hominibus admodum similes.

11. In Kinhoa, ad Yu, mons est Kiming, altus ad iter novem dierum, & habet in summitate palatium.

In monte Xin sunt tres altissimi vertices: cuiusdam summitatem ornat palatium, in purissimâ aëris regione, supra omnes nubes.

Sub Lieucheu, in monte Sienye, altissimus est vertex, qui veluti paries unus, ex uno lapide totus ad perpendiculum exurgit, habetq; domum lapideam.

In

In monte Jungte, quatuor & viginti lapideæ domus ſeu cavernæ profundiſſimæ conſpiciuntur.

Ad Liping urbem eſt mons Tarping, & in eo caverna Tungni pulcherrima, ad modum domus excavata, formâ quadrati, cujus quodlibet latus tria ſtadia æquat: mediam rivulus, inſtar argenteæ vittæ, interſecat.

Sub Peking urbe eſt mons Puon altiſſimus & præruptus, varios attollens vertices: quidam eorum habet in ſummitate lapidem ingentem qui minimo contactu movetur ac titubat.

Mingxe mons ad Caotang, ſub Tungchang, ſonorum habet lapidem, quòd in ejus vertice cippus erectus ſit, centum altus perticas, qui vel leviter digito percuſſus, ad tympani modum, ſonum edere dicitur.

Ad Changcheu urbem mons eſt Cio, in quo lapidem eſſe ſcribunt, altum perticas quinque, craſſum decem & octo, qui, quoties tempeſtas imminet, titubat omninò ac movetur.

Sub Chinyuen eſt mons Xeping, qui

ipſam urbis foſſam attingit, dictus paries lapideus, quòd ſaxum elevatum, planum, ad parietis modum contineat, cujus altitudo centum perticarum fuerit.

Ad Lioyang eſt mons Yoniu, hoc eſt, pretioſæ mulieris: nam mulieris pulcherrimæ ſtatua in eo videtur, non arte ſculpta, ſed à Naturâ ipsâ efformata.

Sub Jengan urbe eſt mons Chinglcang: in quâdam ejus cavernâ, prodigioſus idolorum viſitur exercitus, ad decem nimirum ſtatuarum milli, quæ omnes ex duro lapide ſculptæ, minores alię, aliæ majores, omnes regis cujuſdam, ſolitariā ibi vitam degentis juſſu efformatæ.

Ad Vucheu eſt mons Vangkiu, in quo mirabilis ſtatua, hominem repræſentans ſpectatur, quæ pro varia aëris temperie varios induit colores, ex quibus accolæ cœli ſerenitatem, aut pluvias imminentes facilè ſoleant colligere.

Fang mons à Xio Imperatore perforatur, quinquies mille hominibus in eo operę deſudantibus: audierat enim à montilogis illis impoſtoribus, quos proſperam adverſamve ſortem ex montium figuris con-

conjectare creditur, montem hunc alteri futuro Imperatori regnum portendere; eâque de causâ, ut fatalem hunc ſcilicet impediret influxum, montem hunc perforari juſſit.

Çokieu mons habet ingentem cavernam, velut abyſſum, in quâ hominis ac animalis cujuſdam ſtatua viſitur. Scribunt, ſi quis fortè ſtatuam ſpectans, altius loquatur, continuò tonitrua ac tempeſtates inſurgere.

Fiyun mons habet multa in rupibus hominum impreſſa quaſi veſtigia, quorum quædam ad quatuor palmorum accedunt longitudinem.

Ad Ching civitatem eſt mons Loyo, in quo ingentis leonis ſtatua, ex cujus ore fons effluit.

Propè Xeu civitatem, ſub urbe Fungyang provinciæ Nanking, eſt mons Çukin, in quo ingens auri fruſtum repertum, contra plures morbos ſalutare: unde Chemicâ arte vulgò factum creditur.

Kieuquan mons, hoc eſt, novem palatiorum, ita dictus, quòd Cyngan regis fi-

lii novem sibi in eo extruxerant palatia, in quibus literis operam darent.

12. Lin mons, propè Tanlieu, celebratur ob Heuyum, qui in eo monte, artis jaculatoriæ peritissimus, septem sagittis totidem volantes aves, unam post alteram transfixit.

Circa Kiayu, in ripâ Kiang fluminis est mons Chepie, à magnâ clade, quam Çaoçao à Chenyao accepit memorabilis.

Propè Ceu civitatem est mons Changping, ob natales Cungfutii philosophi nobilis, sive is in hoc monte, sive in civitate ejusdem cum monte nominis, acceperit lucis usuram: urbis antiquæ illîc visuntur rudera.

Fang mons est propè Kioheu, à sepulchris eorum parentum, qui Cungfuteum, celeberrimum philosophum genuêre, famosus.

Kieuchin mons, à novem virginibus dictus, sub Hanyang, quòd sorores novem hîc perpetuam servârint virginitatem, Alchimiæ deditæ.

Moyang mons, propè Hiutai, pastoris dicitur, quòd ibi olim artem pastoridiam tra-

tradant virginem pulcherrimam exercuisse.

Ad Nangan est mons Muilin, per quem merces à bajulis ad ulteriora loca deferuntur, ex fluvio Chang maximè in Nanhiung urbem, & reciprocè.

Çu mons circa Çu civitatem, in quo rex Ci multum auri occultavit, operariis omnibus, qui id absconderant, extinctis, ne res prodiret in lucem: attamen unius filius, admodum puerulus, notavit rem totam, cumque adolevisset, aurum abstulit.

13. In monte Langsie, ad Chuching sunt quamplurimi pagi, postquam Xius Imperator triginta millia colonorum illuc deduxit.

Tocheu mons ad Jenchang, ascensu difficilis, horridus, altus, vindique præruptus, ut pauci propugnatores magnam hominum vim arcere possint, intus habet pagos, camposq; planissimos.

Propè Sinfung est ingens et densissimus mons Hiang, in quo homines omninò Sylvestres ferino ritu vagantur.

Est in Suchuen provinciæ altissimis

montibus , ubi cum Honan provinciâ jungitur, regnum King, quod ſui juris eſt, ac Sinico imperatori nullo modo paret; tantùm honoris causâ coronam ac regia inſignia à Sinico Monarchâ accipit: Cæterùm monticolæ illi Sinas neutiquam admittunt intra ſuos montes. A King, & vicinarum regionum, ex Huquang provinciâ fugientib. populis fundatum eſt, qui bellorum motus, ac militum inſolentiam vitantes, regum tempore ſub Chevæ familiæ finem, montes hos altiſſimos petiêre. Sunt hîc innumeræ valles, campiq́ue egregiè culti, & ab hoſtium inſidiis rapinisq́ue tuti.

Sub urbe Queicheu ſunt Saxoſi & ſcrupei montes, præcipuè in partibus ſeptẽtrionalibus, ubi ſępe ſpiſſis crebrisq; montibus horret, in quibus adhæc uſq́ue tempora agreſtis atque in culta gens degit, Sinis minimè ſubdita. Ibi putei ſalis complures, malorum aureorum, citreorumq́ue , muſchi ac perdicum magna copia.

Changmo mons, propè Sinning, eſt adeò diffuſus, penèque inacceſſus, ut in

eo

eo agreſtes homines, Sinis minimè parentes, tuti ac ſui juris vivant.

Kiangſi, Quankung ac Fokien provinciæ committunt radices ac juga montium inter quos gens habitat inculta & agreſtis; quæque necdum Sinico paret imperio: quinimò audet etiam non rarò ex latibulis ſuis erumpere, prædasque abigere ex viciniâ, quamvis nil admodum magnum aut egregium tentare queant, cùm ubique caſtella ac munimenta ſuis cum præſidiis ſint diſpoſita, ut monticolarum inſultibus, inſidiisque obviam eatur. utut autem hanc gentem domare conati ſunt Sinæ, nihil tamen effectum, obarctas nimium montium fauces, aditusque inacceſſos, quos excipiunt valles amæniſſimæ, campique egregiè culti.

Europa nobis ſuppeditabit nonnihil miraculorum: ſic montem præruptè altum in Cantabriæ orâ maritimâ totum ex ferro conſtantem docet Plinius. Et Marineus Siculus, apud Ribagorciam montes eſſe, in quibus lapidicinarum modo ſal cædatur, & arborum modo poſtea pullulet & renaſcatur.

Mons Pyrenæus Hiſpanos à Gallis dividit: dictum volunt *apo tupyros* ab igne, vel quod crebris fulminum ictibus feriatur, vel quòd ejus ſylvæ, referente Diodoro, injecto à paſtoribus igne, quondam univerſæ conflagrârint. A Græcâ voce nuncupatum, non eſt mirum, cùm ex antiquis monumentis Græcos tam Occidétale, quàm orientale hujus montis latus habitâſſe quondam, ſatis ſuperq́ue conſtet? Procurrit ab ortu in occaſum perpetuus, unde Hiſpani dicuntur Citra, montani verſus meridiem, & Ultra mõtani ad Septentrionem. Strabo refert, latus ſeptentrionale variis eſſe conſitum arboribus, iisq́ue ſemper virentibus; alterum autem Galliam ſpectans, omninò nudum: media loca convalles continere, & frequentes incolas.

Oroſpeda pars Pyrenæi, habet rupem præcelſam, quæ ex Hiſpalenſi urbe Granatam eunti propè Archidanam ſe conſpiciendam effert: Hiſpanis *la Penna de los Enamorados*, amantium rupes, ex hoc eventu: Cùm regnum Granatenſe Mauris adhuc pareret, graveq; inter ipſos & Chriſtia-

ſtianos, bellum flagraret, quodam in conflictu inter alios captus eſt Chriſtianus, quem Maurorum rex ob formæ venuſtatem, facilitatemque morum libertate donavit, eundem apud ſe in Palatio retinens. Inter hunc porrò, filiamque regis tanta, tamque caſta coaluit familiaritas, ut articulis hæc Chriſtianæ fidei præcipuis imbuta, Chriſtianiſque commorari deinceps avens & commori, thorum conjugalem pollicita, fugam cum captivo fuerit auſa. Cùm autem rex diligenter illos perſequeretur, in rupem hanc, ut ibidem delitescerent, fugerunt. videntes autem ſe detectos, & rupem à Mauris undiquaque circumſeptam animadvertentes, cacumen conſcenderunt, ſeque ſupplicio, quod à Rege expectabant, territi, mutuo complexu præcipites inde dederunt: ad cujus rei memoriam in ejuſdem rupis dorſo, inque viâ publicâ cruces erectæ viſuntur.

Calpe mons eſt, circuitu quidem non magnus admodum, altitudine autem ingens & erectus, ut remotioribus inſulæ formam præferat. Is mirum in modum concavus, ab eâ parte, quâ ſpectat occa-

ſum, medium ferè latus aperit, atque inde ingreſſus totus admodum pervius propè, quantum patet ſinus & ſpecus, ultra eſt, inquit Mela. Diodorus addit, Herculem fretum tam anguſtum reliquiſſe, ne grandia Cete intrarent.

Cebermæ in Galliis montis pars eſt Tarara, in cujus vertice ſedes viſitur petræ inciſa, cui Mercatores imponunt eos, qui mercatum Lugdunenſem nunquam frequentârunt, vulgò ſedes veritatis, quòd jurare cogantur, an Lugdunum unquam adierint, ut depromant, unde Genio indulgeatur, novitii. Alpium partem, quæ Jura dicitur, ubi ſaxoſum, horrendumq; jugum ab Oriente in occaſum extenditur, Julius Cæſar fecerit perviam, perforato in portæ formam ſaxo.

Eſt in Scotiâ in Slanis antrum, diſtillans aquam, quæ in candidiſſimum convertitur lapidem adeò ut cujusque rei forma inde fieri poſſit: unde Plinius In ſpeluncis quibusdam columnæ fiunt ex guttis diſtillantibus, quæ dureſcunt in lapides, quæ vel pendent in ipſis cameris, vel etiam deciderunt; utroque enim modo co-

columnæ ſiunt in Phauſiâ Cherſoneſi Rhodiorum,in antro magno,etiam diſcolori aſpectu.

In ipſo ſale effodiendo, in aquilonari regione, in tantam amplitudinem antra excavata ſunt, ut per curioſitatem ſpectandæ rei, quinquaginta introrſum ſcalis ſe progreſſum teſtetur Olaus Archiepiſcopus: & quandoque antra in tantam altitudinem excavari, ut ſi quando vel ipſi artifices lapſi corruerint in imum, nullâ induſtriâ extrahi poſſint, imò ibi diu viventes, horrificis vocibus emiſſis,exaudiri, & fame tabeque exanimari. Indignatur ideò Seneca: Seculum noſtrum non novis vitiis, ſed jam antiquitus traditis laborat; nec noſtrâ ætate primùm avaritia venas terrarũ lapidumq; rima in tenebris malè abſtruſa quæſivit: illi quoq; majores noſtri quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti, montes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruinâ ſteterunt. Ante Philippum Macedonem reges fuêre, qui pecuniam in altisſimis uſque latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent

ſpecus, in quos nullum noctium dierumq; perveniret diſcrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incurvavit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, ut erueret aurum, non minore periculo quærendum, quàm poſſidendum? Propter hoc cuniculos agit, & circa prædam lutulentam incertamque reptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à quâ ſe avertit. Nulli ergò mortuo terra tàm gravis eſt, quàm iſtis, ſupra quos avaritia ingens terrarum pondus injecit, quibus abſtulit cælum, quos in imo, ubi illud virus malum latitat, infodit. Illò deſcendere auſi ſunt, ubi novarum rerum poſitionem, terrarum pendentium habitus ventosque per cæcum inane experirentur, & aquarum nulli fluentium horridos fontes & altam perpetuamque noctem: deinde cùm iſta facerint, inferos metuunt.

Ariſtoteles refert, in metallis Lydiæ juxta Pergamum, quorum Cræſus fuit author, conſertum eſt quoddam prædium, atque opifices eò confugerunt: verùm

rùm ore obturato suffocati sunt: postea longo tempore interfecto, metallis apertis, inventa sunt vasa, quibus ad manuum usum utebantur, in lapides commutata: ac amphoræ ac vasa reliqua hujusmodi quocunque liquore plena fuerant, unà cum hominum cadaveribus præterea in lapides sunt conversa.

Mela: Non procul à Pompeiopoli Corycos oppidum supra specus est, nomine Conthyus, singulari ingenio, ac supra quàm ut describi facilè possit, eximius: grandi namque hiatu patens, montem littori adpositum, & decem stadiorum clivo satis arduum, ex summo statim vertice aperit: tum altè dimissus, & quantum dimittitur amplior, viret lucis pubentibus undique, & totum se nemoroso latere orbe complectitur, adeò mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo adspectu consternat, ubi comtemplati duravêre, non satiat. Unus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuũ per amænas umbras, & opacæ silvæ quiddã agreste resonantis, rivis hinc inde fluctantibus. Ubi ad ima perventum est,

eſt, rurſus ſpecus alter aperitur ob alia dicendus: deinde aliquamdiu perſpicuus, mox & quò magis ſubitur, obſcurior, ducit auſos penitus, alioque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens tantummodò ſe oſtendit, ut, ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demerſus abſcinditur, intra ſpatium eſt magis, quàm ut progredi quisquam auſit, horribile, & ideò incognitum.

Dubitare liceret, & aſſenſum ſuſpendere, niſi Solinus eadem referret, ſed brevius: Corycos oppidum eſt, ibique ſpecus, qui montem oppoſitum mari à ſummo cavat vertice, patulus hiatu ampliſſimo: nam dejectis lateribus in terræ profundum nemoroſa amplectitur, mediâ inanitate virens introrſus lucis pendentibus. Deſcenſus in eum per duo millia & quingenta paſſuum, non ſine largo die, hinc inde fontium aſſiduâ ſcaturigine. Ubi perventum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur, quod antrum lucis primum patet faucibus, progreſſu progreſſu ad angu-

gustias obscuratur. Plinius & Strabo hoc ipsum innuunt, ad Seleuciam scilicet.

Rem ita terminat Seneca: sunt sub terrâ minus nota nobis jura naturæ, sed non minus certa. Crede infra, quicquid vides supra. Sunt & illîc specus vastæ, sunt ingentes recessus, ac spatia, suspensis hinc & inde montibus, saxa; sunt abrupti in infinitum hiatus, qui sæpè, illapsas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidêre.

Strabo tradit, juxta Metaurum Siciliæ esse antrum, per quod ingens fluvius diu, longoque tractu, alveo subterraneo percurrens, tandem in apertum campum emergit. In Lucaniâ, quam vulgus Basilicatam nuncupat, est specus alta pedes 30. lata 50. continetque lacum in medio, cui supereminet scopulus, æque magno fragore fluvius erumpit vehementissimus. In Hetruriâ apud Volaterras in sylvâ antrum est, unde tantus quandoque spiritus ventusque erumpit, ut quæque obvia dejiciat, vel ipsas arbores.

Redimus nunc ad montes & cum admiratione audimus Surium: In Islandiâ insulâ

insulâ quæ in Oceano sita, æstivo solstitio noctem nullam, brumali nullam diem habet, mons est occidentem versus, Hecla dictus, à quo non longè absunt fodinæ sulphuris, quod inde copiosissimè plenis navibus evehitur. Mons ille cùm furit, haud secus atque horrenda tonitrua insonat: projicit ingentiã saxa, sulphur evomit, cineribus egestis; terram circumcirca tàm longè operit, ut ad vigesimum lapidem, vel milliare coli non possit. Sunt ibi multæ voragines, ita cineribus opertæ, ut vix evitari possint ab illis, qui, ut ejus incendii naturam explorent, propius montẽ accedunt; è quibus pleriq; vivi voraginib. absorbentur. Emergit illîc ignis quidam, qui aq̃ absumit, stuppam non absumit. Et Prior eo Saxo Grammaticus: incendia sempiterna jugi flammarum eructatione continuat, cujus rei admiratio est, cùm tellus extremis subjecta frigoribus tanti caloris fomentis exuberet, ut ignium perennitatem arcanis instruat nutrimentis, cęterumque foventis ardoribus præbeat incentivum.

Sunt & perpetuæ in montium cacu-

mi-

minibus nives, quæ nullo æstu liquari penitus possunt, nec æstate tantùm, verùm nec igne erumpente, ut in Æthnâ patet, qui perpetuas habet nives, igni mixtas: apud Solinum. Æquè memorabiles sunt Doffrinii montes in Suetiâ, quibus perpetuæ nives in tantam amplitudinem sunt etiam æstivo tempore, ut cùm è summo vertice avicula vel partem tantillam nivis loco moveat, eaque deorsum præceps rotetur, ni pilæ modum descendat usque ad imum montis, augeatur in adeò grandem molem, ut domos, turres, vicosque suo pondere oppresserit atque destruxerit, teste Olao.

De Olympo ita Augustinus: Mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine suâ totum istum aërem humidum, in quo aves degunt, ideò nec ibi aves volare asseverantur: quod ab eis perceptum dicitur, qui per singulos annos, nescio quorum sacrificiorum causâ, memorati montis cacumen

men ſcandere, & aliquas notas in pulvere ſcribere, quas alio anno integras inveniebant: quod fieri non poſſet, ſi ventum aut pluviam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aëris illius, qui ibi eſt, non eos inſpirabat, durare ibi non poterant, niſi ſpongias humectatas naribus applicarent; unde craſſiorem & conſuetum ſpiritum ducerent. Hi autem indicaverunt, ſe etiam nullam avem in eo loco aliquando vidiſſe.

Nolumus huc retrahere Abrachatanam urbem felicis Arabiæ, planiciem verticis montani occupantem, ubi vix bini conſcendunt, cum ciſternâ, quod pluviæ defiant, ut vel centena millia hominum ibi dantur, in loco temperato, qui cutem albam, uti Europa conciliet; Sultani theſauris olim dicatus, quos nec centum Cameli ferrent; nec in regno Balaxiam Perſidis montes, qui uno die conſcendi non poſſunt, attamen in ſummo habent campeſtria adeò plana, ut amænitatem quamlibet ſuperent & arboribus & herbis & fontibus; nec Æthiopiæ illos, qui præru-

ptis

ptis lateribus, tanquam ferro cæſis ad perpendiculum, ad novem, & duodecim & quindecim millia paſſuum exurgunt, ſupra oculorum aciem, ubi Preto Joannis educantur liberi: nec illum Maluæ, ferro undique præciſum, ut eundem circuitum in radicibus è in coronâ ſervet, altiſſimum tamen, prorſus ſterilem, latiſſimum, ingenti monaſterio ornatum: non ſub eodem tractu, in pyramidum modum erectos, inſtar arborum conſitarum, ut videantur turres prȩaltæ, parvi ambitus & ſpatii, vel naturâ, vel arte architectrice: ſed Æthnam ſuſcipiamus à Solino.

In Æthnæ vertice hiatus duo ſunt, crateres nuncupati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo prius fremitu, qui per æſtuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera dui volvitur, nec ante flammarũ globos attollit, quàm interni ſtrepitus antecedant. Mirum hoc eſt, nec illud minus, quòd in illâ ferventis naturæ pervicaciâ mixtas ignibus nives profert, & licet vaſtis exundentur incendiis, apices canitie perpetuâ brumalem detinent faciem. Itaque invicta in utroq;

vio-

violentia; nec calor frigore, nec frigus calore dissolvitur: facto terræ motu, ad insulam Lyparas mare efferbuit, & quibusdam adustis vapore navibus, plerosque ninavales exanimavit, piscium vim magnam exanimem dispersit, quos Lyparenses avidius epulis appetentes contaminatione ventris consumo sunt.

Duo hîc præter superiora miracula: cùm enim sit editissimus, undecunque præruptis lateribus, in summo amænissimus campestri planitie jucundus est, præcipuè fontibus ibidem scaturientibus. Cineres ejectitii apud Catanam in lapideam duritiem abiêre: egestus cinis & pruinâ cooperitur.

Eodem ferè modo ardent Vesuvius & Haurus Campaniæ, post Chymeram Lyciæ Vesuvii incendium eleganter ad Tacitum Plinius junior.

Erat avunculus Plinius Miseni, classemque imperio præsens regebat. Calendis Novembris, horâ ferè septimâ, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitatam & magnitudine & specie: surgit ille, & ut à Sole solebat, frigidâ gustatâ, jacens enim stude-

ſtudebat, popoſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maximè miraculum illud conſpici poterat. Nubes, incertum procul intuentibus, ex quo monte (Veſuvium fuiſſe poſteà cognitum eſt) oriebatur: cujus ſimilitudinem & formam non alia magis arbor, quàm pinus expreſſerit. Nam longiſſimo velut trunco efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur: credo quia recenti ſpiritu evecta, dein ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa in latitudinem vaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida & maculoſa, prout terram cineremve ſuſtulerat.

Magnum id, propiusque noſcendum, ut eruditiſſimo viro viſum eſt, quadriremem aſcendit; omnes illius mali motus, omnes figuras ut deprehenderat oculis, dictavit enotauitque. Nam navibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior & denſior; jam pumices etiam, nigrique & ambuſti & fracti igne lapides, jam vadum ſubitum, ruinæque montis littora obſtantia. Interim dum apud Pompejanum ſenior Plinius jam conſediſſet, è Veſuvio monte pluribus locis latiſſimè flam-

mæ

mæ atque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebras noctis excipiebat. Area, ex qua diœta adibatur, ita jam cinere, mixtisque pumicibus oppleta ſurrexerit, ut ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur: crebris vaſtisque tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis nunc huc, nunc illuc abire, aut ferri videbantur.

Sub dio rurſus, quanquam levium & excſorum pumicum caſus intuebatur, cervicalia capitibus impoſita linteis cõſtringunt: id munimentum adverſus incidentia fuit. Jam dies alibi, illîc nox omnibus nigrior denſiorque, quam tamen faces multæ, variaque lumina ſolvebant. Deinde flammæ, flammarumque prænuntius odor ſulphuris alios in fugam vertunt: ipſe verò Plinius duobus innixus, ſtatim concidit, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho interiit. Novum hoc fuiſſe incendium Veſuvii patet ex cadentis cadentis ſtudio, & Oroſii libris: abruptum tunc Veſuvii montis verticem, magna profudiſſe incendia ferunt, torren-

tibus-

tibusque flammarum vicina regionis cum urbibus hominibusque delevisse.

Procupius : Vesuvius abest à Neapoli stadiis septuaginta, præcisusque undique est : inferiora ejus frequentibus filius umbrosa, superiora abrupta & ferè invia. Hujus in montis cacumine medio hiatus profundior patet , ita ut conjectari sat possit, in penitissima terræ hunc penetrare , ignemque ex infima parte existere , quivis poterit conspicari, qui in ejus voraginis supernum os procumbere ausit; unde & flamma semel commota altius citatur: nulli tamen , qui eâ in regione sunt, hominũ negotium exhibet. Verum tamẽ aliquando sonitũ mugitui similem is mõs edidisse memoratur, ac non longè post cineris vim quandam ingentem emisisse, ac depræhendisse, qui illac iter facerẽt, ita ut nulla vitæ spes superesset, quandoquidem & quas domos contigisset , ad casum impulerit : Quin & vento flante, in remotissimas vicinis regiones delatus est. Antiqui memorant, Constantinopolin usq; delatum, ac perterruisse incolas adeò, ut annuæ preces eam ob causam fuerint in-

ſtitutæ: ſed & Tripolim Lybiæ usque delatum memorant.

Cùm igitur in ſuam tantùm regionem is cinis eructatur, omnium frugum jactura imminet. eſt alioqui in ipſo monte aër quidã nitidiſſimus, & ſuâpte naturâ omnium ſaluberrimus, quò à medicis mittũtur, qui diutinâ tabe affecti ſunt. Addit, aliquando cum cinere etiam lapides eructari, quandoque etiam flummas, quarum velut illuvie ignis usque ad radices montis protenditur, omnia abſumens: ſunt tamen ad montis infima aquæ potabiles. Memorat Zonaras; Titi anno primo, ſub autumnum, immani tumultu, quaſi montes inter ſe colliderentur, ſubitò exaudito, primùm ingentia ſaxa exilierunt, deinde magnus ignis, & fumus immenſus, ut Sol occultaretur & lux in tenebras converteretur: Eſt & cineris vis ineffabilis effuſa, quo in aëre, terrâ & mari diſſipato, piſces & volucres perierunt, & duo oppida, Herculanum ac Pompeianum, populo in theatro cõſidente, ſunt oppreſſa. Tantum porrò cineris fuit, ut aliquantum etiam in Africam, in Ægyptum & Syriam, ipſam-

ipſamque Romam perferretur. Incendium ſemel exitu in vento, ſæpius iteravit, etiam ante pauculos annos, cum clade adjacentium populorum ſummâ.

Sed Vulcanum terrâ oppreſſum eluctantemque faciamus miſſum; In Scotiâ, ad oſtium Forteæ fluminis in medio mari, altiſſimus extat ſcopulus, è cujus ſummo vertice largiſſimus aquæ dulcis fons ſcaturit, ut ita mirari oporteat, è mari dulcem, largumque fontem manare, & ex aridiſſimi altiſſimique ſcopuli vertice largas fluere aquas.

Mons ingens in Burgundiâ à proximo monte dehiſcens, vallesque proximas dehiſcens, multa agricolarum millia oppreſſit, ut Wernerus in faſciculo refert, ac per multa milliaria ſe diffundens, rurſum quinque millia ſuffocavit, ac tandem mirandum in modum aliis montibus acceſſit, anno C. 1230. Apud lacum Benacum, non procul à Salodio, magnum in modũ ſe aperiens ad imum dehiſcere viſus eſt mons, anno C. 1457. referente Matthæo Pariſienſi.

Lucio Marcio, & ſexto Julio Coſſ. in

agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque, inter eos flammâ fumoq; exeunte interdiu, spectante è viâ Flaminiâ, magnâ equitum Romanorum, familiarumque & viatorum multitudine: eo concursu villæ omnes elisæ, & animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata: Plinius.

Norwegia habet montem Monachũ, qui eminet summo vertice, sicut homini ab humeris eminet caput: deinde sub humeris rupes abscinditur, efficiens cuculli monachalis formam, reliquum verò, quod à cucullo ad imum montis superest, referre videtur monachalis vestis ad talos usque partem.

In majore Polonia, prope Snenum oppidum, res incredibiles, ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vasa fictilia sponte nascuntur, & sub terra effodiuntur mollia, mox in aërem prolata, durescunt; Cromer.

In monte Corina Cretæ nulla musca mel; neq; aliæ ibidem natum attingunt, referente Bocatio.

Mons

Mons Uranius non procul à Chalcedone, fontem habet olei, ubi appropinquans exuitur veſte: & oleo hauſto fons magis redundat.

Feſulanus mons lapides habet plumbeos, qui ſi excidantur, brevi novis incrementis inſtaurantur.

Maul in Britannia habet ſub radicibus lacum, cujus aquæ feſſa animalia adeò reficiunt, ut nullo videantur labore debilitata: eodem referente.

Mirum nî hîc noſtra triumphat Europa. Et apud pſalten legimus c. 29. montes Libanon & Sirion ſaltaſſe ſicut vitulum: in quem locum Druſius: noſtra ætas vidit montem in Britannia terræ motu ſubſiliiſſe, in aliam ſedem transgreſſum. De Uſia in templo ſuffiente Joſephus: Motus ingens terram concuſſit, fiſſoque templo ſplendidum effulſit Jubar Solis, atque in regis faciem incidens effecit, ut lepro protinus eum invaderet. Quin & extra urbem, cui nomen Eroge (fortaſſe legendum Seroge, quod denotat portam vallis) dimidium montis ad occidentem vergentis revulſum, per quatuor ſtadia

volutum, ad orientalem montis partem consistit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis.

Anno decimo octavo, supra millesimum sexcentesimum, vigesimo quinto die Augusti Rhætia sensit & vidit flagellum indignantis Dei, cùm Plausia, oppidulum ad radicem montis præalti; media parte ejus obrueretur. Prout opulentia tollit cornua, cives illi in transmittendis & mercibus & hospitibus, & hâc & illâc occupatissimi rem fecerant, luxum adsciverant, pastoribus animarum parum morigeri: gliscit dissidium sacrorum, aliis imperium democraticum, aliis regium placet, dum omnes quietis impotentes, ambitioni, avaritiæ adeoque factionibus vela tendunt. Qui pecus egerat pastum, animadvertit hiatum, quasi serra inducta per medium cacumen in latera usque; monet, sed frustra. Itaque ruit mons, & sesqui mille mortales ruina involuit, rivum propellit versus alteram vallis partem, & aquas facit superius stagnantes. Ausa avaritia ex Sodoma aliquid repetere, sed fossores dæmonibus terrentur, &

quæ

quæ aurea argenteave effossa lites gravissimas serunt, jàm à præfecto provinciali abstinentur.

Discite mortales, casus & tempora vestra:
Qui modo ludebat tartara vinus adit.

CAP. XXX.

DE TERRA.

M*Etallorum* omnium innumeræ per totam Sinam sunt & oppidò divites & copiosæ fodinæ. Aurum & argentum ne eruatur, lege cautum est, eò quòd noxiis existiment terræ exhalantibus vaporibus in mineris passim intereant homines, quorum vitam pluris, quàm aurum & argentum, (propter quæ Europæi & terrarum viscera scrutamur evacuamusque, & terræ superficiem hominibus) ab Imperatoribus ac regibus æstimari par est. Aurum tamen ex fluminum ripis colligere omnibus licet, & vel sic facilè ingens ejus vis comparari solet, quod potius merces hîc est, quàm mercium pretium.

Argenti vivi, æris, ferri, ſtanni, cupri, minii vel Cinnabaris, lapidis lazuli, vitrioli mineralia effodiunt. Per totam provinciam Suchuen etiam magnes præclarus reperitur: tum viridis color, isque præſtantiſſimus ad Liucheu civitatem majorem; etiam in provincia Heuquang. Eſt autem color viridis in montibus Yochen lapis, qui in pulverem redactus, præclariſſimum colorem viridem pictoribus ſubminiſtrat.

Fennio quod Quangtung provincia dat, adeò nobile eſt, ut fiſtulæ ex eo fuſæ pro bombardis, nunquam diſſiliant, ſed ſi nimium infarciantur pulvere, aut vim ignis nimiam ferre non poſſint, ut ſummum, finduntur, aperiunturque aliquantum absque adſtantium noxa, ex eo fortaſſe, quòd ligneo carbone illîc liquefit ferrum, qui lentitudinem illi aliquam cõciliet, ac viſcoſitatem relinquat; non foſſili, qui nimium indurat ferrum & conſtipat.

Marmor effoditur in territorio Kaocheu, provinciæ Quangtung, etiam ad urbem Tali, provinciæ Junnan, quod in lami-

laminas secant, amantque pro mensis, similique supellectile adornanda: notis enim quibusdam, ceu venulis variegati coloris ita sunt à natura depictæ, ut montium, aquarum, arboris, floris, regionisque subinde alicujus figuram referant, quasi erudita manu, egregioq; penicillo omnia essent adumbrata.

In provincia Peking effodiuntur *cristallus* lucidissima, marmor & porphyrites: etiam *Iaspis* variegati coloris in montibus Xaitung, provinciæ Xansi.

In provincia Xensi, præter cætera pretiosiora cimelia, Jaspidem afferunt montes, & lapidem ibidem magno in pretio atque æstimatione habitum, *Yu*. Comparatur à mercatoribus ex regno Yarken, quem magno hîc distrahunt quæstu & lucro. Gagatem aut Jaspidem Europæum refert, nisi quod pellucidior sit, & intermixto subinde tenuiore colore cæruleo albescat. Facilè quis credat, unum hunc esse ex iis, quos sacræ literæ recensent, atque inter duodecim lapides illos pretiosos, qui vesti Aaronis attexendi erant, enumerari, si modò magnitudo lapidis qua-

drata tanta reperiri possit, ut unum illius latus dimidium palmum æquet: qui tum inæstimabilis evadit pretii, atque à solo Imperatore comparatur.

In monte Jo, ad Chingyuen, sub Xensi, reperiuntur lapilli pellucidi, quique *adamantas* referunt.

In monte Kiun *marmor rubrum* invenitur.

Sub Kingcheu, in Huquang, etiam in Quenlin, sub Quangsi, optimi lapides sunt, quibus Sinæ *atramentum* suum tritum ita temperant, ut Europæi pictores suos colores. Est & lapis ad Nanhiung, in Quangtung, Sinico atramento simillimus, quo, ut Europæi Cretâ, ad scribendum in tabulis rasis ac candidis utuntur.

Ibidem lapidis genus adeò *durum*, ut ex illo se cures ac cultellos saxeos conficiant.

Ex provincia Peking petunt Sinæ lapides *Lydios* ad dignoscendum aurum: aliosque ob colorem duritiemque æstimatos.

In provincia Honan, sub Changte urbe,

be, circa Çu civitatem, quidam mons est, reliquis licet non magnis major, Magnes à *magnete*, qui ibi effoditur dictus.

Sub urbe Paoming habet Pa civitas montem Jo, è quo *pretiosi* effodiuntur lapides; sed mons difficilimè conscenditur.

In Suchuen, circa Kienchang est mons Tiexe, ex cujus lapidibus igne liquatis *destillat ferrum* ad acinaces & gladios aptissimum.

Sub Hoangcheu, in Huquang est mons Cui Pao, in quo lapilli reperiuntur, qui Soli expositi *rubescunt*, alii flavescunt, & colorem aliquanto tempore servant.

Sub Chingtien, urbe est mons Çucai, in quo & arbores & lapides omnes *rubri* sunt coloris. Mons Cheching in Chekiang ferè totus rubescit.

Hoan mons propè Ganhiang in Huquang, luteus dicitur, quòd tota terra ac lapides *auri colorem* quodammodo referant. Ita Taguen ad Vuchang in Huquang lapides & glebas habet aurei coloris. Ad Cioking, in monte Kinhoa, sub Junnan,

vertex quidam totus aureus apparet.

Kinmaman propè Kiuchin in provincia Junnan, dicitur mons, à diversi coloris lapidibus, *equum* referentibus.

Ad Chungchang provinciæ Xensi, sunt lapilli *cærulei* coloris, vergentis in nigredinem, albis venulis distincti, qui apud magnates magno in pretio sunt: in calcem namque redactos, solutosque in tenuissimum pollinem, ac medicamẽti loco sumtos, ad vitam producendam plurimum prodesse vulgò creditur.

In Uxe monte, provinciæ Huquang, *nigri* lapilli reperiuntur, quorum pulverem medici contra gutturis morbos, & anginam præcipuè adhibent.

Chinquan mons, quadraginta occupat stadia, & ad partem Australem habet verticem quendam, qui à lapidum *discolori* varietate flos dicitur.

Sub Hengcheu, ad civitatem Queixang est mons Xeyen, lapidea *hirundo* dictus, quòd in eo, post lapsas pluvias, lapides inveniantur, omninò hirundines referentes: imò inter eos mares ac fœminas,

nas,

nas ex colorum varietate medici distinguunt, & ad medicamenta conficienda adhibent.

Ciepuon mons propè Lochi, sub civitate majori Tungchuen, aquis, miraque lapidum varietate conspicuus, pulcherrimam omninò *picturam* refert.

Sub Taicheu in Chekiang est mons Gueiyu, in quo omnes lapides, tum parvi, tum magni, figura sunt *quadratâ*.

Circa Siaoxan civitatem in Chekiang latomia est, ex qua maxima Sinarum pars suos petit lapides.

Prope Tunguon, ad littus maris visuntur sex supra triginta parvulæ insulæ, quarum una est Xanhu, à *corallio*: quòd piscator aliquando illîc corallii rubri eduxerit ramum.

In monte Vutu ad Lantien, sub Xensi, effoditur minerale *Hunghoang*, contra venena omnia, malignas febres, caniculariumque noxios dierum æstus, tanquam præsens remedium ac præservativum. Sumitur vino maceratum, coloris est rubicantis ac flavi, punctis nigellis intermistis: lapillum cretacium, aut terram du-

riorem refert, coloreque ſubinde non ita multum differt à minio, niſi quòd ad albedinem magis nonnihil accedat, & ad pingendum minimè ſit aptum: apud Europæos minimè notum, nulla ejus in authoribus mentio. Idem invenias ad Po civitatem militarem in Suchuen, & ad urbem Chungchang ſuperioris provinciæ.

Ex Fangtai monte effoditur talcus, ſeu *vitrum Moſcoviticum*: ejus magnam copiam præbet mons Jumo: in calcem redactus, vino miſtus & epotus, creditur à Sinicis medicis ad vitam longiorem plurimum conferre. Effoditur & ad Fungyang, ſub Nanking.

Ad Cincheu, ſub Quangſi effoditur terra quædam *lutei* coloris, quæ præſens contra omnia venena præſtat antidotum.

Urbem Jaucheu, in provincia Kiangſi maximè commendat elaboratio ac copia ſcutellarum Sinenſium; quas *porcellanas*, neſcio unde petito nomine vocant, & nullibi in toto regno faciunt præſtantiores, quàm in pago Feuleang Civitatis. Licet enim alibi terram, ex quâ fortè confici poſ-

possint, habeant, nullo tamen modo ad ista accedunt. Imò, quod admiratione dignum, terram, ex quâ eas efformant, non ex hujus provinciæ solo hauriunt, sed ex Kiangnan provinciæ urbe Hoiecheu advectam accipiunt: neque ibi, licet tanta illius adsit terræ copia, ullo modo eas effingere queunt. Sunt qui id aquarum temperaturæ adscribant.

Ex hoc ergò hujus urbis pago, omnes scutellæ illæ, ac vasa Sinensia sunt, quæ à rusticis rudibusque hominibus figlinâ arte elaborantur eodem modo quo Faënses in Italiâ. Coloris varii sunt, licet omnes ex subtilissimâ illâ argillâ, ac aliquantulum diaphanâ constent; quæ colore illinuntur croceo, variisque draconum figuris illusæ sunt, regio destinantur palatio: pro vulgo fiunt rubræ, luteæ, ac cæruleæ; ad cæruleum glastum adhiberi solet à Sinis, quod ibi magnâ reperitur copiâ, præcipuè in australioribus provinciis, quo etiam ad tingendas vestes utuntur.

Quàm verò rara ac præclara hîc fiant vasa, longum esset referre, nullam esse formam, nullum florem, figuramque pinges, qui

qui non eandem ex porcellanâ argillâ apud ipſos admittat. Quanta verò horum vaſorum ſit copia, facilè quivis colliget ex ea ; quam quotidie videmus in Europa noſtra. At mirandum, unde hic increbuerit rumor, ex ovorum teſtis, aut contuſis corchulis marinis præparari hanc materiam , idque ex relatione quorundam, centum annorum ſpatio repoſitam ab avis pro ſucceſſuris nepotibus. Planè rerum gnaris ridicula hæc ſunt , & merè commentitia, namque omnia ex terrâ, quæ ad hunc pagum de urbe vicina Hoeicheu advehitur, figlina arte fiunt. Terra autem illa non pinguis ut Creta eſt, ſed veluti arenula pellucida, quam macerant, & adſperſa aqua in maſſam cogunt. Quin & ex fractis vaſculis denuò fruſta comminuũt, atque iterum nova vaſa efformant , ſed quę ad priorum vix accedant nitorem aut pulchritudinem.

Quod præterea hæc vaſcula commendat, eſt quòd eduliorum, etiam ferventiũ, vim innoxia patiantur ; imò, quod magis mirandum, fruſta inter ſe claviculis æreis, filoque conſuta, liquorem continent, nec

trans-

transmittunt: cujus sutoriæ artis periti totam passim Sinam obambulant, qui ad foraminula efformanda subtilissimum adhibent terebellum, cujus cuspis ex adamante est, quali Hyalo sculptores in Europa ferè utuntur, aut ii potius, qui apud Mediolanenses cristallum montanam perforant. Per flumen Po arena porcellanæ naviculis devehitur.

In Chekiang fiunt *vasa lutea*, ex paulò crassiori, quàm porcellana terra, ad plebeiorum usum.

Sub Changcheu in Nanking est civitas Guiling, terræ gloria dicta, quòd ibi figlina arte *vascula* illa fiant, quibus ad diluendum, potandumque Cha suum, tanquam aptissimis utuntur. Idcirco autem Sinæ ea Kiangsiensibus, splendoribus licet, magisque diaphanis præferunt, quòd saporem aliquem ac odorem à Sinis expetitum, potui illi tribuant; inde maximi apud eos fiunt, totaque civitas eo in opere plurimum occupatur. quædam ex illis vasculis magno veneunt pretio, ac Estremosia illa Lusitaniæ aut superant, aut æquant.

In Peking reperitur optima & subtilissima

ſima *arena* ad gemmas poliendas, quæ pro vitris opticis elaborandis adhibetur, optimo eventu, Europæo Smiride melior, quod abradat, nec offendat; unde per totam Sinam divenditur.

Mons Lungnien in Quangtung, rudes habet quosdam *lapides*, miris & exoticis conſtantes figuris.

Pulvis moleſtiſſimus eſt in Peking, quòd totius terræ nitroſa ſit conſtitutio: unde licet raræ cadant pluviæ, matutino tempore tota aſtaret humida, ſed exorto Sole ſiccatur, & tota in pulverem ſubtiliſſimum reſolvitur, nec eſt angulus, quem ille non penetret, fœdetque; cui moleſtiæ velum inventum, quod è pileo ad pectus uſque dependet, & faciem contegit: de quo inferius in Moribus.

In Suchuen copia *ſuccini* invenitur utriusque ſpeciei, flavi nimirum, quale in Europam mittit Polonia, & præcipuè rubicundioris. Putant quidam ex defæcatis illud oriri pinorum medullis, temporis longinquitate induratis ac pellucentibus: de fictitio vide Artes.

In Huquang, circa Changte urbem inveni-

venitur *manna.* Colligitur etiam in altissimo vertice inter quinque alios in monte Mung, prope Minxan; Sinis est ros congelatus.

Tape mons ad Lingkieu in Xansi, præbet fossoribus terram adeò rubram, ut minium, quo ad sigilla rubra Sini ea imprimenda utuntur, suppleat subinde.

In monte Nieuxeu, per Xansi, terra effoditur *candidissima*; quæ à mulieribus loco cerussæ expetitur & adhibetur: pulchritudinem quippe earum auget, dum aqua diluta, omnes nigricantes corporis maculas ac nævos abigit atque delet; Queiki, hoc est, nobilis fæminæ, dicta.

In monte Jo ad Lantien, provinciæ Xensi, eruitur minerale *cæruleum*, quod veluti glastum, ad tingendas vestes expetitur.

In Xansi tota provincia carbo ille effoditur, qualis ferè apud Belgas Leodiensis est: eoque ad alendum ignem, ac hypocausta calefacienda utuntur passim Boreales: prius contusos perfringunt; lapides enim sæpè ingentes ac nigerrimos effodiunt: tum, uti in Belgio moris est, aquâ perfusos mi-

miſcent, maſſasque conficiunt: difficulter quidem ignem concipiunt, at conceptum ſemel, diutiſſimè vegetum uıentemque fortiſſimè retinent.

In provincia Peking, prope Pingco ſunt montes Kie & Siuvu ubi carbo, ſeu bituminoſa effoditur terra, quam loco lignorum, pro igne ſtruendo adhibent.

Perſcrutanda & Europa, an quid, quo genius delectetur, novi depromat, aut condat. Terras & à continenti abſciſſas & inſulas continenti junctas meminimus: ſic Chalcis in inſula ſita, adeò tamen arcto interſciſſa eſt ſinu, ut ponte continenti jungatur, terraque aditum habeat faciliorem, quàm mari, adeò proxima Bæotiæ, unde terræ motu revulſam ferunt, ut Cyprum à Syria, Eubæam à Bæotia, Athlantem & Macriam ab Eubæa, Siciliam ab Italia, Belbycum à Bithynea, Leucoſiam à Sirenum promontorio. nam vehementiores terræ motus dividunt, ut hîc; & inſulas continenti jungunt: ſic Antiſſa, olim inſula Lesbo commiſſa eſt: Zephyrium Halicarnaſſo: Ethuſa Mindo: Domiſtos & Prione Mileto Arthemiſia Parthenio

pro-

promontorio. Sed & conjunctionis istius alia causa potest esse, æstus maris, arenas vehens, & paulatim aggeribus immissis, terrestre iter in insulas faciens. Hybanda quondam insula Joniæ, ducentis nunc à mari abest stadiis. Syriten Ephesus inter Mediterranea habet, Derasidas & Sophoniam: vicina ei Magnesia, Epidaurus & Oricon insulæ esse desierunt.

In totum abstulit terras primum omnium Atlanticum mare, quod fractis obicibus Europam ab Africa divisit, factoq; freto Herculeo undas intulit in Europæũ mare. Acarnania mersa est Ambracio sinu; Achaia Corinthio, Venetiorum tellus Adriatico; Europam atque Asiam Propontis & Pontus secreverunt. Ad hoc perrupit mare Leucada, Hellespontum, Bosphoros duos; Pyrrham & Antissam circa Mæotin Pontus abstulit; Elicen & Buram sinus Corinthius, quarum in alto vestigia apparent. Ex Cea insula triginta millia passuum iracundum mare olim absorbuit: in Siciliâ dimidiam Tyndarida urbem, & quicquid ab Italia deest. Anno salutis 1421. Frisiis & Hollandis multas urbes,

urbes, plures vicos, agros innumeros exundatio maris abstulit: videntur adhuc in æquore summa domorum templorumq; tecta, quæ navigantibus aut teruntur, aut vitantur.

Nascuntur terræ, nec fluminum tantùm invectu, ut Æchinades insulæ ab Acheloa amne convectæ, majorque pars Ægypti à Nilo, in quam à Pharo insula noctis ac diei cursum fuisse Homerus credidit: sed & recessu maris, sicut idem de Circeis narrat. Quod & accidisse in Ambraciæ portu decies mille passuum intervallo, & Atheniensium quinquies mille ad Pyrcæum memoratur: & Ephesi, ubi quondam ædem Dianæ alluebat. Herodoto si fides est, mare fuit supra Memphim, usque ad Æthiopum montes: itemque à planis Arabiæ. Mare & circa Ilium, Teuthraniamque, & quà campos intulit Mæander.

Nascuntur & alio modo terræ, ac repentè in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente Natura, quæque hauserit hiatus, alio loco reddende. Claræ jam pridem memoriæ Delos, Rhodosque insulæ

ſulæ produntur enatæ; poſtea & minores, ultra Melon Anaphe; inter Lemnum & Helleſpontum Nea; inter Lebedum & Teon Alone; inter Cycladas, Olympiadis 135. anno quarto Thera & Teraſia ſpectantibus nautis; inter eaſdem poſt annos 130 Hiera, eademque Automate; & ab ea duobus ſtadiis, poſt annos 110. M. Julio Syllano, & L. Balbo Coſſ. ad octavum idus Julii, Thia. Juxta Italiam una inter Æolias, altera juxta Cretam; tertia in Tuſco mari; Pithecuſæ in Campano ſinu. Et Pithecuſarum montem Epopon, cùm repentè flāma ex eo emicuiſſet, ferunt campeſtri æquatum planicie, oppidum proximum hauſtum profundo, alioque terræ motu Statinas emerſiſſe; & alio, provolutis montibus, inſulam extitiſſe Prochytam.

Natura mutuò & Fortuna de varietate certant; ac dum reſpuunt conſtantiam, altera non cedit alteri. Refert de Xantho Lydio Strabo, aſſerente, ſe vidiſſe paſſim procul à mari lapides, conchylii formam referentes, aut pectinum, aut cheramidum effigies; tum marinum lacum in Arme-

menia, & Mattienis, inque Phrygia inferiori: itaque sibi persuasum esse, campos istos aliquando fuisse mare. Si hoc argumento decidatur controversia, quam nuperrimè movit Josephus Antonius Gonzalez de Salas, Eques Hispanus, Aridam hanc nostram fuisse ante diluvium salum, & vice versa, quod terra tantum peccaverit expianda ab ipso Habelis sanguine profuso: nam navem inventam esse in Alpibus diximus sub terra, & eruuntur conchylia marinis simillima etiam ad ripam Rheni sinistram ultra Moguntiam; & ad sinistrum Mænum in colle Francofurto proximo: nisi aliquis genius ludos faciat homines, aut Natura.

Hispaniæ montes inexhaustas habent fodinas, ex quibus metallorum, auri præcipuè & argenti, tanta in Romanum illata ærarium copia à triumphantibus, Cn. Cornelio Lentulo, M. Helvio Blasone, Q Minucio Thermo. M. Porcio Catone, M. Fulvio Nobiliore, C. Calpurnio Pisone, L. Quinctio Crispino, Q. Fulvio Flacco, T. Sempronio Graccho, L. Posthumio Albino, aliisque, ut meritò dixerit & verè Anto-

Antonius Augustinus, Hispaniam id temporis Romanis fuisse eo loco, quo nunc Hispanis America.

Eruuntur & præstantissimi lapides, ad sumtuosissimorum operum & ædificiorum ornamenta; qui latè patenti, & amplissimæ negociationi occasionem præbent. Sunt & fæcundi montes lapide *Hiesso*, ex quo calcem, imò notæ singularis gluten conficiunt, quod usitato nunc nomine Architecti *Tarram* appellant, muris consolidandis, firmandisque ædificiis maximam vim habens. Hoc siquidem lapidis genus igne concoctum, contusum, perque lncerniculum cribratum, aqua deinde maceratum, calcem & tenacissimum reddit cæmentum, quod in priorem soliditatem mox coalescit; structuras tanta industria componunt, & tenacissimas muris incrustationes inducunt, ut ædificia continuo ex lapide nata, non manufacta, aut composita esse videantur. Eadem etiam calce, seu potius gypso, glutinatores utuntur in obturandis ligneis fictilibusque vasis, quæ condimentis & vario fæta liquore

in Indiam, Belgicasque regiones, & aliò transmittuntur.

Versus Tortosam & Iberum argenti sunt fodinæ : reperiuntur & lapides aureis venis, lineolisque interstincti in loco, qui Aiodes nominatur : ad promontorium Finistratum sunt ferri Mineræ : circa Segorbiam Lapidicinæ vestigia in Piacento Alabastrum effoditur : passim alumen, rubia, Calx, gyphum. Maximum incolæ quæstum faciunt ex fictilibus, quæ ipsis *porcellanæ* vocantur, elegantia admirabili confectis.

Nebrissam contendentibus ab urbe Palacios, licet alterutram capessere viam : depressionem, quà paludes & æstuaria fluminis ad quinque milliaria se extendunt, at hyemali tempore, ex Bæti flumine itinera tàm sunt uliginosa, tamque invia, ut altera, quæ est altior, sit tenenda via, Alcantaram & Caberam versus : quæ vice versa per æstatem tàm densis obsita sepultaque est pulveribus, ut transitum ferè denegent, sed quemadmodum in mari navigantibus, opus sit indice Magnetico, ne quis in maximo Solis ardore, via consueta

ſueta aberrans, ſiti conficiatur. mirum enim non eſt invenire hîc viatores, Solis æſtu ſitique enecatos. Hinc iter hàc facturi, de vino ſibi provident, coriaceas lagenas equorum ephippiis appendere ſoliti; nulla enim in tanto quinque magnorum milliarium ſpatio inveniuntur diverſoria, cùm totus ille tractus, ob aquarum abundantiam hyeme, ob intolerabilem calorem æſtate ſit inhabitabilis, & proinde incultus horridusque, ne una quidem arbore invenienda, ſub cujus umbra vires exhauſtæ reficiantur.

De pulvere Vaſatenſi in Galliis ita Sidonius Apollinaris ad Trigettium: Tantum te Vaſatium Civitas, non ceſpiti impoſita, ſed pulveri: tantum Syrticus ager, ac vagum ſolum, & volatiles ventis altercantibus arenæ ſibi poſſident, ut te magnis flagitatum precibus, parvis ſeparatum ſpatiis, multis expectatum diebus, attrahere Burdigalam non poteſtates, non Amicitiæ, non opimata vivariis oſtrea queant? an temporibus hybernis viarum te dubia ſuſpendunt. Et quia ſolet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia

confundere, quoddam vereris in itinere terreno naufragium.

De alio campo lapideo Strabo: Inter Massiliam & ostia Rhodani campus est à mari centum circiter stadiis dissitus, diametro ejusdem quantitatis, formâ circulari: is lapidosus ab eventu dicitur, est enim plenus lapidum, qui manum implere possint, infra quos gramen nascitur, abunde pascuis pecoris suppeditans; in medio autem aquæ & salinæ sunt, & sales. Tota quidem omnis, quæ superius adjacet regio, ventis est exposita: in hunc autem maximè campum ventus incumbit ac defertur septentrionalis, violentus ac horribilis, quo ferunt & lapides agitari atque volui, & homines de vehiculis deturbari, ac vi flatus armis vestibusque nudari. Aristoteles ergò ait, à terræ motibus, quibus ob ejiciendi vim Brastôn nomen est, lapides in superficiem egestos, in cava loca confestim delapsos esse. Posidonius lacum fuisse dicit, qui cum fluctuatione quadam exaruerit, ideoque in plures dissipatus sit lapides, sicut fluminum lapillos, & littorum scrupulos, similes inter se ma-

gnitudine levitateque. Sanè uterque probabilem rei rationem exposuit: necesse est enim lapides, qui sic constituuntur, non per se, aut humidi alicui concretione oriri, sed fragmenta magnorum saxorum, continentibus rupturis avulsa. Æschylus quidem intelligens, difficulter causas rei exponi posse, aut ita ab alio accipiens, in fabulam detorsit. Nam apud eum Prometheus Herculi exponens iter à Caucaso ad Hesperidas, in hanc loquitur sententiam. Veniens ad impavidas Ligerum quoque copias, Ibi bellicosus etsi sis, tamen, hoc scio, Satis arduo tibi conflictabere prælio, Fato jubente destitui te spiculis: Tellure saxa nec poteris avellere, Rigidâ soli superficie sedentia: Miserabitur tuas Jupiter angustias Videns, rotundarum & plenam lapidum nive Nubem polo subtendet, atque umbrâ solum Teget: hisce tu lapidibus armatus ferum Facilè Ligusticum fundes exercitum. Quantò inquit Posidonius, præstabat, saxa in ipsos injicere Ligures potius iisque hos obruere, quàm eò inopiæ lapidum adigere Herculem. At verò tot lapidibus opus erat

contra tantam multitudinem, ut hac quidem in parte fabulæ author probabiliora dixerit, quàm fabulæ reprehenſor. Sed aliàs quoque Poëta hæc ita in fatis eſſe dicens, non patitur in ea culpandi ſtudio, inquiri: nam ubi de Providentiâ & fato diſputatur, multa inveneris alioqui in rebus humanis ac naturalibus, de quibus diceres, Præſtitiſſe alio, quàm hoc modo ea fieri.

Prope Regiam Veterum Burgundiæ regum, *Chambrette du Roy*, ex terrâ gypſum, materiam calci ſimilem, effodiunt. Eruitur ibidem, & in Dolano agro, in Magnatum ſepulturas marmor candidi coloris, quod alabaſtrites Græcis dicitur: & aliud nigerrimum, maculis purpureis variatum.

In Umbria, ad Naris ripam, terræ genus inveniri prodit inter miracula Tullius, teſte Plinio, quod ſiccitate in lutum, pluviis in pulverem ſolvatur.

Achates per Siciliam in Achatis fluminis ripis reperitur, quippe interſcribentes eum venæ naturalibus ſic notant formis, ut cùm optimus eſt, varias præferat rerum ima-

imagines. Unde annulus Pyrrho regis, qui adversus Romanos bella gessit, non ignobilis famæ fuit, cujus gemma Aobates erat, in quo novem Musæ cum insignibus suis singulæ, & Apollo temens cytharam videbantur, non impressis figuris, sed cõgenitis: apud Solinum. In lapide Achate apparuisse Regium caput, diademate ornatum, naturalibus id exprimentibus venis, absque omni artificis manu, vidit Venetiis in Æde S. Marci Albertus Magnus: ut etiam Leander tradit, & Mantuæ in alio marmore contigisse memorat Fulgosus. Romæ in aula Palatina regia, in porphyrite, Romani Pontificis vultus, & capitis consuetum ornamentum, absque artificis manu, congenitus conspicitur.

Mansfeldia saxa habet, quæ è fodinis eruta, piscium, ranarum, aliorumque reptilium formas exactissimè à naturâ effigiatas ostentant, ad primum intuitum.

Dubitabant olim Prisci, iratine an propitii Dii Germaniæ negassent aurum & argentum, non extra omnem opinionem fætæ terræ, si vim pateretur: idem dicere licebit & degendis, quibus non penitus

caret, etiam unionum per Bavariam ferax, adeò ut finiente hoc bello defigendæ fuerint frequentes cruces in ripas fluviolorum, ut miles exauctorandus sciret, suspendio cochlearum rapinam, plerunque immaturam, lui.

Westria, (olim Austriæ opposita) cui nomen Austrasiæ nunc ferè impingunt ampliatæ, exiguis, coërcetur finibus inter Lotharingiam, Palatinatum & Mosellam, à laudatissimis Principibus Palatinis, adeoque Comitibus possessa, montes habet plurimo achate, Jaspide, Chalcedonio, marmore, at eo viliore prægrantissimos: hinc fiunt manubria gladiis, catini, poteria, armillæ, salina, cochlearia, globuli, columnulæ, ovalia ære conserenda, & quicquid ingeniosus materiæ potest induere politor. Id verò oculis jucundum, ea omnia vel uno, vel pluribus spectari coloribus, atro, fusco, purpureo, languenti, viridi, cæruleo, livido, candido, sanguineo, cinereo, ubi puncta & venulæ inseruntur, ut animum rapiant in admirationem architectricis naturæ, præsertim ubi ea imitatur herbi dum solum, & filamenta con-

fusa

ſula muſci , aut capillamenta humo repentis graminis, ſive ſplendidius, ſive obſcurius.

Cùm Aſtrologi nobis inculcent, colorum diverſitates à ſideribus influere, & in matrice terræ excoqui, jam utut illis hoc detur, quærere lubet, unde tot figuræ: an ab aſtris, an à matrice ipſa, ut quod in aërem protrudit, ex viſceribus edidiſſe videatur; an à genio panurgo, qui ſpeciem addat partui tenello, aut eam mutuetur ex ſuperficie, inventiſque mortalium. nam cur nunc viſuntur in aëre tormenta bellica, prodigiorum ratione, niſi quòd eorum uſus nunc eſt? cur militiæ romanæ acies ſuis inſtructæ armis, cur ſariſſæ, arietes, & dolabra evertendis urbibus tunc temporis inventa, cur priſcorum, naves, triremes, liburnicæ, onerariæ nobis non apparent in meteoris, niſi quia abiêre in deſuetudinem & noſtræ machinæ per aërem volitant & infimum & medium.

Cur verò id ordini, geniorum tribuetur, poſtquam Cainus cum poſteris artificiis operam dedit, Sæthus cum fideli ſobole pecuariam exercuit: obſtat tamen i-

sti sententiæ Besalæus, divinitus edoctus ad fabricandum tabernaculum domini, & vestem summi Pontificis, cum gemmis poliendis & concinnandis. Neque verò est qui dicat, alicubi locorum per Europam adeò affabrè operari naturam, ut vel hunc gloriæ apicem westria cum Sina habeat eximium.

In eâdem viciniâ fodinæ sunt argenti maximè puri, argenti vivi, & ferri, etiam ramenta cristallini lapidis, vel aratro revulsa, ubi protuberant aut succrescunt, quæ auri venas primo ingerunt adspectui. Hinc pagus Ærisvilla, & fodinæ ad Ratisvillam, tempore exercituum, paganorum repositorium: obstat aquarum colluvies, in alterâ valle, quin aurum è radice montis effodiatur.

In Hassiâ complures fodinæ & ferri & argenti, etiam per Saxoniam utramque, ubi aliquando dux descendit, & mensa usus est argentea, quæ tum è visceribus montis excisa, antequam comminueretur ad euectionem, erat constituta: unde ille gloriabatur, sibi per gratiam Dei plus quàm imperatoriam obtigisse mensam.

Hîc iterum quæri solet, quæ sint illa dæmonia, in fodinis obversantia, cur execrationibus & fistulâ ibi sit abstinendum? Dæmonia videntur valde operosè laborare, cùm tamen nihil moveant, nihil promoveant, (aliquando utique irritantur, & pœnas infligunt) id quod fossoribus divitis venæ indicium. Princeps aëris & inferni est Satan, dominatur per inferiora, donec catenis relegetur in abyssum tenebrarum, ubi ignis æternus ipsi paratus. Habuerit ille monarcha apostasiæ suos præfectos & emissarios ad quatuor mundi plagas; sint ætherei, sint aërei, aquei & terrestres, ipsi famuli; sint regnorum, fluviorum, negotiorum patroni, sint marini, sylvani, tutelares deniquè: sed quis nobis gradus istos definiet, cùm hactenus nemo eos demonstraverit; nisi ex usu Paganorum, & ex similitudine nostrorum conceptuum. Ubi sub aquis & in visceribus terræ sunt. illi campi Elysii, palatia, regiæ turbæ & splendores infernales. Injunxerit Monarcha apostasiæ suis diversissima illa ministeria, & jubendo formârit corpora illis spiritalia, terrenæ mas-

ſæ expertia, quibus inſtar inſtrumentorum utantur; & exuantur finito miniſteriæ, cùm ſcenâ excedunt. Sunt & theſaurorum cuſtodes aut perverſores adeoque ultores.

Commodùm ſuccurrit famulus, qui operam Rekenbergio, Sileſiæ baroni locaverat, & navavit ſtrenuam, omnium operum artifex egregius, ut veſtem conſueret ferrum ungulis aptaret; ephippium adornaret; tegulas concinnaret, ligna dolaret, coquinam ſtrueret, literas ſciret, & quicquid poſtularetur præſtaret. Herum is comitatur peregrè eques, & deſiderio ſuorum flagrantem rogat; an nuntiatum, vellet itineris ſcopum, & relatum familiæ abſentis ordinem: ſcriberet literas ad conjugem, mandaretq; ut literis reſponderet, latorem extemplò expediret. Seſe id tantùm moræ ſumturum. Dictum factum: Perſcribit herus ad heram, literas defert famulus, urget reſponſum; quo ablato redit in nictu oculi ad herum, & cæteras officii partes explet.

Aliâ vice, ubi in diverſorio non vacaret locus ſtabulandis equis, à moroſo equiſone

me jubetur equos vel in tectum collocare: portentum famulæ eo permissu audet equos, tanquam in montem acclivem, agere per aërem in altum; sed ob tumultum, & heri jussum retrahit, jam in stabulum recipiendos. Post certum annorum numerum dimitti petit cum testimonio probati officii, quòd teneretur, in locum suum redire, nullis heri rationibus, & promissis à mente eâ dimovendus. Recitabat autem fidelem suam operam, in omnibus, adeò ut nec liberi, nec armenta, nec famulitia, unquam id temporis minus benè habuerint. Ajunt sanè, Croatas hospitii legem servare sancta, in quosvis alios protervos: anne & hîc famulus heri fuerit lucro, aliis damno? Apagesis istiusmodi famulos: adsunto custodes, qui nullo egent testimonio, supremo judici spontè grati. Eupolemus narrat Davidem naves fabricâsse Ælanis, urbe Arabiæ, & misisse metallicos ad insulam Urphe (Uphre) in mari rubro sitam, metallis auri fæcundam, & metallicos indè aurum in Judæam advexisse. Errat tamen author, Davidi tribuens, quod Salomon fecit. Terra Ophir du-

plex fuit, una in Arabiâ propè Sabæos, altera in Indiâ. Illa fuit in Caſſanitis Ptolomæi & Stephani, quos Diodorus Gaſandes vocat & Agatharchides Caſandres, theſaurorum viros, quia aurum qui effodiunt, reperiunt magnâ copiâ in latis terræ uniculis, ait ille, quaſi terra ſponte dehiſcente, ut latentes in viſceribus ſuis theſauros metallariis retegat. Unde Diodorus ait, Aurum autem in naturalibus terræ cuniculis inventum nullum colligunt: ergò & naturales, & factitii ſunt cuniculi.

Bonitatem auri iſtius Agatharchides ſic deſcribit: Non aurum ex ramentis cum ſcientia & arte liquefactum , ſed ſponte nàtum , quod ab eventu Græci apyron nominant. Cui ſuccinet Artemidorus apud Strabonem Auri gebulas , quod multa purgatione non eget. Et Baſilius in c. 13. Jſaiæ : Aurum apyron eſt, quod nullam alienæ materiæ ambiguitatem in ſe habet, ſed quamprimum apparet, ſolo aſpectu fidem facit ſe probum eſſe , & ab omni æris aut metalli alterius cujuscunq; permiſtione purum. Theodoretus in eandem ſententiam : Apyron igitur aurum

eſt,

eſt, quod etiam ſine igne probum apparet, hoc eſt incoctum, quod multi nunc Euryum vocant. Aliud tamen eſt euryzon vel obryzon, aurum ſcilicet, quod ſæpius deſpumavit, & excoctum eſt; unde & obruſſa latinè eſt auri experimentum, quod igne ſumitur. Itaque falluntur, qui putant aurum obryzum pro Ophirizo dici, quãvis nõnulli interpretes in hac alluſiõe ſibi placeant, inprimis Chaldæus & Arabs; unde Hieronymus animadvertit pro vulgatæ obryzo in Hebræo textu Ophir ſcriptum eſſe. Diodorus porrò: magnitudinem quod attinet, minima auri glebula ad nucleum; maxima autem ad uncis baſilicæ magnitudinem accedit.

Porrò cùm nullum auri uſum ſcirent extra torques & armillos tam divitis ſoli incolæ, illud vicinis populis, Minæis ſcilicet, Gebanitis & Sabæis cum ære & ferro permutabant: eodem Diodoro referente; Cùm hoc genus metalli, aurum ſcilicet, apud ipſos ſit copioſum, æris autem & ferri magna raritas, ex æquo has merces cum mercatoribus permutant; nempe ita, ut ferrum auro rependatur pari pondere.

Quod

Quod utut superet fidem, tamen leve est præ his Agatharchidis: Et ad vicinos translatum distrahunt pretio vili admodum; æri enim triplum, & ferro duplum auri rependunt, argentum autem decuplum auri valet. Ex quo loco & Strabo corrigendus est, & interpres ejus.

His ita explicatis apparet, quanta fuerit in illis populis auri vilitas, qui non modò aurea æreis, ut Homericus Diomedes, pari pondere permutabant, sed & æs triplo auro, ferrum duplo, argentum decuplo pensabant: ut avorum nostrorum memoriâ Novi orbis incolæ, quorum auro & margaritis nihil rependebatur præter vitrea, & ahena, & fibulas, & cultellos, & securiculas, atque alia hujus generis crepundia & nugamenta. Nempe Gasandæ vel Cassanitæ hominum genus erant rude & imperitum, nec ullarum artium notitiâ imbutum; ita ut cùm in solo feraci degerent, & pro ratione climatis benè riguo, tamen agrorum cultum negligerent, piscatui solùm intenti: Quod Diodorus sic refert: Regio est omnium ferax, & soli bonitate præstans, sed solitæ culturæ est

expers, propter piſcatorum imperitiam; quaſi diceret, ideò terram negligi, quia incolæ ſint piſcatores, rerum omnium imperiti. Caſſanitas enim habitâſſe conſtat ex Marciano & Stephano in orâ maritimâ rubri maris. Ptolomæus recenſet eorum oppida vel vicos maritimos, qui coacti fuerint aurum tam vili pretio diſtrahere, cùm propter imperitiam illud tractandi, tum quia iis carebant, quę pro auro rependuntur, quorum uſus ad vitam magis eſt neceſſarius.

Inde tanta fuit auri copia apud Sabæos, quos Strabo auriferæ regioni facit vicinos, beatiſſimæ terræ. Carbos tamen Diodorus interponit medios, gentem obſcuram, & unico portu notã, ad quem fontiũ amænitas aquatores invitabat. At in Ptolomæo Sabæ Sabæorũ metropolis propè attingit fines Caſſanitarũ. Et huc referendum, quoties ſcriptura mentionem facit auri Sabæi in pſalmis & Prophetis, Iſaia utique & Ezechiele: tum in libro Regum: Regina Sabæorum ingreſſa eſt Jeruſalem cum exercitu numeroſo, camelis ferentibus aromata & aurum valde multum: &

dedit

dedit regi centum & viginti talenta auri: sed & cùm apud Plinium Ælius Gallus Sabæos dicit esse ditissimos auri metallis, quia veteres nullas observant auri fodinas in Sabæis propriè dictis, aurum omninò intelligitur vicinorum Cassanitarum, qui vel erant sub Sabæorum jugo, vel aurum suum cum ipsorum quisquiliis permutabant.

Idem aurum ex proprio loci nomine vocatur aurum Ophir. neq; n. ad Judicum aurũ ꝑtinent omnia Scripturæ loca quib. agitur de auro Ophir. Sic non verisimile est, Jobum capite vicesimo secundo, & vicesimo octavo, agere de India, quia ætate Jobi, qui Jacobo Patriarchæ penè fuit æqualis, ad terras illas, tanta terrarum & marium intercapedine à Judæa dissitas nondum patuerat accessus. Sed nec Iudicum aurum intelligitur, ubi David legitur obtulisse mille talenta auri Ophir, quia in remotiorem illam Ophiram navigationem Salomon & Hiram primi instituerunt. Itaque cùm in illis locis constet Ophir nomine terram significari Judææ propiorem, quàm sit India, hanc nemo cordatus alibi quæret, quàm ubi magna

vis

vis fuit auri præstantissimi, quodque facilè eruebatur & vili pretio distrahebatur.

Fuit & alibi aurum etiam in Arabiâ: sic ex Joba Plinius in sinu Persico describit littus Hammæum ubi auri metalla: Et per Deboas fluit amnis, auri ramēta deferens: unde nomen genti, nam deheb Arabibus est aurum. Hinc Dionysius Periegetes thure gloriantur arva, & montes auro. Sed ut taceamus, nullibi à veteribus tam eximium aurum describi, nec tantæ fæcunditatis; cùm Ophir, id est, incolæ terræ Ophir, fuerint è stirpe Jectan, non potest illis commodior sedes assignari, quàm in eâ parte Arabiæ, in quâ consederunt cæteri fratres.

Interim non diffitendum, aliam fuisse Ophiram remotiorem, nempe Salamonis Ophiram, in quam singulis trienniis semel navigabatur; unde præter magnam vim advehebantur ligna almugghim, ebur, simiæ, pavones, lapides pretiosi. Hanc Arabiæ non esse Ophiram quam in Cassanitis posuimus ad sinum Arabicum propè Sabæos, multa docent. 1. quòd in hoc itinere triennium insumebatur. 2. non potuit

tuit ebur ex Arabia afferri, in qua Elephanti nulli ſunt: niſi quis ebur putet ex Adulitis eſſe allatum. 3. conſenſus veterum, qui Ophiram in India ſitam eſſe clamant. Tamen in qua parte Indiæ fuerit Ophira non ſatis conſtat. Quidam in novo orbe quærunt, atque aurum Parvaini volunt eſſe aurum Peruviæ, de ebore non ſolliciti, quòd eò loci planè ignotum, nec de ratione itineris, quod ante uſum pyxidis magneticæ fuit prorſus incertum. Alii Ophiram quærunt in regno Pegu: alii, ut Joſephus, & plerique veterum, in Aureâ Cherſoneſo, quæ hodie Malaca dicitur; alii in Africæ regione Cephala, vel Sophala, Chaldæum interpretem ſecuti, qui claſſem in Ophir profecturam ſemel atque iterum vocant navem Africanam in hiſtoria regum. Quo trahuntur illa Origenis in Jobum: Ajunt nonnulli interpretum, Sophir eſſe Affricam: ubi Sophir pro Ophir ponitur. Ne deſunt, qui Ophir in Taprobana inſula ponunt, ſive ea ſit Sumatra, ſive Zeilan.

His ideo accedendum, quia Taprobanæ inſulæ, quam Zeilan eſſe nullo negotio pro-

probatur, omnia ad amussim quadrant, quæ de Ophir legere est in historia regum: ibi enim aurum & ebur, gemmasque & margaritas magna copia nasci, nemo est qui nesciat. Scatere etiam ait pavonibus, scribit Steukius in Arrianum: & in Chersoneso proxima magni pretii cercopitheos memorat Ludovicus Vartomam. Neque hoc temerè prætereundum, etiam Paz in Cantico, & Uphaz in Daniele ac Jeremia nominari insulam Ophir: quarum appellationum vestigia videre est in Pasi sinu, & Phasiamne Taprobanes, à Ptolomæo memoratis. Appellatur & Parvanin Syra & Phænicia inflexione, & mutato genere Parvan vel Porvan. Hanc porrò vocem apud Phænices, Ægyptios & Æthiopes in usu fuisse, argumento sunt Phænicum in Africa propria urbes maritimæ Taphruna & Tabraca, & promontorium Taphitis in Ægypto Taphium, urbs ad primum Nili ostium versus Syriam & duplex Taphosiris, seu Taposiris, quarum una mari imminet, altera magnæ paludi, quæ maris instar esse possit: & ad sinum Abaliten in Arriano Tapara empo-

ria,

ria; ad Barbaricum, Tapatege potuit igitur etiam insulæ Parvan vel Pravan, portuosum illud littus, quo appellabant Mercatores, à Phœnicibus vocari Taph-Paruan, vel Taph-Provan, unde Græcum Taprobane.

Summa est, primos Ophireos in Arabia fuisse cum cæteris filiis Jectan, & regionem occupâsse maximè fæcundam, quæ ex argumento Auphur, vel Uphre, id est, opulenta, dicta est, & Cassanitis, propter thesauros in terra abditos. Sed cum quasi jure quodam id nominis sibi adsciscere viderentur auriferæ aliæ terræ, Phœnicum navigationibus perviæ, etiam Ophira dicta est altera terra remotior in India, è qua tantus auri proventus Hiramo & Salomoni. Phœnicibus scilicet solenne fuit, ut loca nuper à se detecta vetustis nominibus cohonestarent. Hinc in mari Persico alii Sidonii, alii insula Tyrus, & Aradus altera: & in Hispania nova Carthago: & in Boëtia alteræ Thebæ: & in mari Cretico altera Byblus, & Tharsis in utroque mari. Omnia enim hæc nomina imposuere Phœnices: itaque verisimile est, illos auriferæ terræ,

terræ, quam in India detexerant, Arabicæ nomen indidiſſe.

Nec prætereundi Chaullæ, quorum alter Chuſi filius, alter Jectanis dicitur Geneſeos capite decimo. Hujus poſtremi ſedes hodieque parum mutato nomine appellatur terra Chaulan, cujus metropolis Du-Sohaim. Hinc Geographus Chaulan DuSohaim eſt arx valida &c. Deſcribitur in ea parte terræ Tehamæ, quæ terræ Jeman eſt confinis, ad ſtationem decimam tertiam à Mecchâ, quartam à portu Hali, ſecundam à Baiſat-jectan, inter Mucham & Saraam, ſpatio ferè medio. Tehama porrò eſt Arabiæ felicis regio, ad mare Rubrum extenſa, longa duodecim ſtationes, lata quatuor, quam ad ortum montes terminant, mare ad Occaſum, ad Aquilonem Meccha & Giodda, id eſt Ziden portus Mecchæ, ad meridiem, ubi Chaulan terra Jaman ſeu Sabæorum.

Ex hac deſcriptione tam accurata, qualis extat in Geographo, apparet, terram Tehamam hodie Arabibus id ipſum eſſe, quod Ptolomæo regio Caſſanitarum, & Chaulan ſeu Chavillan fuiſſe in extremis

Caſ-

Cassanitis, prope Sabæos. Itaque Chaulanitæ sunt ipsissimi illi Carbi, de quibus Agatharchides: his autem (Cassanitis) contigui habitant Carbini continente, quam portus excipit profundus, in quo plurimi erumpunt fontes: deinceps autem adhæret gens Sabæorum. Et Diodorus: post hos sunt Carbi dicti, quos sequuntur Sabæi. Pro Carbis Cerbanos vocat Juba rex apud Plinium: Agrei, Cerbani, Sabæi, Arabum propter thura clarissimi. Et Ælius Gallus Cembanos, quo loco Arabiæ populos inter se conferens dicit Numerosissimos esse Homeritas, lignæis fertiles agros palmetis, arbustisque &c. Cembanos & Arios armis præstare: sed rescribendum Cerbanos, quibus Phænices id nomen dedêre, quia Hebræis est Kerab bellum, & Karab confligere. Atque ex hac ipsa rota illos patet esse eosdem cũ Chaulanitis, quorum virtutem Geographus ita commendat: Chaulan-Dusohami est arx valida, & populo ejus robur, & in iis est virtus, quasi diceret, gentem esse virtute bellica præstantissimam. Alibi, nempe parte sexta climatis secundi, meminit alterius

terius castelli, quod gens ea teneret. A Nagia ad Chond, millia passuum viginti sex. Chond autem est castellum populosum, quod incolit gens è terra Chaulan. In eo plures putei; super magno colle situm est: distat à Sanaa millia passuum centum quadraginta. De Nagia Plinius, Gebanitæ pluribus oppidis, sed maximis Nagia & Tamna templorum sexagintâ quinque.

Etiã ad Chauilæ, vel Havilæ nomen alludit Ptolomæi Hyela vel Hyæla, ut scribitur in exẽplari Palatino. malim Hayila, a & y transpositis, ut sit ipsissimum Hauilæ nomen. Fatendum utique inter Chaulan & Hyelam non parvum esse interstitium: nam Ptolomæi Hyela versus Austrum multum recedit trans Sapharitas. At gens vaga, qualis Arabum, maximè in terra Tehamæ, quidni poterit in varias colonias spargi & dissipari: quod Geographus disertè innuit: In terra Tehama vagi sunt Arabes ex omni stirpe.

Cham licet maledictus, non tamen fuit exclusus à terrenis benedictionibus illius, qui Sole suo illuminat bonos & malos, & pluviam ex æquo dimittit super ju-

ſtos & injuſtos. Quippe in mundi diviſione illi præter Ægyptum atque Africam univerſam, Syriæ magna pars obtigit atque Arabiæ, ut de Babylonia, & Suſiana & Aſſyria, & aliis terris taceamus, quas Senu filiis eripuit Nimrod, Chami nepos. Inde eſt, quòd illi Arabes, quorum paſcua invadunt Simeonitæ in Chronicis regum dicuntur è ſtirpe Chami. Et à Davide paſſim Ægyptus appellatur terra Cham. Et Plutarchus: Adhuc Ægyptum, cujus ſolum maximè nigrum eſt, Chemiam Ægyptii vocant, ut nigrum illud quod eſt in oculo. Nomorum vocabula accedunt, Chemmis, Pſochemmis, Pſittachemmis, quæ ad Chami nomen palam alludunt. Idem Cham ab Ægyptiis & Afris dicitur amun, unde Ammonia urbs in Marmaricæ littore, & Ammoniaca regio, ubi Ammonis oraculum & templa, toto orbe celeberrimum; & Africa univerſa Ammonia. Sed & Thebæ Ægyptiæ à prophetis dicuntur Amon No vel No Amon, id eſt, Hammonis delubrum, Jovi Ammonio, id eſt Chamo Sacrum.

Hebræis Cham eſt calidum, & Chum ni-

nigrum: itaque Chami nomen vel à calore, vel à nigredine factum fuerit. Neque ut videtur sine Numine, cùm quæ Chamo contigit Africa immodico æstu laboret, ejusque posteri ferè omnes vicini syderis ardore sint exusti, atque infuscati: quod ipsum in parte maledictionis ponendum. Ægyptii, quos hujus vocis significatio latuit, de Ammonis nomine multa comminiscuntur.

Chamum eundem esse volunt cum Zoroastre Mago, cujus sententiæ primus author fuerit Pseudoclemens qui libro quarto recognitionum Magiam scribit hominibus ante diluvium à mulierosis illis angelis traditam, Ægyptiorum conditorem Mesraimum didicisse à Chamo patre: & Chamum à posteris hujus artis admiratoribus Zoroastrem, seu vivum astrum propterea fuisse dictum, & pro Deo habitum. Id secutus Cassianus Collationis octavæ cap. 21. ait: Quantum antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noæ, qui superstitionibus istis & sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in ar-

cam prorsus inferre, in quam erat cum patre justo, ac sanctis fratribus ingressurus, scelesta ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum inundatione corrumpi non possent, & durissimis lapidibus insculpsit: quæ diluvio peracto eâdem quâ celaverat curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Inde invaluit hæc opinio, Chamum fuisse magum, & carmine magico patrem, dum dormiebat nudus, ita devotâsse & obligâsse, ut deinceps ad mulierem non potuerit affectari, & magicos libros scripsisse, quorum partem combusserit Ninus, alterâ superstite. nam hodieque extat impium opus, continens elementa & praxin artis Necromanticæ, sub titulo Scripturæ Chami, filii Noæ.

Sed magiam à Chamo tam falsum est post diluvium fuisse invectam, quàm ab angelis ante diluvium: quod videtur sumsisse spurius Clemens ex Enochi libro Apocrypho, ubi in earum artium censu, quas ab Angelis ministris edidicerunt ante diluviam homines, etiam magiæ hæc sit

ſit mentio ; Undecimus autem angelus Pharmarus nomine, docuit veneficia, incantationes, artes ſcilicet Magorum, & incantatorum ſacrificia expiatoria. Agathias autem ſic habet: Alienis verò & veluti adulterinis inſtitutis, utuntur, Zoroaſtri. Oromaſdæ filii diſciplina deliniti. Ille verò Zoroaſter ant Zaradus, is enim fuit binominis, quando primùm floruerit, e. leges condiderit, liquidò non conſtat. Perſæ verò hujus ætatis ſub Hyſtaſpe ſimpliciter fuiſſe dicunt : itant valdè ambigatur, neq́ue certò ſciri poſſit, an Darii pater, aut alius quiſpiam hic Hyſtaſpes fuerit, quocunq́; verò tempore floruerit, author eis & dux magicæ religiõis extitit.

Magnus Scaliger Vult Zoroaſtrem linguâ Perſicâ ſignificare aſtrorum ſacrificulum. Nos ſcimus de poſteriore verbo veriſſimum eſſe, ſter Perſicè eſſe aſtrũ, unde Eſter dicta fuerit. De priore mẽbro quærant peritiores linguæ Perſicæ. non enim ſumus ii, quos pudet non omnia ſcire. Sic igitur perſcrutati ſumus viſcera terræ, & nobiliſſimum ipſius fœtum, aurum utiq́;, in ipſis loculis matricis invenimus : Sed quis illius præſtantiam exprimat, quam

Horatius exprimere non potuit poëta, quæ natio doctiorum pleraq; ultra sphæram credendorum extollit, & ipsos sensus fascinat, ut diversum videatur, quicquid illis lubet objectare, & nobis credulis recipere? Ille rerum prudentissimus indagatur, morum censor acutissimus sic ait alicubi:

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Qualcunque virtutes ipsi Philochrysi tribuerint, omnes ei inesse civiliter dabimus, præter puritatem. reliquit enim Creator, naturæ suos characteres, in utramq; partem, adeò ut chamæleon quemvis fucum induat, albedinem non induat. Sic sanè porrò poëta: —— *Concidit auguris Argivi domus, ob lucrum Demersa exscidio. diffidit urbium Portas vir macedo: & subruit æmulos Reges muneribus. munera navium Sævos illaqueant duces.* Sed hæc Ethicis relinquimus discutienda, cùm nobis operę studium sit, nunc saltem naturalia obiter dispicere.

Sic autem illi plurimùm statuunt: Aurum

rum ex purissimis partibus, atque æqualioribus, præ cunctis metallis componitur. Ponderosissimum est, quia ipsius partes sunt unitissimæ, & non habent porositates, quibus aër subeat, levitatem conferens, & maximè densæ; sunt enim calore optimè compactæ. Asserunt quoque aurum si purum fuerit ac sincerum, partes ejus adeò firmæ esse atque solidæ consistentiæ, ut nullis ignibus aut aquis fortibus unquam consumantur, aut essentialiter immutentur, sed semper in pristinum statum restitui possint Liquescens aurum nihil amittit ponderis, quia partes ejus sunt æquales; neque habet tenuiores, quibus exhalãtibus levius fiat, sed omnes adeò graves sunt æqualiter, ut igni dissipari nequeant. Hinc etiam rubiginem non patitur aut expuit: omnes enim partes similares sunt, puræ, æquè graves &c. Ideoque calor insitus licet auctus egrediatur, nullas tamen potest sequestrare aut educere foràs. Adeò quoque ductile esse aurum ajunt, ut una ejus uncia aliquot terræ jugera possit tegere.

Levinus Lemnius de miraculis affir-

mat, aurum præsentissimam vim obtinere in expugnandis sævissimis morbis: nam qui venereo & fœdo contactu labem cō-ceperunt, & contagione, inquinum, infecti sunt, usu ejus manifestè juvantur; item elephantiasi seu lepra laborantes, dentes labantes ac minus stabiles, putriq́ue uligine vitiatos firmat, ulcera quoq́ue & pustulas compescit: ita quibus os graviter olet, consulunt annulos ex puro auro factos subinde in ore gestent, præsertim qui ex morbo Gallico inuncti, labiorum & gnigivarum ulceribus infestantur, viris quippe eluit, atq́ue eruptiones exsiccat. Quòd si laminas, auriq́; segmenta ac bracteos elixis carnibus admiscere libeat, aut herbis medicatis in coctione, atque liquamen illud valetudinariis exhibere; vix dici potest, quantopere vires & vitales spiritus erigat.

Si sinistræ manus digitus, qui infimo est proximus, in cordis affectibus, auro & croci momento defricetur, hominem sibi restituit, etiamsi collapso atque intercluso animali vitaliq́ue spiritu, propemodum exanimatus obmutescat, neq́ue ullum vi-

tæ indicium proferat. Aurum quoque candens & ignitum, vino immersum, præcipuis membris robur conciliat, atque facultates naturales firmat. Nam si quid internis parttibus adhæserit, abstergit, consumitque, & partem morbidam vigore ac vitali spiritu imbuit. Foris quoque hujusmodi liquor adhibitus, omnes vitiliginis & scabiei species, quæ cutem deformant, compescit, inprimis si aliquid tartari addas: omnes enim fædas maculas abstergit.

Aurum diu pertractatum nunquam manum tangentis inficit, quæ prærogativa cæteris metallis non competit: ideoq; hoc præcipuum puritatis argumentum esse solet. Sin vel alterius coloris lineas alicui corpori non imprimit, nisi coticulæ atteratur: tunc enim lineas sibi simillimas reddit. Ab acribus succis in sua quantitate nullam sentit noxam: non est fragile, quanquam sit molle: quare malleo percussum adeò dilatatur, ut ex singulis ejus denariis quinquagenæ pluresue bracteæ, senûm digitorum longæ efficiantur.

Rubigine non infestatur, nisi fuerit alteri metallo permixtum; tunc rubiginem cærulei coloris amænissimi effundit, quē pictores cæruleo transmarino præferunt. Si purum ac sincerum fuerit, quàmvis per multa secula intra terram sepultum manserit, nullam rubiginem contrahit. Hinc aurum extollit Augurellus his verbis: Nil deperit auro per ignem, velut solum nulla consumit vetustas, ac neque rubigo, aut ærugo conficit ulla. Animadvertendum tamen esse judico, quando dicitur aurum nec igne, neque usu absumi, id non absolutè, sed in comparatione ad alia metalla intelligendum esse: quandoquidem annuli aurei ac nummi, assiduo digitorum attritu absumuntur; & diuturno igne aurum paulatim evanescit.

Aurum in aquis acutis positum, quas ad segregandum aurum ab argenta præparant, in limum minimè solvitur, ut multi (perperam inquit Ulysses Adravandus) arbitrantur, sed in particulas insensibiles dividitur, quæ siccata aqua denuò pristinæ formæ restituuntur. Adserunt tamen aurum fumo plumbi imbutum, in pulverem

rem redigi tenuissimum ; imò interdum odore plumbi adeò rigescere illud, ut malleo dilatari nequeat. Quamobrem artifices aurum denuò fundere & modicum vitri, vel sublimati super infundere coguntur, ut malam qualitatem, à plumbi fumo susceptam deponat. Quæ quidem omnia si vera sunt , auri nobis præstantiam non mediocriter commendant.

Sed quid de auro fictitio dicemus? Mystæ chamiam à chamo dictam volunt, qui antiquitatis gloriam maximè affectant: & non pudet proferre Mosis Prophetæ Chemicam syntaxin , & Mariæ sororis librum Alchemisticum, Arabicum enim articulum Al præfigunt, uti in Corano, & Manaco. Et taceamus Kermetis trismegisti scilicet tabulam smaragdinam , & ejusdem Chemicos tractatus septem & opus de corporibus transmutandis, & Osthanis & Democriti, & Ori Chemica, & Jasonis vellus aureum. Neque enim fuit vellus illud, quale poëtæ fabulantur, sed liber fuit in membranis scriptus , continens quomodo parandum sit aurum per chemiam. Ubi nugatur ignotus scriptor apud Sui-

dam in voce Deras. In eodem de voce Chemiâ Diocletianum ſic arguit: libros à veteribus de auri & argenti chemiâ conquiſitos cremavit, ne Ægyptii ex tali arte amplius ſibi opes compararent, neve pecuniarum copiâ freti, Romanis in poſterum obſiſterent. quaſi verò ars papyro, non memoriâ, manuumve uſu comprehenderetur.

Quin quaſi leve ſit Chemiam ab authore Chamo arceſſere, non deſunt, qui artibus, ante diluvium repertis illam accenſeant, Tubal Cainum è fabro mutantes in Philoſophum Chemicum, edoctũ ſcilicet ab angelo (Exael) fuſorio, quem primum Enochi liber apocryphus homines docuiſſe ſcribit, quomodo metalla terræ, & aurum elaborentur. Unde Zoſimus Panoplites collegit eos angelos, quos vult in mulierum amorem exarſiſſe, ante omnia Chemiam tradidiſſe: Sacræ & divinæ ſcripturæ angelos dicunt mulieres concupiviſſe, & cùm in terram deſcendiſſent, eas edocuiſſe omnia naturæ opera &c. Prima igitur illorum traditio fuit, Chema de his artibus. Vocaverunt ſcilicet

cet hunc librum Chema, unde ars etiam Chemia vocatur.

Interim Alchemiæ certum eſt eſſe novum inventum, nec illius quenquam meminiſſe ante Julium Firmicum Imperatori Conſtantino ſynchronum, qui Lunam ſcribit in nono ab horoſcopo loco in nocturnâ geniturâ hominem ad Alchemiæ ſcientiam propenſum reddere. Et commentum de Chamo refellunt Arabum ſcripta, qui hanc artem maximè excoluerunt: illis chema eſt occultare, quo non potuit nomen dari aptius, ſive rem ipſam reſpicias, ſive docendi modum. Ars enim ipſa tàm eſt abdita, ut in ejus cognitione adipiſcendi oleum & operam miſerè perdant plerique mortalium. Et qui adeptos ſe putant, quaſi cæteris hanc gloriam inviderent, tot verborum involucris atque ambagibus artis arcana obtegunt, ut videantur ideò ſolùm ſcripſiſſe, ne intelligantur. Quin ipſi librorum tituli ſignificant agi de re arcanâ: uti Calidis filii Jaziach Judæi liber ſecretorum Alchemiæ, Raimundi Lullii libri de ſecretis na-

turæ, seu de quintâ essentiâ: & de inventione secreti occulti: & Secreta secretorum, quæ Aristoteli tribuunt atque alia hujus farinæ Chemica scripta, Græci quod ut profanos statim à limine arceant, sacram & divinam artem appellant. Et seculo superiore Martinus Rulandus Cæsareus Medicus, cætera vir doctus, & quem suo præconio Thuanus non judicavit indignum, artis illius mysteria non erubuit ipsi scripturæ præferre: Si Paulo consentienter ratiocinari licebit, eminentior Dei notitia ex hujus artis Alchemiæ praxi hauriri potest, ipsis sacrarum literarum monumentis: quod etiam Henricus Salmuth notavit in Pancirollum.

Eusebius in Chronico: Tum floruit Democritus Abderita physicus philosophus, in Ægypto initiatus ab Ostane Medo, & misso, ut Ægypti sacris præsideret in templo Memphitico cum aliis sacerdotibus & philosophis. In quibus etiam erat Maria quædam Hebræa sapiens: & Pammenes, qui per ambages scripsit

de

de auro & argento & lapidibus & purpura, quomodo etiam Maria. Qui proinde ab Ostane laudati sunt, quòd per multa eaq; docta ænigmata artem celassent. Sed quia magus Ostanes diu ante Democritum vixit, nec unquam in Ægyptum se contulisse legitur, multo minus præsedisse sacris Ægyptiorum, hæc magno Scaligero jure meritoque suspecta sunt, tanquam à Panodoro monacho in Eusebii textum intrusa. Utut sit, impostores lepidè exagitat Erasmus in colloquiis; filios lucis & artis gnares, si qui sunt dixerimus potius filios tenebrarum, qui mentes principum versant & perversant, magno hiatu præcipites, ut sacris fontibus neglectis ad cisternas sive naturales, sive dæmoniacas, per atheismum deducant. ô cælum! ô terra!

Cap.

CAP. XXXI.

RADICES.

IN Peking, ſub Jungping, naſcitur nobiliſſima radix, tota Sina celebratiſſima, Ginſeng, Japonibus Niſi. Nomen Sinicum ipſi à figura, divaricatis quippe cruribus hominis formam refert (Gin porrò hominem ſignificat) mandragoram noſtratem credas, niſi quod ea multò minor ſit; quin illius tamen ſpecies ſit aliqua, nullus dubito, quippe quæ & formam & vim eandem habeat. Folia ejus mihi hactenus videre non contigit. Siccata radix flaveſcit, fibras ſeu capillos, quibus alimentum ſugat, vix aut ne vix quidem habet; nigricantibus venulis, tanquam ſubtili atramento ductis, circumſperſa eſt. Cùm manditur, dulcedine ingrata eſt, nonnulla admiſta amaritie, ſed tenui. Auget plurimum vitales ſpiritus, tametſi vix unciæ duodecima dars doſis ſit: ſumtum illius pondus paulò amplius, debilium vires reſtaurat, ſuavem corporis calorem excitat,

Bal-

Balneo Mariæ,ut vocant, cocta adhibetur, atque fragrantem, ad instar aromatum, exhalat odorem. Fortioris calidiorisque naturæ qui sunt, ejus sumtione periculum vitæ adire solent, nimium auctis, exundantibusque spiritibus; debilibus, fatigatis, vel morbo diuturniori, aliave de causa exhaustis, ad miraculum prodest: moribundis ita vitales quandoque vires reddit, ut sæpè illis adhuc tempus sit sumendis aliis medicamentis, sanitatique recuperandæ. Triplo argenti pondere appenso emitur libra.

In Xansi reperitur etiam radix Ginseng: quæ civitatem Leao valdè nobilitat.

Xensi multa, eaque præclara suppeditat medicamenta, Rheubarbarum inprimis, quod non sylvestre est, ut putant quidam, sed diligenti culturæ arte indiget, Sinis Taihoang. Radix est sat solida, tuberibus hinc inde prominentibus, foliorum forma haud ita procul abest à caulibus nostratibus, quos tamen magnitudine superant. radices verò pertusas foramine in umbra suspendunt ac siccant: nam in

Sole

Sole ſuſpenſa vim amittunt. Ex hac & Suchuen altera provincia, eſt magna ex parte Rheubarbarum omne, quod ad nos in Europam defertur, nimirum per mare Indicum; vel Caſcar, Aſtracaniam & Ruſſiam; vel per Tebet, Mugor & Perſidem. Nemo enim eſt rerum magnoperè peritus, quod equidem ſciam, qui in illis regionibus naſci Rheubarbarum velit, ſed inde nos habere aſſerunt, quia ab illis affertur emiturque Nationibus, & ex Sina allatum eſſe ignoratur.

In Suchuen vera radix Sina ſolùm reperitur; ſylveſtris verò ubique, Folin utramque vocant, ac ferè ſola ſylveſtris ad nos affertur, cujus medulla rubicundiori colore quodammodo tincta eſt, ad veræ autem magnitudinem non accedit, neque efficaces adeò habet vires, quamvis non omninò illius effectu careat. Naſcitur ſub ipſa terra, uti ferè phalli Hollandici, aut apud Indos Patatas naſci, propagarique ſolent, maximè in arnoſis pinorum ſylvis, unde eam ex glutine ſeu pice pinea produci ſcribunt, quæ in terram delapſa radices agat, atque herba fiat longo tractu per

terræ

terræ superficiem serpens, continuòque tuberosas radices sub ipsa terra emittens, subinde ad capitis puerilis magnitudinē, figura ac mole magnas nuces Indicas, quas Coccos vocamus, æquat, nec cortex colore abludit, quamvis non adeò durus crassusque sit, sed mollior, omninò ac tenuior. Corticem replet nucleus, seu caro alba ac spongiosa, quam Sinæ magni faciunt, & in suis medicinis adhibent, tametsi, cùm hac carent, sylvestrem illam non respuant, at effectu non æque bono.

Sub Xunking crescit radix Scorzanera.

In Queicheu, ad Liping. radicem Sinæ præstantissimam, quam Fulin vocant, colligunt.

Per Kiangsi invenitur flos Lien, cujus radix præclara est, suumque habet usum; quippe ad brachii humani crassitiem sæpè excrescit, duosque aut tres cubitos intra limum subtilissimum delitescit, tota geniculis atque internodiis distincta, ad modum cannarum aut arundinum. Cum autem exterior ejus cortex planè integer

fit,

ſit, medulla ipſa, ſeu caro, magnis quaſi canalibus intus perforata eſt. Caro albiſſima carduum noſtratem, licet nonnihil magis inſipida ſit, refert, atque æſtivo tempore, quòd frigidiuſcula ſit, in deliciis ac pretio eſt. De flore & fructu vide alibi.

Cùm apud Europæos nobis omnia ſint familiaria, aut Magnatibus exotica, quibus gaudere liceat, & noſtrates evellemus radices. Tam diu quempiam lippitudine non tentari obſervatum eſt, quàm diu ſylveſtris Rumicis radicẽ ſecum nitidiſſimè habuerit.

Pæonia eſt facultate omninò reſiccatoria adeò vehementer, ut credatur meritò ad alligata puerorum epilepſias ſanare. Equidem compertum, puellum, quandoq; octo totis menſibus à morbo comitiali liberum fuiſſe, ex eo, quo geſtabat radicem tempore: ubi verò fortè fortuna, quod à collo ſuſpenſum erat, decidiſſet, protinus morbo correptus eſt; rurſusque ſuſpensa in locum illius alia radice, inculpatè poſtea ſe habuit. Porrò viſum, certioris experientiæ gratia, radicem denuò collo detra-

trahere; & convulsus est puer; itaque magnam radicis partem ex collo pueri suspẽdunt, & puer deinceps prorsus sanus evasit. Non desunt mulierculæ, quæ perforata Pæoniæ semina & filo trajecta, corallorum modo infantibus circumligent, quòd putent, hoc amuleto Epilepsiam arceri. Dicitur à Pæone medico, qui perhibetur vulneratum ab Hercule Plutonem hac herba curasse. Est autem ea vis non à manifestis qualitatibus, sed à totius substantiæ dissidio atque repugnantia dimanat, qua non pituitæ, non humoris, lentori, sed morbi Comitialis essentiæ, quæ latens occultaque est, prorsus adversatur. Si enim quod pituitam, quæ mali causa est, è cerebro, similitudine substantiæ detrahit, idcirco medetur; cur non aliis quibuscunque à pituita morbis succurreret? aut cur non easdem vires obtimeãt medicamenta, quæcunque pituitam eliciunt?

Scimus Galenum hanc ipsi vim idcirco adsignare, quòd exicicandi vi polleat, tenuisque sit substantiæ ac propterea ventriculorum cerebri infractus expediat: sed cum alia plura extent, majore siccitate

præ-

prædita, tenuiorumque partium, cum illa vim pariter eandem ad morbum comitialem non accepissent, quærit Fernellius. Quibus virtutibus signatura ipsa plantæ est adjicienda: cjus caliculus aut caput, antequam flores excludantur, analogiam quandam habet & similitudinem ad cranium humanum, in quo sutura coronalis spectatur, in cujus partibus interioribus rubor quidam florum, in obscuro nigrescens, fulminis alicujus similitudinem exhibet, quasi ipsam Epilepsiam, sideratum morbum in cranio repræsentans; quæ idcircò congruum huic morbo medicamentum esse testatur.

Solani majoris baccæ devoratæ, & ipsa radix vi strangulandi pollent. Et joci causâ parasitis datur radix his, qui ad lautas mensas etiam invitis dominis accedere solent, in aula; quæ res oblectamenti non parum convivantibus præbet, siquidem si cultello derasa, scrupuli pondere (semidrachmæ) in vini secuncia maceretur, horis ad summum duabus, aliis septem; & deinde percolato diluto ac digitis presso, id vini recentis addatur, quod poculum

re-

repleat,totumque potandum propinetur, fit paulò poſt, ut qui biberiut, nil prorſus edere poſſint, magno ſpectantium oble-ctameuto. Id Franciſco Calceolario Veronenſi acceptum referendum, qui primus hoc iſtius plantæ ſecretum propalavit. Verùm qui hoc fuco utuntur, priusquam menſæ aſſideant, paraſitos ad jentaculum invitant, ut fucatum vinum propinent. Discutitur fucus à riſu, aceto potui dato; id enim præſentiſſimum antidotum eſt, ſed ne quid nimis, ne copioſius ſumtum enecet. Somnus ſuperveniens quoque ſanat.

Suenis Norvegiorum rex, Duncanum Scotorum regem in oppido Berthâ obſidebat: Banquhonis conſilio Maccabeum conſobrinum cum novis copiis adventantem, ad Tulinam clam ſubſidere jubet. Ipſe per fecialem cum Suenone de deditione agit, & victoris iræ mitigandæ cauſa, ſe commeatum libenter ſubminiſtraturũ pollicetur. Grata ea fuit conditio Danis, extremâ laborantibus inopiâ. Vinum igitur & cereviſiam Solano maniaco infectam in caſtra devehi curat. Iis ſe ingurgi-

gitantibus Dani, de deditione posterâ die facienda securi, in soporem unà cum rege Suenune solvuntur.

Interea Maccabeus exercitum trajecto Thao flumine per ligneum pontem ducit in Bertham, ac inde aversa porta egressus, ducente Barquhone, ad castra hostium perveniunt. Tum maximo edito clamore, ad terrorem, si qui fortassis adhuc vigiles superessent ac sobrii, cædem ingentem edunt. Pauci quidam, decem numero, quòd dona hostium suspecta habuissent, sobrii Regem Suenonem, veluti exanimem, ad Tai ostia, scapha piscatoria desferunt, & unica nave conscensa cum nautis in Norvegiam navigârunt, apud Buchan.

Eodem ferè modo Amphyctiones in oppugnatione Cyrrhæ abstrusum aquæ ductum invenerunt, copioso latice, è Plisto fonte fluentem, & de consilio Eurolochi magnam hellebori multitudinem ab Antycyra collectam, aquæ permiscuerũt. Cyrrhenses aquam bibentes, ventris profluvio enecti jacebant: Amphyctiones sine labore prostratis hostibus, urbem ceperunt,

perunt. Suidas inventum Soloni tribuit, quo & Clisthenes Sicyonius adversus Criscos est usus feliciter. Sic Hamilcar Carthaginensis, non ignorans Libycorum in vino luxuriem, multa vini-vasa mandragorâ arrupit, & ex sub urbiis recedens, hostes somno vinoque sepultos mactat.

Radices illæ, quæ humanam formam referunt, impostores ac nebulones quidam venales circumferunt, ut infæcundas mulieres decipiant: fiunt enim ex arundinum, mandragoræ, bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus. Sculpunt in his adhuc virentibus, tam virorum, quàm mulierum formas, infixis hordei & milii granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt. deinde facta scrobe, tamdiu tenui sabulo obruunt, quousque grana illa radices emittant, id quod fit viginti ad summum dierum spatio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutissimo cutello scindunt, aptantque ita, ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. Nam omnes mandragoræ radices à medio ad imum bifurcatæ proveniunt, adeò

ut crura hominum modo habere videantur. Quapropter si eo effodiantur tempore, quo fructum gerunt, qui mali instar super folia ad terram procumbentia brevi pediculo appensus, parum à radice distat, hominis, cui brachia desunt, effigiem quadantenus repræsentant.

Napelli vis in necandis hominibus adeò immanis sævaque est, ut nullis ferè antidotis occurri possit, nisi præsentissimè. Tota planta pernecabilis admodum est, sed radix cæteris partibus atrocior, adeò ut manu aliquamdiu retenta, quousque calescat, tonentem perimat: quin etiam pastores necatos compertum, qui assandis aviculis Napelli caule, pro veru temerè usi sunt. Hujus immanitatem probavit Romæ anno C. 1524. in Capitolio Clemens VII. nam cùm decrevisset experiri olei cujusdam præstantissimi vires, quod Gregorius Caravita chirurgus contra deleteria medicamenta, & venenosorum animalium quorumcunque morsus paraverat, jussit Pontifex venenum dari duobus latronibus, quas leges damnaverant, quò suorum facinorum pænas luerent;

laqueo

laqueo vitam finire, ut in iis, olei hujus experimentum fieret. Horum alterum, qui plurimum napelli ſumſerat, dulciariis panibus commiſtum, pontificii medici ſtatim oleo inungendum præbent, qui poſt tertium diem ſæpius oleo perunctus evaſit incolumis; quanquam non ſine formidabilium ſymptomatum acceſſione. Alterum verò, cui longè minus venenati panis exhibuerant oleo inungi vetant ut aſſumti veneni effectum ſævitiamque cernerent, id quod obitus ſecundum Avicennæ deſcriptionem paucis poſt horis comprobavit.

Pragæ annó C. 1561. cùm antidotum efficaciſſimè duas drachmas Arſenici, quas ad laqueum damnatus hauſerat, viciſſet; alii præbetur per infamiam alioqui morituro; napelli venenum ex caule, foliis, floribus & ſemine paratum; alii ex radice expreſſum, ſed quod in Bohemia eſſet natum, ſed ille miſerè concluſus, lividâ facie, quaſi ſuffocatus obdormivit ſomnum æviternum; iſti lapis Bezoar datus. latro 27. annorum haurit venenum, quod piperis ſaporem ipſi referebat: vomit poſt ho-

ram, haurit grana ſeptem lapidis in albo meraco, ſymptomatis exagitatur, evomit bilioſa, porraceo colore, ſentit globum circa umbilicum, qui capiti officeret, incumbit ſtupor paralyticus in latus ſiniſtrum, & eo relicto incolumi in dextrum, reciprocato & brachiorum uſu; frigent venæ, vertigines ſuboriuntur, cerebrum fervet, convelluntur oculi & os cum mandibulis, turgent oculi, livet facies, nigricāt labia; tumet venter, variæ pulſant arteriæ, turbatur mens, modò rationis compos, modò delirans, nunc ploranti, nunc cantanti ſimilis. Ter ſibi viſus excæcatus, ter cum morte colluctatus, linguâ ſemper incolumi; Septimâ poſt epotum venenum evaneſcunt ſymptomata, & miſer redditur ſibi: Alius per aliquot dies in carcere detētus, ſolo pane atque aqua victitat, & præcedente nocte incænatus drachmam pulveris Napelli haurit, ut corpus eâ diætâ valde præparatum, venæ inanitæ, & meatus omnes aperti veneni vim facillimè admitterent, etiam ad extrema membra. Supervenêre accidentia, nempe anguſtia pectoris, dolor ſtomachi, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus.

Cùm

Cùm verò infirmus assereret, nisi statim subveniretur, sese penitus deficere, oblata illi quinque grana remedii, in pauco vino sunt, & continuò alleviatus est.

Paulò post, non tamen sine angustiâ, vomuit, & benè sperabat; nihilominus sciebat, materiã circa stomachũ aggregari. pars posterior capitis & collũ dolebant, inde cepit delirare & canebat altè, in solio quodam lacero. præteriit delirium, recurrerunt alia symptomata, dolores scilicet stomachi, capitis, maxillarum, pectoris, modò unius, modò alterius juncturæ. verùm septem horarum spatio omnes doluêre, venter intumuit, quasi hydropicus esset, erant præcordia cum tumore & duritie tensa, sensit tensionem in renibus, urina suppressa, item est uno brachio & crure resolutus. pulsus sæpè fuit intercoeptus, & febriculosus, vomuit illo die aliquoties, habuitque sedes, sed perpetuò de duritie quadam frigida, ac si lapis quidam in stomacho foret, est conquestus.

Ultimò verò, de quo adstantes omnes mirati sunt, maximè, ophthalmia quadam lippitudinosa illi supervenit, adeò dolorifica & horrida, ut patiens ipse mori po-

tius, quàm paulò magis cum tali dolore perseverare cuperet; A veneni assumtione per horas quinque ne guttā quidem sumsit, ut eò certius procederet experimentum: conquievêre tamen hæc spatio octo horarum omnia: noctû cum voluptate cœnavit, quietèque dormivit; manè erat sanissimus, neque membrorum læsio ulla est subsecuta, prout à sexto mense etiam fuit renuntiatum. Misellus sic salutem & libertatem, adeoque dona ampla à Cæsareâ Majestate sic obtinuit: Bauh.

Aurem vellit Theophrastus, Athenis in Lyceo, cùm etiam tunc platanus novella esset, radices trium & triginta cubitorum egisse, scribens.

Sed quem locum in istis subselliis dabimus Gagati, succino & electro? fuerintne illæ species nobis sudores terrei, aut arborei ex radicibus truncove? Nos filum Theseum Andreæ Aurifabri secuti, asserimus, esse gluten, viscum, bitumen, aut tale quid, sudorem terræ, in mare per venas & meatus effusum, ut agitatione tandem in lapidem solidetur. Succum esse terreum docet experientia, per adustionem, ubi

ignem

ignem concipit, & odorē halat pici terreæ & sulphuri genuinum, præter colorem eundem post liquationem: id quod resinæ arboreæ negatum. (nisi quis aliud de radicibus exundantibus ferat judicium.) Accedit & distillatio, quæ oleum coloris genuini elicit, atrum aut purpureum relinquit gluten, cinere vel atro, vel albescente vel candido, instar salis subsistente. Neque mirere, non raro in eo inveniri folia, gramina, frondes, muscas, formicas, stipulas, araneas, & alia; nam ubi ex terræ matrice prodiit, supernatat leviori primum pondere, & quæ à vento in mare conjiciuntur, suffocat, sæpiculè etiam pisciculos & ova pisciū, quæ solerter cōdit & servat integrâ specie, omni corruptionis vitio sublato.

Ex colore orta nomenclaturæ diversitas; niger dicitur carbo, ex vulgata specie; Gagates à Gagâ, fluvio Lyciæ, Straboni Gingitis, Nicādro lapis Thracius, Æthiopibus Obsidianus, ab Obsidio inventore. Quid si Plinius Samothracii Jobelis nomine hæc eadem putet? Diversos colores Latini dicunt succinum, à succo compacto: Græci Electrum, quòd stipulas trahat attritus, uti Magnes ferrum. Persis est

Carabe, Arabibus Ambra, priſcis Germanis gleſſum ſive vitreum, quòd pelluceat, Prutenis Gentarus, Ægyptiis Sacal, Scythis Sacrius, Quamvis autem dicatur per multa inveniri littora conveniunt tamen authores maximè in ſeptentrionales inſulas, quamvis & Italia, & Hiſpania & Liguria ſuum prædicent. Pruſſia vera ejus mater dicetur, cujus Principes vel unius anni decurſu triginta millia marcarum argentearum, vento & mari propitiis, ex hac piſcatione confecêre.

Piſcationem Georgius Agricola ſæpius uſurpavit oculis, & in hunc ſenſum literis mandavit; Sudini Inſulares, ad Brüſtam, in triginta & plures diſperſi pagos, noverunt ultra memoriam mortalium reticulis, tanquam piſces extrahere, libero uſu, quamdiu libertas conſtitit; ſed ſub imperium redacti Germanorum, inviti compelluntur ad opus, quod à majoribus ultimis in ſeros deſcendit nepotes. Flantibus favonio aut Coro, inſurgit mare procelloſum, tum Sudini agminatim, ſive de die, ſive de nocte convolant, ubi littus à vento & procellis vapulat: Viris in promtu ſunt

retia

retia de pertica furcata extensa, & à mulierculis annona cum supellectile: sic præstolantur, donec ventus desinat, & in æstuantes nudi procurrunt aquas recedentes, succinumque ex fundo protrahunt, ab ingruentibus undis propulsum: accedit herba pulegio similis, ferè cognata. Sed advigilandum, ut præda referatur ante refluxum Oceani, qui tardiusculos haurit: excutiuntur tum retia mulierculæ mundant cum sobole, rejectaneis separatis, quicquid fuerit relatum, nisi frigido cælo maritum foveat ad focum, & in lectulum componat, ut iterandæ excursioni sufficiat, ad ultimam expiscationem.

Neque verò infitias ibimus, lapidem istum in agro Gedanensi, & ad mare Germanicum illius regionis effodi; sed unde ea concretio, nisi ex ignota aut neglecta piscatione, quæ per alluvionem aut eluvionem collibus arenosis hunc thesaurum crediderit. Est & alia ratio piscandi succini, cùm juxta littus fossas ducunt latas & quadratas, quarum fundum stipitibus acutis sollicitant, altissimè impactis, sed creberrimè concussis, ut succinum, si ma-

ximè illîc lateat, redundet, tanquam ex fonte, quod inducto reti per ſuperficiem aquæ conducant.

Gagatem nigrum vel mari ejectum, vel terrâ effoſſum monuimus: Succinum album, idque nobiliſſimum, diutius agitatum, & procellis Oceani excoctum eſt: hinc gradus dehiſcentes ad nigredinem, ſcilicet color mellis cocti, auri & croci, unde Græcis ſuum Chryſelectrum: cinericei coloris eſt impurius. Non idem ſapor omnibus ſpeciebus; nigrum eſt inſipidum: album dulce, quod ſecundum colores remittit. Odor quidem myrrhæ genuinus ipſi, ſed diverſo gradu; liquidius rarum inventu, aſperrimè fætet. Duritiei ſummam tenet nigrum, ſecundum locum ſibi vendicat album, iterum deficiens ex gradibus.

Concinnantur hinc globuli, annuli, cochlearia pyxides, & imagunculæ quævis, ex materia torno valdè obſequenti, ſecundum diverſitatem colorum: ſegmenta & ramenta ſuffitui inſerviunt: manubria cultrorum iis ornantur, globuli perforati torques efficiunt & oculis intuentium gratos,

cos, & ferentium utiles. Pictores typographi rerum oblinendarum gnari, hinc mutuantur speciem glutinis tenuissimam ad splendorem. Medicinæ magistri docent, inesse ei vim sanandi, constringendi, exiccandi, dissipandi & minuendi: haustum sistere omne ventris profluvium, purulenta ulcera & catharros capitis obsistere gutturalibus vitiis, roborare omnia membra & viscera, prodesse cordi per odorem, remediis, quæ pesti & veneno opponuntur, ritè admisceri. Juvat in morbo Herculeo, paralysi, tremore cordis, stomachi oppressione, hepaticis affectibus, icteride renum compunctione, calculo ventis uteri, adeò ut & fætum mortuum expellat.

Laudatissimæ sunt tabulæ & pillulæ Medici vetusti, qui naturam succini est perscrutatus: illis ventriculus munitur ad quodvis incommodum, humores à putredine servantur, potius ex recessibus stomachi excussi eluuntur, corde apprimè roborato. Usus frequentior securos jubet esse à ventriculi doloribus, & capitis, ab atrâ bile & hepatis vitio: sic purgant[illegible]

nes & uterus, ſic oculorum acies intenditur.

Supereſt, ut virtutem olei ſuccini diſcamus, quam ſummam eſſe oportet, poſtquam priſcis collibuit id benedictum & ſanctum nuncupare: Ea par eſt lapidi ſed præſtantior & acutior, adeò ut libra olei quinas vel ſenas ſuccini adæquet, & rectiſſimè adhibetur ſpaſmaticis, paralyticis, uterinis doloribus averruncãdis, & fœtui in utero fovendo ac roborando.

Gedani licet ſpectare Succinum, cui rana & lacertus incluſi, jucunda ocolorum admiratione: imò concavum quid in medio apparet, cum aquâ fluidâ, quæ juxta Lunæ phaſes augetur & minuitur: Vero veriuseſt, animalcula & quæ præterea includuntur ſuccino, adeò perfectè ſervare ſitum membrorum, coloris ſplendorem, ut modò incidiſſe videantur, modò cum naturalibus certare, eaque ſuperare poſſint, nullo ullius rei detrimento: utique naturalia, ſed in ſyllabum rerum immortalium relata, ſupra omnem ætatem, quæ tamen omnia conſumit.

Cùm aliquando balæna evomuiſſet

non

non parvam ſuccini vim, quam procul dubio cum piſcibus & herbis marinis ingurgitaverat, in eum devenêre errorem, doctiorum nonnulli ſuccinum in ventriculo balænæ generari, quemadmodum vinum ligneis vaſis inducit tartarum. Aliis placuit reſina per nimium æſtum ex arboribus defluens, quæ imbribus in mare Eoum delata, illîc ſolidaretur; ſed cùm Pruſſia, & loca ſeptentrionalia tantum ſolis æſtum non patiantur, ſuccino autem abundent, bitumen ex fundo maris, aut littoribus ſingularibus exoriri nihil dubitabimus ulterius.

Sed redimus ad radices, de quibus nemo ambigat, & per ipſam nomenclaturam ſponte intelligimus Angelicæ præſtantiam, inter ſalutares: ſativam habemus in hortis, cum radice craſſa & longa, à capite in ramos diviſam, extus rubam, intus albam, odoris ſuaviſſimi, ſaporis acerbi ac calidi. Ea cultello cæſa, lacrymam emittit ejusdem naturæ. Folium ipſi longiuſculum, rotundum, undiquaque ſerratum, odoris non ingrati. Tertio quartove anno protrudit craſſam arundinem, nodoſam,

ad tertiam & quartum cubitum, quæ folliculos generat, in coronales pileos uti in fæniculo videre est, desinentes: inde flos luteus, & semen latum tenueque, ejusdem naturæ cum reliquâ substantiâ. Laudatissima est Freiburgica in Brisgovia, quam â Carthusianis vel extra Germaniæ fines positi expetunt: & colligitur in usum medicorum tempore verno, antequam arborescat. Benè lota & mundata in vaporario exhalat nimiam succulentiam, putredinis & mucoris occasionem. Montana trium generum est, non multum à sativa differens; creditur ex Norwegiâ, ubi copiosè crescit, ad nos allata; sed & in Pomeraniâ feliciter colitur; quis verò asserat, montanam inde ab ultimo septentrione, tot neglectis per intercapedinem provinciis fertilissimis, in montes Vogesi, qui Burgundiam à Germaniâ secernunt, & Lotharingiam ab Alsatia dirimunt, delatam? itaque de sativâ id dederimus, quòd vel ex montibus in hortos demigrârit, vel ab aliquo peregrinatore accesserit: nulla tamen frequentatio locorum rigidorum, nisi mercaturæ causa.

causâ. Natura tamen hîc voluit esse feliciorem apud novercam, quàm apud genitricem: & Norwegica quidem audit, propter originem ultimam puto; sed propter eximiam vim medendi, vel ab Angelis indicatam, vel à Spiritu Sancto cujus alicubi nomenclatione gaudet singulariter indultam.

Imperatoria rectè accedit Angelicæ, Germanis à magisterio dicta, quod emineat maximè, & coronam ferat: Ea radicem ducit transversam, & vagam, ut ægrè exterminari queat luxurians; succum lentum flavumque præbet, quovis pipere ardentiorem. Folium alioqui rotundum & serratum in tres partes abit, quarum singulæ trinâ quasi sectione inciduntur, non dividuntur: caulis tenuior geniculatur, in sesqui cubitum assurgens: ramuli nodorum ferunt pulchellas coronas, unde flos minutulus, candidi coloris; succedit semen tenue cinericei, in atrum vergentis coloris. Tota substantia olet graviter: radix & semen feliciter adhibentur coquendis piscibus, ad nimiam humiditatem consumendam; hinc & caput expurgat mastica-

catione,fortè Tabaco felicius. Adversus pestem & rabiem canis hinc præstantissimum remedium;tantæ virtutis, ut ferrum è corpore propellat, & universa membra roboret. Imperatoria nigra rectius ad Veratri species ablegatur.

Bulbocastanum, quod posset vocari terrea castanea,radix est inæqualis,à cinere in atrum declinans medullæ candidæ, saporis ex dulcedine grati,qualem præberent castaneæ pastinacâ mixtæ: folium ei minutum & concisum, caulis sesquispithamalis, flos exilis & albus, in coronam collectus, plurimo filamento. Amat agrum & vineam. Porci inde saginantur sponte, & rustici sub cinere tostum cum sale deglutiunt, sed sapientioris palati homines excoriatum excoquunt in jusculo, quod carnes præstant, non sine pipere, ad consistentiam ferè, habentque in delitiis fæminæ,tum ob saporem,tum ob maritorum virtutem,sed crudius officit.

Suum sibi hîc locum poscit Glycyrrhiza, ipso nomine gratiosa, quæ non facilè exterminatur ex agro, nisi fimum vaccarum & equorum adjicias, per antipatheiam,

am, unde nonnemini licuit credere, quovis triennio propagandam , ne expiret: proſerpit radix longè latèque cortice nigricante & ligneo, medullâ flavâ, quæ dulcem acorem, adeòque haud ingratum facit: caulem attollit rubrum bicubitalem, cum ſtolonibus, folio ſpiſſo, pingui, gemino, digitis adhærenti. Cauli adnaſcitur flos purpureus, hyacintho ſimilis, cui breviculus ſuccedit folliculus, trinis quaternis gravis granis, lentem referentibus. Radix ſole ſiccatus in biennium ſibi conſtat. Succulentior à ſolo tunditur, aqua fervida maceratur, quæ ſoli ac fornaci expoſita minuitur quidem, ſed conſiſtit in gutturis ſtomachique uſus varios. admiſcent etiam aliquid mellis. Bamberga Franconiæ nobilitatur hac radice.

Inula, ſive campana Germanis Alantii, à Græco Hellonium dicta, radicē præbet grandē & craſsā, terreſtri cortice, medullâ candidâ, odore acri, ſed grato, ſapore aduſto, unde conſurgit caulis villoſus bicubitalis, cum flore aureo in vertice, innumeris foliolis circa ſeminis aream totundam, ad morem haſtilium, compreſsè eminentibus.

tibus. Folium latum, exiguis dentibus in ambitu asperum, æqualiter acuminatur, sed quasi ad tutelam matris excubans, ad verticem non pertingit, ne incurvet. Adnascuntur tamen minora ad nodos minores; minima eaque singula ad superiores. Galenus laudat ejus usum in pectore & pulmone exonerando. Hinc elicitur succus, elixatur aqua, fit condimentum, vinum & unguentum, sed acrimonia prius educenda per unam aut alteram decoctionem; tum demum capiti, pectori, stomacho, pulmoni, adeòque genitalibus mirè prodest. Miscent aconita novercæ, ait ille: discamus illud cavere, ex descriptione: multa ejus genera, mille nocendi artes, & plurima mortis imago. Folium alii speciei latum tanquam cucumeri agresti, asperum & villosum; alii in partes acuminatas dissectum; radix longa & crassa, candida, ad formam scorpionis nodosa, instar alabastri nitens; cui aliquando adnascuntur quasi brachia utrinque vel breviora, vel longiora; alicui speciei non nodosa, sed filamenta, etiam præter truncum diffusa. Caulis fert ad pallorem flavescens

capur

caput sive pileum, cui semen atrum & angulare inest. Est, qui flosculum luteum, rosæ æmulam gignat; etiam purpureum, sed non ad eam formam. De hoc Plinius: mirum est, quòd duo venena, quæ ambo exiti alia sunt, in homine commoriantur, ut homo supersit. nam in cibo sumtum, necat hominem, sed si is prius venenum hausisset, aconito illud expugnatur in propriam perniciem ad salutem hominis. Radix contusa & in pulverem redacta, escis & decipulis luporum vulpium & canum inspergitur, ad præsentissimam internecionem; unde ei nomen apud Germanos. Eadem vis Narcotica Napello: unde Matthiolus, gnarus expeditissimi remedii adversus napellum conficiendi, quod fama ferebat, in valle Arianiæ, ad Tridentum, summa industria ac ingenti labore indagat capitque murem agrestem, napelli radice pastum. Sed magnatum quidam, cùm nulla opera murem eum indipisci quiret, antidotum paraturus, muscas & fucos vespasque napello insidentes captat viginti quatuor, addit terræ sigillatæ, bac-
carum

carum auri Mithridatici ana-unciam, tum effuso melle & oleo olivarum facit electuarium, quo vim napelli, & cujuscunque veneni retudit feliciſſimè! Sic cuneus cuneo, malum malo pellitur; ignis igni, frigus frigidâ extrahitur.

Sed opponam⁹ veneno ſalutaria, inter quæ acorus ſive acorum, vulgò Calmus, non poſtremum obtinet locum: litem medicorum cum Botanicis, quos Simpliciſtas vocant, noſtram non fecerimus, ſed ex Matthiolo cernimus radicem ejus nodoſam, albicantem cum innumeris filamentis, cujus caulis lævis & frondoſus, unde ex apice longum tuber uti corylus. folia violæ accedunt, ſed longiora ſunt & arctiora, ejusdem cum radice odoris ſuaviſſimi. Putatur ex Ponto, Galatia & Colchide per Tartaros Lithuaniæ illatus, & ad nos propagatus. Galeno dicitur calidus & ſiccus in tertio gradu, ſubſtantiæ ſubtilis, unde vim habeat reſolvendi & aperiendi, lieni convenientiſſimus, adeoque omnibus internis morbis à frigore ortis appropriatus. Lithuani radicem peregrè abeun-

abeuntes in promptu habent, quam in potum aliquamdiu demergunt certò persuasi, haustũ vel venenatum sic nihil obesse. Comesta matutino tempore halitum servat à fætore purum. Hinc fit succus, electuarium quod Diacorum vocant, condimentum & oxymel, spleni & hepati cõgrua.

Gentiana, à rege Illyrii Gentio nomen accepit, quòd eam primus mortalibus fecisset usui; radicem habet ferè brachii crassitudine, lævem, medullâ flavâ, odore gravi, sapore amaro, qualis est centaureæ. Folia ultra radicem sunt magna & spissa, aliquando rubentia: caulis est nodosus, cavus, dignitatis, vel justæ altitudinis virilis. Flos est luteus, folliculo inclusus, tandem dilatatur, & succedit semen. Sativa rarò ultra biennium perdurat. est & flos purpureus in flavum, aliquando in cæruleũ declinans, guttulisque atris cõspersus.

Optima censetur, cortice buxi flavedinem, medulla crocum referens; nec facilè rumpitur in quinquennium virtutis pertinax. Circumforanei, quòd sciant, hanc rusti-

rusticis sacram anchoram, eam cum baccis lauri & melle miscent, unde antidotum universale, quod theriacam vocant, conficiunt & divendunt. Chirurgi pessulos vulnerarios inde conficiunt, ut vulnus patescat. Radix contusa, & per sex dies aqua recenti macerata, in foco tenui coquitur, donec fundatur; tum à remisso calore per cilicium transigitur, & foco eidem redditur, donec consistentiam mellis induat; atque ad sanandas fistulas & serpentes humores feliciter adhibetur. Plura sunt, quæ addi possent, sed vel hæcce nobis desiderium radicis Indicæ extinguunt.

De intybi radice, quam cichoream vocant, Theophrastus Paracelsus de imag: Ex qua causa putas fieri, uti intybi radix à septimo anno in figuram alitis transeat? si scis, sile, nec margaritas porcis objice; si nescis, disce & inquire.

CAP. XXXII.

KInsu herba, ad urbem Kingyang, in Xensi, est ad instar flavi capillitii, unde aurea byssus dicta, sive bombycum aurea fila: amara gustu, & tamen frigidâ potius, quàm calidâ qualitate ac vi prædita. Hæc omnem longè à corpore pellit scabiem.

In Xensi est genus herbæ, quæ comesta tristitiam citò pellit, risum ac lætitiam parit; potissimum in monte Nieuxeu; Sinæ Quei vocant.

Ad Cin civitatem, in Pochung monte herbam nasci scribunt, Hoaco, quæ comesta steriles reddit.

Sub Xantung & urbe Cingcheu sunt insulæ, in quibus herba Lungsin, ab equis absumta, robur ac velocitatem tribuit.

Ad Kingcheu urbem reperitur herba, quam mille annorum vocant, quin & immortalem esse scribunt. hæc aquâ macerata, ac epota, albos crines in nigros commutat, atque ad vitam producendam conducit.

Lien-

Liencheu in Quangsi, inter medicas herbas etiam producit immortalem, Pusu, quia semper virens domi adservatur.

In Huquang, in maximo monte Vutang nascitur herba semper virens, seu sempervivum,

Ad Hoange heu urbem nascitur absinthium album, ita ob præstantiam à Sinicis Medicis dictum: & rubrum, in territorio Fungyang. utroq; variè, maximè ad ustiones utuntur.

In regno Tanyu nascitur herba quædam supra lapides, incombustibilis, tametsi in ignem conjecta, ibidem diutissimè linquatur. Ignescit quidem aliquo modo, at educta ex igne, quàm mox pristinam ingredinem recuperat, quæ nonnihil in cineritium colorem declinet. haud ita longè excrescit, sed ad instar cannabis brevioris fert capillitium, non tamen illi par robore ac firmitate, sed longè citius frangitur. Aquæ imposita in lutum abit, statimque corrumpitur. Ex eâ fortè veteres Romani Asbeston suum, sive pannos illos confecêre, in quibus mortuorum combure-

burebant cadavera, ne cineres cum rogo miſcerentur, ſed diſtincti ſervari poſſent. Neque enim fuerit ex Amantho lapide, ex alumine plumæ, aut Talco, quod eſt vitrum Moſcoviticum, ex quibus, ut & ex hâc herbâ Tartari concinnant Ellychnium perpetuum, quod nunquam emungitur, ſed cùm ſordibus concreſcentibus aliquantum oppletur, cõjicitur in ignem, putresque illi adhærentes fungi poſt uſtionem abſtergentur, quòd incorrupta in igni perſtet illius materia.

In Quangtung ad Kiuncheu eſt herba Chifung, quòd oſtendat ventum ſic dicta: nautis, quo menſe, & quot toto anno ſint futuræ tempeſtates, dat colligere, idque ex nodulis ſeu geniculis; quò enim nodi pauciores ſunt, eò pauciores illo anno futuræ ſunt tempeſtates; ex diſtantiâ autem nodorum à radice ſcire aut colligere ſe poſſe autumant Sinæ, quo menſe quælibet accidere tempeſtas debeat.

Urbs Lucheu in Nanking commendatur à præſtantiâ & copiâ herbæ Cha. foliculum eſt omninò illi ſimile, quod rhus coriaria profert, imò illius quandam

esse speciem nemo dubitat ; non tamen sylvestre illud, sed cultum est, non arbor, sed virgultum est, quod in ramulos varios aut virgulas potius se diffundit: nec flore admodum differt, nisi quòd hujus albedo nonnihil magis in flavedinem declinet. Æstate primum florem emittit, levi odore fragrantem ; sequitur bacca viridior, mox nigricans. Pro potione Cha coquendâ expetitur folium primum vernum, ac mollius, quod studiosè ac sigillatim unum post alterum manu carpunt, mox in ferreo cacabo, tenui ac lento igni aliquantulum calefaciunt, deinde supra stoream subtilem ac lævem manibus propellendo involuunt, atque involutum iterum exponunt igni, ac denuò confricant, donec in tortum rursus, & conglomeratum planè siccum sit. Id servant in vasis plerunque stanneis ab omni humiditate diligentissimè, & evaporatione custoditum. Hoc cùm in bullientem conjicitur aquam, etiam post diuturnam asservationem, ad pristinum virorem redit, seque expandit ; aquam odore suavi, si optimum est, saporeque non ingrato, præsertim ubi assueveris,

veris, ac colore subviridi inficit. Multis hujus calidi potus vires ac virtutem deprædicant Sinæ, qui eo noctu & interdiu frequentissimè utuntur, hospitesque excipiunt. Tanta autem ejus varietas, ac præstantiæ discrimen est, ut libræ pretium apud ipsos Sinas ab obolo ascē lat ad duos pluresve aureos. Illi potissimum adscribitur, quòd Sinæ podagram ac calculum nesciunt. post cibos sumtum omnem indigestionem ac cruditatem stomachi tollit: maximè enim concoctionem juvat; quin & ab ebriis adhibetur, levamen iis, novasque ad potitandum vires adfert, adeoque & crapulæ omnes molestias levat; siquidem exiccat & abstergit superfluos humores, ac vigilare cupientibus somniferos vapores expellit, oppressionemque somni, studiis vacare volentibus, arcet.

Sub Quangsi, in Cincheu concinnant incolæ pannum ex herbâ Yu, cujus panni præstantia sericum ipsum superat, majorique quàm istud, in pretio est.

In Queicheu, ad Liping, pannos conficiunt incolæ ex crudâ cannabe, seu her-

bâ, cannabi prorſus ſimili, Co: veſtes illæ pro tempore æſtivo eximiæ & commodiſſimæ.

In monte Tiengo centum genera medicarum herbarum laudant Sinenſes Medici.

In monte Kiohang raræ, & à Sinis plurimum expetitæ repeciuntur herbæ, aliaq; medicæ artis ſubſidia.

Provinciis Sinæ uſu venit, ut aliquid exotici moris ex viciniâ trahant: ita nonnullæ folio utuntur Bettelæ, quod per univerſam Indiam maſticatur, & aërem amat temperatiſſimum, à frigigiuſculâ abhorrens Sinâ, & torridâ Mozambicâ. Folium ad arboris auraicæ figuram proximè accedit, minus tamen acuminatum, ad palos ſuccreſcit frutex inſtar piperis Indici, aut lupuli Europæi, adeòque vitis: à pipere longinquior non diſcreveris: fructu caret, culturâ pullulat, in caulem debiliorem, unde ambitioſius humi repere non amat, & niſi fulciatur pedamentis, proximam quamque ambit amplexaturque arborem.

Lecta folia ſervantur incolumia, per

quæ-

quælibet compita vænum habentur, numero duodenario, fasciculata: neque hisce delitiis frustrabit genium masve, fœminave ullâ dieculâ, nisi per summum luctum, aut jejunium publicum, quin & alterum duodenarium conficiat; non in victum quotidianum, sed per illa spatia quæcunque à diluculo ad seram vesperam, licet consuetis prandiis & cænis intercepta, usque extenduntur. Et noctes pervigiles hoc modo transiguntur. Adhibetur folio Areccæ fructus, de quo inferius, & placentulæ ex arbore *Kaate*; cujus gratia calcem illinunt Bettelæ, ex ostreis excoctam, & modico usu innoxiam.

Hæc masticantur, quasi in primam concoctionem; separatur utique crassum à tenui, excernitur materia exuccis, ut substantia stomachum reficiat, halitum gutturis emendet, dentes firmet, gingivam roboret, Scarbuti morbum, quod denticidium lethale dixeris, procul habeat. Compertissimum utique, neminem Jndium graveolentia oris, dentium dolore Scarbuto & id genus incommodis tentari.

ri, cùm decrepitis ſepimentum dentium constet, quod ita luunt, ut dentes atrum sanguinem semper referant, ſputum idque momentaneum, ſanguinem imitetur.

Et Luſitano mulieres adeò aſſuetæ ſunt Bettelæ, ut ea ad cervical dormituris præstoletur; ſic interdiu noctuque ruminare videntur & excreare, cùm vix ſit quod agant, præter comendi ſuperſtitionem. Rideas verò viros ſecundum uxores itidem inſanire, uti Germaniæ Amazones nuri fiſtulâ Tabaci ſeſe oblectant, non alio, puto, fine, ut ſuaviantibus nihil officiat odor. Bettelâ & Areccâ excipiuntur hoſpites utriusq; ſexus, appoſitâ quadrâ, calcis dicata.

Compita & viæ publicæ præbent & Bettelæ & Areccæ, adeoque calcis juſtam æquipollentiam emturis; nec Kaate negatur petentibus. Primùm ſumitur pars Areccæ & Kaate, iis per dentes ſubactis additur Bettelæ folium, ſed ex quo coſtæ ſubducantur pollicis ungue, quem in hunc uſum alunt non rotundum, ſed acutum: illinitur calx, fit convolvota: poſt

maſti-

masticationem ejicitur succus sanguineus, quem Arecca facit, & creditur orificium ventriculi à vitiosis humoribus repurgare, uti subtilior succus ventriculi juvet digestionem. Omnes omninò Indici per plateos gratissimum hoc enchiridion ferunt, & paulatim minuunt; Ea summa cura Magnates adeuntibus, ne halitus corruptior offensionem pariat, adeò ut rusticorum numero censeatur, ab hoc delitio inermis. Mulieres sese viris inde gratiores, & viros sibi valentiores esse persuasum habent. Usus maximè necessarius videtur à prandiis & Cœnis.

Folia maturrima flavescunt & optima; quædam tamen mulieres immaturiores ob fragoris titillationem præhabent, corruptioni ex contactu manuum viciniores. In Malacca fructus exoritur frutici, instar caudæ serpentinæ, digitalis, grato esui. De ambulacra lucrosa fiunt, ubi Arecca, quod piperis speciem licet nuncupare, applantatur, & frequentius irrigatur. Reges nunquam non convalvulas illas è vase aheneo à sectariis repetunt: legatos tametsi linguæ vicinioris gnari, per interpre-

tes audiunt & dimittunt, in lectum re ſupini, vel humi deſides in tapete, famulis ſubinde bettelam præbentibus; craſſiorem materiam in pelluvium argenteum rejiciunt, quod vel conjux, vel amilla nitidior exhibet. Honoris verò linea extrema ducitur, quoties legati ad eſum regiæ Bettelæ invitantur.

Sunt qui addant Camphoram, ſed non ex conſilio uxorum, alii aloën, deniq; florem Nucis Indicæ, & Ambram cinericeam, quæ compoſitio & palato & naribus eſt gratiſſima, ſed & pretioſa: Vulgus etiam Cardamomum adhibet. In mediterraneis, ubi nullus Bettelæ proventus, maximum ejus deſiderium & pretium : feruntq́ue, Nicamoxam regem Decani, ſingulis annis ex hoc mercimonio tributum capere tricies mille aureorum. Sic ornantur convivia, ſic dimittuntur gratiſſimi ad peregrinationes, ſive hoſpites, ſive domeſtici. Reges magnificis ſuâ manu, tenuioribus alienâ tradunt : Eorum mandatarii ſacculum convolvularum accipiunt, nec ante licet ire.

Haud longè à Surdâ eſt Inſula Pulo Se-

vessi, cujus gemini montes ultra Bantam conspicui, quæ Bettelam sine culturâ producit, unde Javani cymbatim eam aufferunt, tanto chariorem, quod urticis permixta nudis collectoribus vel triduanum ex pustulis ardentibus dolorem vindicet. Duæ viciniores insulæ Bettelam alunt, sed parcius, & minus laudatam, ob sulphureum arenosum solum. Tyronibus suboritur vertigo ebriosa: navigantibus in usu sunt pastilli, ex convolvulis conflati.

Tabacum lubet huc referre, nuper Nicotianæ nomine famosum, à Nicoto Lusitano, qui illud ex Indiis in suos transtulerat hortos, ornatus gratiâ; sed vis ejus innotuit famulo, qui per imprudentiam vulnusculum suo sibi fecerat digito, quod neglectum, & nimio exercitio muneris, adeoque madore aquæ irritatum ceperat inflammari, unde lancinatio interior, extus inflammatio, & doloris in partes proximas diffusio, & fabricula universum corriperet corpus. Viderat ille brassicæ folia, carbonibus aliquantillum ad expellendam frigiditatem crudam fracta, imponi

partibus affectis, & sic eas demulceri: sic folium Tabaci dextrâ illæsâ atterit, & sinistræ laboranti imponit; mirum, continuò virtutem fruticis experitur, sed potiorem quàm sperabat: nam ubi anodynum istud iterum atque iterum repetit, videt evanescere vulnus, adeoque coire & sanari. Quod hero relatum, frutici honori, mortalibus usui fuit.

Anglis & Lusitanis debet hoc Europa: sed ex provincia Virginiæ laudatissimum adfertur. Semen spargitur, in solum fæcundum, quod rigatum pro more brassicæ, producit germen bifolium; id propaginem liceat dicere, quòd ex lectulo revulsum agro committatur pingui, ut adolescat; cùm autem plurimum sitiat, scrobem amat fieri sibi, ut pluviam avidius hauriat, & corrivet ad fovendam radicem, adeò ut cælo longum sicco, à cultore poscat fluvialem, putealemve. Hinc nata fabula, Tabacum attrahere nubes, pluvium facere cælum, messem remorari: scilicet ad Septentrionem emittet frutex exhalationem, & effractis abyssi repagulis remulco attinebit nubes, quæ nostrum

ſtrum obtegant horizontem, ut cælum vehementius lacrymetur. Fuit tamen, cùm hæc opinio pervaſiſſet, & frutex novus per agrum ſecalem ſparſus abundaret humido cælo, neceſſe ob id tardiuscula, per flagellationem annonæ, ut pueri ephæbi ex urbe M. ad Moſellam prorueerent agminatim in agrum ſuburbanum, ac Tabacum nihil tale metuens, preter omne meritum ſuum crudeliſſimè involarent, apicem, cui poſterorum ſpes credita, à caule, non ferro, quod breviſſimum ſupplicium, ſeparant, ſed manibus digitisque tanquam leo agnum, falco columbam, revellunt, fibris violenter ruptis, venis nihil obſtantibus: diſcerpitur reſtis, alioqui in folia ampliſſima longiuscula diſſecta, nudatur ſtipes inglorius, & tot vulneribus coopertus, exanimari ſe patitur, ſine ſpe impetrandæ vitæ: neque ſic licet otioſo ſpectare ſtragem, quin radicitus extirpetur, ne ſcilicet vindictæ memor exardeſceret. Actum erat de univerſa colonia, niſi miles, pueris longè clementior, miſericordiam in Tabacum, indignationem in hoſtes puſillos induiſſet, impetu facto, igni-

vomas fistolas ad terrorem innocuè exploſiſſet, poſtquam clamores & nudati enſes nihil profecêre, donec receptui ſeſe cohortes, ager mæſtæ quieti, & vindices triumpho tradidiſſent. Sic jocularium componitur bellum, colonis nihilominus calamitoſum, qui tunc demum illud Virgilianum intellexêre: Fama malum, quo non aliud velocius ullum.

Sed Germania ſuperior acceptum hoc Naturæ ſacrarium fert Gallo cuidam, qui in Virginia diutius commoratus modum ejus plantandi & funiculandi probè animadvertit, & rei faciendæ gnarus, ſemen cum ſcientiæ ſacrario apud amicum J. Pi. deponit, peregrè abit, Fractum Rhenanum, maximè ubi Alſatia audit, nihil deſpecto Mæno inferiori, ſibi eligit, conducit agros, conficit ex foliis aridiuſculis chordas digitali craſſitie, aut minutiores, admiſcet fæces vini & herbarum nonnullas virtutes, tinctorum atramentum tamen ob ſal nitri exoſus, fuſcâ non atrâ ſpecie gaudet, fiſtulas lemnias, porcellanas, figlinas, ſubactâ cretâ obductas parat, quæ capitolium latiſſimo labro præferrent

rent ad excipiendum Tabacum jam funiculatum, sed minutissimè concisum & nonnihil tostum, unde admoto igni arderet, & fumum per fistulam sesquispithamalem attrahenti ori permitteret; fumus autem per guttur nullus descenderet, ne arteriis infestior pervaso ventriculo intestinorum fæces uno ictu resolveret alvũq; cito citius dejiceret, nullo ad compositionem corporis indulto tempore, omni caligarum incommodo. Tantus vindictæ ardor & raptus.

Sed subtilior pars fumi, spiritalis utique, & ipso igni impulsa, tentat cerebrum, quod natura homini fecit frigidissimum, & humores superfluos præcipitat in linguam, unde sputi copia & necessitas, dum crassior pars fumi semihiante labello in aërem remittitur, quemadmodum omnis digestio, omnis cribratio, filtratio & sublimatio purum ab impuro separat. Non tantum volumus debere Italiæ, quæ aliquando ex Indiis luem allatam Gallis fecit familiarem, Europæ communem, ut hoc divinum naturæ donum inter ipsius referamus beneficia, quasi ad Avernum suc-

crevisset primitus Tabacum, aut alicubi in radicibus Vesuvii, ubi solum videtur Inferorum vaporario esse vicinius; quod exæstuationes adeoque incendia; & cinis consumtorum saxorum latissimè sparsus arguerit. Tædiosorum hoc est hominum commentum, quibus nulla dexteritas Tabacum fumandi, nulla cura miraculorum: illi vociferantur, Proserpinam denuò rapi, Cererem haberi despectui, mortalibus fumum propinari, non nutrimentum. Aulæ, inquiunt, fumus est proprius, aula fumos vendit, aula fumo victitat, aula fumo enecat, enecatur. Quid ruricolis cum fumo? sed eò processerit morbus iste epidemicus, ut, licet assiduo luceat igne focus, jam fumus recreet, & instar thuris ædes, vestemque atque aërem odore suo perreptet.

Redigitur etiam folium chordatum in pulverem, cui lilium convallium, & aliæ herbæ acrioris virtutis admixtæ, ad concitandam sternutationem, si ex superficie manus tantillus naribus attrahatur ad vestibulum syncipitis, egregio cerebri evacuandi & extergendi remedio. Ajunt tamen,

men, nimio uſu illud exiccari, inſtar pyri in fornace, admiſſa etiam fuligine. Nunquam ſatis laudari poteſt vel cineris virtus, qui in vulnus ſparſus mordet quidem, ſed à putredine abſtinet; ſanationis fidiſſimus miniſter: etiam inveteratis & ſerpentibus fiſtulis feliciter adhibitus. Qui prurigine & ſcabie vexantur, folia ſive arida, ſive ſucculenta pertractent, aquâ, quæ maceraverit eadem, abluantur, & nitidiuſculi incedent. Ferunt, malum Perſicum in patrio ſolo venenum indere veſcẽtibus; in alieno prorſus innocuum: Cælone, an induſtriæ cultuive tranſcribetur, Tabacum noſtrate Virginiani deſiderium dudum ſuſtuliſſe, quin & è Germaniâ ſuperiore deſcendit in inferiorem, ut ſaltem compage & ſigno indueretur exotico, poſtmodum reductum in ſummâ foret laude. Siccine alter orbis repetet, uti argentum & gemmas, quæ mutuaverat? Volunt tamen, Tabacum æſtu marino & Solari reddi exilius; quòd navigationes aliquot menſibus egeant, aliquando etiam merces hæ negligentius condiantur, habeantur, &, pro curſu Solis, umbras & dex-

tras

tras & sinistras spargentis eis æquatorem diversum quid, aut tenuius spirent. Sic jam fecerimus Tabacum nobis genuinum, uti indigenatum inter provinciales licet indipisci & merito & temporis decursu.

In provincia Xensi, ad Hocheu urbem, magna copia est Cannabis: tota Sina caret lino.

Ad Kienchang in Kiangsi oryza crescit, adeò præ reliquâ totius Sinæ præstans, ut ad ipsum Imperatorem inde deducatur; eam ob præstantiam argentea grana vocant.

Ad Kingyang urbem in Xensi, nascitur oryzæ species, quæ purgandis corporibus aptissima est, præcipuèque urinam ciet, ac vesicam exonerat.

Gossipii semen Sina ante annos plus minus quingentos accepit.

In Chekiang, ex monte Tienno, ad Hangcheu (Quinsai) infinita vis fungorum per totam Sinam defertur, quos sale conditos exiccant, ac per totum annum servant, coquendos aliquamdiu aquâ

ma-

macerant, ut denuò quaſi recentes evadant.

Peci fructus, per totam regionem urbis Kiahing in Chekiang naſcitur in ſtagnantibus aquis, figurâ rotundus, cujus magnitudo caſtaneam nucem haud multum excedit: pellis ſubtiliſſima, pulli coloris, nucleum veſtit, cujus intus cādidiſſima caro eſt, plena ſucci, gratique ſaporis, durior quàm pomorum vulgarium, ac parum per acida. Si ſimul cum fructu cupream monetam ori immiſeris, dentibus eâdem facilitate, quâ fructum comminues, ac in pulpam comeſtibilem rediges, mirâ naturæ vi, & experimento ſæpiſſimè compertâ.

In Quangtung paſſim creſcit vimen illud mirabile, quod Sinæ Teng, Luſitani Rota vocant. Funem à naturâ contortum credas, quòd in maximam extendatur longitudinem, ac veluti funis per terram ac montes prorepat. Spinis horridum eſt, foliisque oblongioribus viret, craſſitie vix digitum æquat, & tamen ſæpè ad integrum ſtadium diffunditur, tantâque per montes copiâ, ut inter ſe intricatæ ſtir-

ſtirpes, etiam cervis iter impervium reddant. Lentiſſimum prorſus vimen eſt, maximèque fractioni reſiſtit; quamobrem ex eo rudentes, funesque pro navibus confieri ſolent. Imò illud in licia, vittulasque tenuiſſimas minutiſſimè partiri ſolent, ex iisque corbes, crates, ſedilia, aliaque ſimilia contexere, maximè verò ſubtiliſſimas ac molliſſimas illas ſtoreas, in quibus Sinenſes plerique ad ipſum regem nudi, dum ſomnum capiunt, decumbere conſueverunt. Quæ res & mundiſſima eſt, & ætate perfrigida, ac Sinenſibus, tametſi eæ ſtoreæ vel nudis aſſeribus inſtratæ ſint, ſat commoda videtur, ob longam ita decumbendi aſſuetudinem. Ex iisdem viminibus ipſos lectulos efformant, & pulvinaria, quæ rebus quibuſdam odoratis infarciunt ad delitias. Inſula Hainan tota hoc vimen profert, atque illud præcipuè præſtantiſſimum, quod Rotam albam dicunt.

Ager provinciæ Xantung inter cætera fert fabas & phaſeolos.

Ad Changchung urbem datur genus

fabæ,

fabæ; quod præsentissimum contra omnia venena præstat remedium.

Phaseoli seu fabæ crescunt alicubi in arboribus.

In Kiangsi crescit flos Lien, cujus fructus figura plane est conica, & magnitudine palmam manus excedit, crassitie pugnum. Coni hujus vertex seu acumen, petiolo, cui flos adhærebat, annexum est, basis cælum suspicit, in quâ folliculi, seu domunculæ variæ sunt, intra quas multiplex fructus continetur, ita ut solus vertex promineat. Hujus moles elleptica avellanas, fabasque majores Europæ æquat, unde nil mirum, si hunc fortasse fructum Dioscorides fabam Ægyptiam dixerit. Armatur fructus cortice viridi, molliori tamen; intus est nucleus albus; optimique saporis, tum recens, tum exiccatus. A Sinicis medicis optimæ habetur notæ, magnarumque ad alimentum virium; unde debilioribus eum passim, post ægritudinem convalescentibus offerunt. de flore & radice suis locis.

In regno Laos, Sion & Camboya, liquefactæ nives, ex montibus Junnan, causantur

ſantur inundationes, quibus par aſſurgit oryzæ culmus, quantum ipſa aqua aſcendit; adeò ut naviculis inſiſtentes, maturam demetant, ſtirpe ſub aquis ſemper latitante, ne alioquin emoriatur.

Europa nunc ſuas nobis exhibeat opes iſtius generis: Podagram & calculos renum neſcire Sinas audivimus, ex potione Cha: non tamen aſſeritur, acerrimos vitæ jucundioris hoſtes eâ fugari, quod apud Europæos contigiſſe, exiguo admodum aut nullo ſumtu, comprobant unum atq; alterum exemplum. Lucas Kelin, civis Landsbergenſis, prædives ſummo luxu, delitiis & otio affluens, podagram ſibi accerſiverat: à qua paululum liber, ſubinde eques animi gratiâ, peregrè proficiſcens, duobus ſervis, qui herum, quoties equum aſcenderet, aut ex eodem deſcenderet, ſublevarent, aut euntem humeris ſuis fulcirent, ſtipatus: tandem ad extremam egeſtatem redigitur, unde vino, aliisque lautitiis carendum, ſed victu adeò acciſo, & pro pauperis conditione frugali inſtituto, podagra mutandum cenſet hoſpitium, & hominem deſerit. Ille & quinquagenarius

narius merces corbe dosuario hinc inde, altissimos montes scandēs, discurrit, & divendium quærit, & exactâ importuna podagra victum sic invenit: Chr. Wirsung. l.4.

Singularissimum præsidium, neminem fallens, ante seculum sese evexit , contra podagram, cujus remedii facultas omnibus quidem obvia, sed usus austerior abstinendum suadet: Franciscus Pechius, prius ex catharro sanitati feliciter restitutus , medelæ tamen exemplum præbet certissimum. Is mulam conscendit , illustrissimi Ducis sui mandata executurus, anno ætatis quinquagesimo , sed podagricus , & quidem diuturnis istius morbi cruciatibus oppressus: capitur clam, & à Marchione hoste in ergastulum conjicitur, detinetur, ut tandem uxor, filius unicus, aliique eum vita defunctum, maximè post annos complures crederent.

Sed anno C. 1556. postquam vicesimum in carcere explevisset, Gallis in eam arcem irruentibus , incolumis inventus est, miroque Vercellensium spectaculo, tanquam Lazarus è monumento, divino

uti-

utique munere servatus, nulla articulari læsione, ense accinctus, nullam nixus baculo, per urbem incedebat, omnemque ex tenui victu, à carceris custodibus indicto, podagræ noxam effugit; uxore, filioque mortuis, prædia ædes, omneque divenditum, opimum certè patrimonium jure ipso revocat retrahitque! Hostis de vita desperantem sarcasticè solabatur, Nihil metueret vim, offensarum expiationem mille mortibus non absolvi; viveret, sed & singulis momentis moreretur, vir ægrotus & ætate provectior, ad aquam & atrum panem è delitiis delapsus. Ubi verò vindicta salutem attulit, ille non ingratus, cùm demortuum non posset demereri Marchionem, anniversaria ipsi constituit sacra tanquam Sospitatori. De eo hoc carmen: Zumalia occlusus bis denis Pechius annis, Ter quoque bis vivus vivere posse putat. Franc. Alexand. in Medic. Phœbo. p. 159.

Verum enimverò herbas & fruges poscis: dabuntur. In Sardinia Insula nascitur herba Sardonia, quam alii Ramunculum nuncupant, de qua Solinus: Sardonia si edu-

ſi edulio fuerit, veſcentibus nervos contrahit, victis ora diducit, ut qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant.

Fœnum Cruſtuminum, apud Plinium, ibi natum eſt noxium; extra limitem elatum, ſalutare.

Item herba Sabina, aliis Rododaphnes, ſempiterna fronde, roſæ ſimilitudine, caulibus fiudicoſa, jumentis capriſq; & ovibus venenum eſt; eodem homini contra ſerpentium venena remedio.

Si Scorpii obitus accidat venenatæ herbæ contactu, reſtituitur ad vitam Elleboro, inquit AElianus.

Liguſticum mare frutices procreat, qui, quamdiu ſper fuerint in aquarum profundis, fluxi ſunt, tactu propè cornulento: deinde ubi ſupra attolluntur, germinis natalibus derogatis, lapides fiunt, nec ſolùm qualitas illis tantùm, ſed & color vertitur: nam puniceo protinus erubeſcunt: ramuſculi ſunt, quales arborum vi ſimus, ſemipedem frequentius longi, rarum eſt pedaneos deprehendi, Cyrallium alii dicunt. Solinus. Adſtipulatur Baſilius: Corallium

rallium in mori quidem frutex est,& planta; cùm verò in aërem prolatam fuerit, ad lapidis soliditatem transgelatur.

Inventum est linum, inquit Plinius, quod ignibus non absumitur, vivum ut vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappus, sordibus exustis splendescentes igni magis, quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam à reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardencto, mirum inventu difficile textu, propter brevitatem. Ruffus de cætero color, splendescit igni. Cùm inventum est, æquat pretium excellentium margaritarum: & vocatur à Græcis Asbestinum, ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborem surdis ictibus,& qui non exaudiantur, cædi.

Strabo videtur his congrua scripsisse, cùm Creticum linum à Cyprio discriminat, traditque petram esse, quæ attrita, capillamentis tantum remanentibus, excussa terrea materia, pectinibus aptetur, unde

per

per optima tela conficiatur, quæ igni non uratur, adeò ut sordidata igni excoquatur ad munditiem.

Et ne solis veteribus fides adhibeatur, novissimus Podoscattarus, Cyprius eques, qui de rebus Cypriis scripsit anno 1566. & linum Cyprium penes se habitum, Venetiis ostentabat, quod in ignem conjectum, illæsum ac perpurgatum, mundissimumque recipiebat. Verùm illud magno miraculo, quòd hujusmodi contexta tela non ab herbis originem ducat, sed à lapide Ammianto, qui in Cypro Insulâ repertus, malleis contunditur, & excussa terrea superfluitate, capillamentis suis speciem lini retinet, & contegitur in telam.

Id visum in Podo cattari ædibus, coram eximiæ virtutis viris non paucis, testatur Thomas Porcacchius funeralium tabula 1. Propterea ex hoc Amianto linum confectum & inconsumtibile, ut perpetuo lampadibus arderet in baptisterio suo Romæ Constantinus Imperator statuerat, teste Damaso. Quin & Ludovicus Vives scholio ad D. Augusti. de Civ. dei testatur, se hellychnia Parisiis permulta vidisse, quæ

lucernis semper ardentibus nunquam absumerentur. Mantile quoque Lovanii medio convivio igni datum, redditumq; Domino mundius splendidiusque, quàm posset aquis & smigmatis quibuslibet.

Malva mirabilis in ipsa Italia, passim, Romæ, Neapoli, aliisque provinciis, crescit in arborem etiam usque ad pedes viginti.

Glycyrrhiza radix est dulcis, pectoris obstructionibus idonea solvendis: per Franconiam Orientalem succrescit, & colitur, tanquam salix, sed humilior non assurgit in truncum; & nisi tertio anno propagetur, evanescit; aliquando pollicis crassitudinem æquat, sed rarius salicetum pullulans videtur ager.

Filix ubivis locorum obvia, duo habet genera, mas utique & fæmina. Filix mas folia habet cubitali longitudine, ex uno pediculo exeuntia, incisa, & ut alæ avium [illegible]plicata, odore subgravia: radicem verò [illegible] superficie foris nigram, crassam, [illegible]ngā, adnascentias appendicesq; multas habētem. Filix fæmina folia habet mari simillima, non tamen uno singularique

pedi-

pediculo hærentia, ſed adnaſcentes ramulos multos altioresque habentia. Radix illi longa, obliqua, in nigro colore ſubflava, aliquando verò rubeſcens. Utraque ſpecies montibus montibus ſylvis & locis ſaxoſis gaudet, effoditurque occidentibus Vergiliis. radix latos lumbricos enecat, ſed & abortum ciet, & ſterilitatem mulieribus inducit.

Miratur Hieronymus Tragus, & florem & ſemen frutici negari, quod ipſus quartum in vigilia Johannis Baptiſtæ ante lucem collegerit nigrum, inſtar papaveris, & linteis & latis foliis exceptum, idque diverſa quantitate, & vel ſub centenâ nullum, ſed centena etiam granula ſub unâ. Aſſeverat verò ille ſe neque adjurationibus, neque characteribus ullis uſum, ſed adſcitis duobus comitibus de nocte egreſſum in locum ſolitarium, excitato igni illuſtrem. Miraculum naturæ non ſcrutatur, non propalat, non intelligit. Sed & hoc addit, radicem diſſectam oſtentare ex utraque parte aquilam bicipitem nigri coloris, cùm pulpa albicans fibras admittit, quæ iſtam figuram feliciter

præſtent: quid verò jucundius, unico ictu Cæſaris pingere inſignia?

Urticæ canabim imitantur per Bohemiam, quæ cultæ caulem reddunt, unde filum conficitur, quod & magnatibus in delitiis ad fimbrias dentatas collaribus circumdandas Belgico lino longè charius, quod rarius; ſed flaveſcit, nullis aquis dealbandum.

Cùm Aſiâ ferè repudiatâ Europa ſortem filiorum à Numine acceperit, ea maximè ſua reputat quæ Paleſtinæ fuerunt propria; ſic & balſamum. Juxta urbem Engaddi ager erat egregius, gratiſſimum ſpirans odorem multitudine arbuſtarum, & aliarum odoriferarum herbarum, maximè balſami, quæ eo loci ubertim naſcuntur. Sunt autem balſama arbuſculæ, uni omnium terrarum Judææ quondam conceſſæ, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat; quarum frutices ſi acuto vitro, lapide, oſſeisve cultellis incidantur, ſtillant ſuccum pretioſiſſimum, eximiæ ſuavitatis, quem opobalſamum vocant, præferturque omnibus odoribus.

Hunc

Hunc hortum, ſeu vineas balſami, tempore Herodis Magni Cleopatra, Ægypti regina, concedente Antonio, vel amatore, vel marito, invidens tantam felicitatem Herodi, tranſtulit in Ægyptum, ubi irrigatur à fonte parvo, uberrimo tamen: inter Heliopolim & Babylonem, habetque hortus in latitudine unum in longitudine duos jactus arcus, terræ ferè albæ. Nos cùm ibi eſſemus, inquit Salignianus, menſe Septembri, balſami lignum humile erat, palmi ſcilicet dimidii in altitudine, folia habens parva, ut ruta, albiora tamen. Meſſis balſami talis eſt; decerpitur folium ex ſtipite, contra Solem, moxque gutta lucida, & mirè fragrans ſcaturit ex rupturâ: & ſic balſami pretioſiſſimus liquor vitreis vaſis colligitur, minimè fluxurus, niſi ad ortum Solis fiat ruptura. Fonticulus autem (in quo fama eſt ſæpè lotum à B. Virgine puerum Jeſum) parvulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti: quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, ſperantes ex vicinitate fontis aquam fore ſalubrem: at longè ali-

terres evenit, donec missis canalibus aquam putei ducerent in fontem, quo facto largiter & salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami hortus. Mirum dictu: verumtamen à meridie Sabbathi usque ad auroram diei Lunæ boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahendâ aquâ laborent, quod est fidei testimonium nostræ celebre. hactenus Salignia cus.

Kki, sive Ricinus est frutex æstivus, frigoris impatiens, succrescit quotannis ex grano cinericeo in rufum declivo, mense aprili; id caninum insectum rotunditate & crassitie refert, etiam colore: hinc germinant bina rotundæ formæ, coloris rufi filiola, in medio consurgit caulis altus & fragilis, cujus folia superius, adversò, reliquorum fruticum usu, maxima sunt & latissima, instar pedis anserini, septenis plerunque etiam novenis partibus, quas folia diceres, nisi cohærerent, ex uno pediculo propendentibus, adeò ut exteriore una sit maxima, proximiores verò minores, & quæ caulem spectant minimæ. Erigantur ea sponte ad excipiendam pluviam, vel solem imitantia, omnia serrata dentibus.

Cau-

Caulis albicat, & fuſcatur, non rarò duodenûm, & quindenûm pedum: emittit alios caules, qui in cacumen ſterile deſinunt, dum flos & luteus & ruber ex gemma prodit, cauli affixo: prior flos luteus decidit, poſterior ruber generat grana aculeata triangularia: ubi maturuêre, diſſilit folliculus, & illa decidunt; caulis verò quantuscunq; cum universâ diſperit ſubſtantiâ. Ex hiſce granis ſacerdotes Ægyptii oleum exprimebant, cùm alio uti ipſis nefas eſſet: vel inde fuerit noſtris illatus frutex hortis.

Juniperus frutex ſpinoſus, emittit menſe Majo pulverem flavum, quem florem licuerit credere, ſuccedunt bacculæ virides per ramos, inter aculeos, quibus frutex undiquaque armatur, virides, breviusculos, qualia ſunt libanotidis folia ferè: nigreſcunt granula usque ad autumnum, & ubi maturuerunt, dulcem acorem præbent; ex lapidoſo ſemine, quod includunt, alii ſuccreſcunt frutices. baccæ aliæ majores, aliæ oblongæ, aliæ prorſus acidæ. Reſinam fundit primo verè læſus adorantam, thus dixeris barbarum. Cortex In

cinerem redactus mundat lepram illitus: radix ſerpit in multos ramos, & conclavi illata ſpirat odorem gratiſſimum, qui ex foculo eſt ſalubrior: trunci non eadem virtus. Bacca viridis & odorem & medicamentum præbet: ſed maturæ magnus uſus, vel omni pipere præferendæ, unde conficitur oleum, quod cum balſamo Palæſtino contendat: quin & lignum eſt oleaginoſum. Virgilius Juniperi umbram dixit gravem, minus ſalubrem.

Hic occurrunt tot ſpecies batorum & ruborum, ubi Cynobatus quam Frambæſiam vocant; Chamebatus in agris, myrtillus in ſylvis, groſſularis in hortis, ſive rhamnus.

Cap. XXXIII.

FLORES.

IN provinciâ Suchuen, ad urbem Chungking magna eſt copia florum Meutang. Etiam in Xeuſi, ad Jengan urbem. Is maximè æſtimatur à Sinis, inde rex florum dictus: roſâ noſtrate major eſt, cujus

cujus tamen figuram imitatur, ſed folia magis expandit, odore quidem cedit, at pulchritudine ſuperat, ſpinis caret, coloris eſt magis albicantis, quaſi ex purpureo & albo miſti. rubri etiam flavique reperiuntur: naſcitur in virgulto, ſambuco noſtrati haud abſimili. Per totam Sinam in divitum viridariis colitur, idque magnâ arte ac diligentiâ; in calidioribus quippe locis æſtate, contra Solis ardores tegitur.

In Hoquang, ad Tau civitatem, ingens eſt lapſus aquæ, quæ quàm mox ſtagnum efficit, in quo Lien flores, crocei coloris naſcuntur, qui hujus coloris alibi difficulter reperiuntur. In Kiangſi maximè abundat, Luſitanis Fula de Golfo dicitur, per aquas ſtagnantes, quarum ſedimentum limum efficit; creſcit ad duos tresve cubitos, aquæ ſuperficiem eminens, duris fortioribusque ſtolonibus adnexus. Una ſæpè radix plures fert flores, qui inveniuntur coloris varii, purpurei, albi, mixti, rubri, & ejusmodi. Lilia noſtra magnitudine ſuperant, ac longè magis pulchritudine, cedunt tamen illis odoris, quo carent, fragrantiâ: tulipam maximam diceres, à qua

figura non admodum discrepat. Nam etiam, cùm folia aperit, repondi lilii figuram habet; quin & foliis striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim se laxantibus, effigie calathi est, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & stantibus in medio globulis, velut lilii, croceis. Folia stirpis maxima sunt, & plerunque figuræ rotundioris; aquæ superficiei incubantia, ac supernatantia, ut nymphææ per Europam solent, longioribus petiolis radici alligantur, subinde ad duorum palmorum longitudinem extensam habent diametrum. Sæpè hisce similia folia in stagnantibus etiam Europæis aquæ videntur, sed sine flore & fructu. Hæc folia, ubi exiccata fuerint, olitoribus, scrutariis, aliisque minutiorum similium rerum propolis, loco papyracei involucri, aut cuculli sunt, quibus merces divenditas infarciunt.

Res est prorsus amænissima, integros sæpè videre lacus floridos, non sylvestribus illis, minimèque frugiferis, sed manibus hominum satis, domesticisque floribus, quorum cultura singulis annis renovantur, semenque intra ipsas aquas projicitur;

citur; quin imò in hortis ac viridariis, & in ipsis palatiorum atriis, intra vasa testacea ingentia, limo & aquâ repleta excolunt, ac educant Magnates, illorum tum pulchritudine, tum amœnitate allecti. de fructu & radice vide alibi.

Rosa Sinica est, quæ diebus singulis bis colorem mutat, purpureaque modò tota, modò rursus omninò alba evadit: caret suavitate odoris. Mutatio illa colorum arcanum fuerit naturæ mysterium, mystis illis amplius discutiendum, quibus novas jam de colorum natura, lucisque incidentia & reflexione sententias cudere allubescit.

Queilin metropolis in Quangsi, dicitur à floribus Quei, qui, licet per totam reperiantur regionem Sinensem, nullibi tamen copiosiores sunt, quàm in hac provincia, maximèque in hujus urbis territorio. Nascitur autem flos in procera arbore, quæ folia habet lauri, aut Cinamomi; flos est minimus, flavi coloris, in racemulos dispersus, suavissimi planè odoris. Apertus in ipsa arbore perstat longo admodum tempore integer, minimèque flacce-

ſcit: ubi decidit, interjecto unius menſis ſpatio, denuò arbor repullulat novumque florem gignit, autumnali tempore. Tam fragrantem gratumque exhalat odorem, ut regionem totam, cui arbor vicina eſt, à ſuavitate recreet atque perfundat. Hunc ipſum florem Turcæ, limonum ſucco maceratum, ad crines equorum tingendos adhibent. Ex eodem Sinæ multa bellaria, ori ac naribus gratiſſima, adornant.

In Chekiang, ad Kinhoa, naſcitur flos ille, quem in Indiâ Luſitani Mogorin vocant, in parvâ arbuſculâ, albiſſimus, Genſemino non abſimilis, niſi quòd plura habeat folia; odorem exhalat ſuaviſſimum, Genſemino multò nobiliorem, adeò ut ab uno flore tota domus redoleat. Eſt apud Sinas, nec immerito, in magnâ æſtimatione, illiusq; arborem ab hyemis intemperie, in vaſis ad id deſtinatis, diligentiſſimè cuſtodiunt.

Queicheu habet Civitatem Pingyve, quæ producit flores Genſaminos.

Europæi adeò admirati ſunt flores, ut Floram fecerint Deam, quæ floribus præeſſet, placanda utique ſacrificiis, ut fruges,

cum

cum arboribus aut vitibus benè florerent. Nam Ovidius canit, non ignobilem fuisse Nympham, cui nomen Chloris, quæ Zephyro collocata in matrimonium, dotis loco id muneris à marito acceperit, ut omnium florum haberet potestatem.

Coronæ Deorum honos erant & Larium publicorum privatorumque, & sepulchrorum & manium. Antiquæ Majorum inscriptiones jubebant defunctorum urnas rosis spargi, ornarique quotannis ex testamento. De eo more etiam Hieronymus ad Pammachium. Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur.

Sapphon poëtria dicere solebat, si regnum inter flores à Jove constitueretur, rosæ id debui; vel Francofurti spectare licet lutei coloris. In Calabria cœli clementiâ bis oriuntur eodem anno, & Majo & Septembri, unde apud Poëtam celebrantur *biferiq; rosaria Pesti.*

De hâc poëta

Quammodò nascentem rubilus conspexit
Eous,

Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed benè, quòd paucis licet interitura diebus;
Succedens annum prorogat ipsa suum.
Collige Virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes;
Sed memor esto, ævum sit properare tuum.

Lilium, inquit Plinius, rosæ nobilitati proximum est. Florem regium appellatum, & pueris notum, à regiâ utique, quâ præstat celsitudine, ferèque in summis coronarum verticibus ponebatur. Nam supra flores alios attollitur, interdum spatio cubitorum trium. In nummis veterum Imperatorum cernitur Dea, dexterâ lilium prætendens, cum inscriptione *Spes publici; Spes Augusta. Spes P.R.*

Persarum insigne erat lilium, uti modò est Francorum occidentalium, quos usitatius Gallos vocamus. Habitabant enim reges in Susa, quæ non à fluvio Suso, sed à voce Hebræa sive Chaldæa & Persica Susan, ad lilio, Imperii insignibus, aut copia floris illîc mallentis. Sic Pausanias refert, Jovi præter alia pallium erat aureum, in quo

quo diversa animalia, tum ex omnibus florum generibus, lilia in primis cælata erant. Matronis regii sanguinis apud Gallos licet spargere vestem liliis; cæteris neutiquam. Paschalius docet, si radices rubro vino tingantur, lilia nasci purpurea.

Videt Italia in hortorum areis herbam, quæ florem gignit asperum, ut serici floccos, purpurei coloris, *fior de velluto*, herba odoris expers, & quæ resecta diu duret: huc Græcis dicta amarantus, non marcescens, & florum corollis semper, maximè verò hyeme, cùm rari apparent flores, inseri solita. Hunc florem Plinius purpureum nominat, negatq; vestem adeò venusti coloris reperiri spicamque hisce verbis describit. Amaranto non dubiè vincimur. Est autem spica purpurea verius, quàm flos aliquis.

Tulipam Dalmatæ ac Turciæ pileum vocant, seu amiculum capitis, quod gestare solent: Ab hac forma flori inditum est nomen, quòd apertus inversusque pilei illius effigiem referat. Hic flos visu jucundus, atque insigni colorum, Sed cùm alienige-

nigena videatur, Europæ proprium hunc accipe.

Iris hortenſis tam varia & verſi color eſt, ut cœleſtem Iridem æmulata, colorum vera ſpecie coloratum cœli mendacium ſuperet, idemque ſibi decorum jure nomen adſciſcat. Bulboſæ radix ferè oblonga, & adnaſcentium nucleorum liberaliter fertilis ſubrufis aut ſubnigris induviis obducitur. Inde geniculatus caulis in cubitalem ſæpè proſilit altitudinem, foliisque prolixis, anguſtis, ſtriatis, ſuperiore parte cavis, inferiore propè rotundis geniculatim circumdatur.

Flos unicus, interdum etiam geminus in cacumine dehiſcit, figurâ picturâque nonnihil variantibus. Commune hoc omnibus, ut majora per ambitum folia devexis labellis reſupinentur, minora ſurrigantur. Poſt florem ſurgit longulum ac triangulum loculamentum, quo tres in ruinas fatiſcente ſemen apparet anguloſum aut rugoſum; rufum ac fulvum.

Iris alia, partibus cæteris non diſſimilis, flore folioſo, & majore præſtantior, media

dia floris paulò minutiora folia condu-plicat, bulbumque magis rotundat. Bul-bosam ac latifoliam Iridem è Lusitanis Bæticisque collibus cultissimos ad hortos transvectam ab eo, qui priorem descri-bit ac celebrat, primam Clusii nominant.

Bulbus cæterarum de more Iridum modicus, candidus, phæniceâ, tenui lævi-que membrana velatus, radices demit-tit vice glandium crassas, minusculum digitum longas, inde in prætenuem longitudinem procurrentes; quibus à flo-rum defluvio, senectute rugatis & flaccidis novellæ subeunt, juvenilem parenti vim & fæcunditatem suffecturæ: unde fit, ut al-trici terræ fibris bulbus perennibus adhæ-rescat.

Folia prodeunt utrimque densa, sese invicem amplectentia, modicè carinata, lõga, ternos digitos lata, acuminata, mol-lia, in terram prona, contorduplicata, su-pernè ex viridi pallentia & levia, subtus in cava. Medii flores membranaceis involu-cris evoluti, brevibus tenerisque pedicu-lis instar croci vix eminentes, ex cæruleo colore, in violaceum inclinantes, inter-dum

dum etiam lactei, vulgarem bulbosæ Iridis in faciem senis ita foliis confirmati, ut imæ præterea foliaceæ tres interſertæ exertæque ſingulæ ſupinentur, ad quindenos uſque particulatim vernant, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis verò ſubnaſcentibus. Hyberno frigore, ceu verno tepore citati gelidiſſimis menſibus Decembri ſcilicet, Januario & Februario ver brumale diuturnumque repræſentant. Ubi defloruerunt, ima pediculorum pars inter folia deliteſcens, oblongam & triangulam turget in thecam ſeminis, ut in tulipis compreſſi, ſed exalbidi, extremo Majo matureſcentis.

Perſidæ iridis bulboſa radix proximè ſuperiori perſimilis, minorem nacta eſt modum. Folia pauciora, diluto virore veluti rorulenta, atque in canalis effigiem concava, ſex digitorum longitudine, duum latitudine definiuntur. Exiguo poſt foliorum exortum, ſub extremum Februarium flores exiſtunt, ſupradictis conformatione pares, numero autem & colore diſpares. Hi enim quaterni tantùm, quinive pro cujusque bulbi viribus fun-

dun-

duntur, totique sic albicant, ut folia terna surrecta dilutiore cæruleo fuco interfuso pulchrè virescant; totidem ferè hisce subjecta, tum prominulà croceà lineâ intercursante distincta, tum violaceis guttis circumdita, grandiore Janthini coloris, velut holoserica maculà devexum labrum infuscante, splendidè nigrescant. Denique ejusdem formæ folliculus Junio mense maturescit semen.

Quæ tuberosa & geniculata radice sunt Irides, floris figura vix differunt à bulbosis.

Flore albo *Genistâ*, sive tertium Clusii Spartum Hispanum, justâ proceritate arborescit, lignosas & arboreas radices agit, cineraceo caudice assurgit, numerosos implexosque ramos viridi pallore tingit: ex iisdem virgulas more passi dissipatique capillamenti demittit densissimas, prætenues, ferè cubitales, ramulosas, lentas, instar viminis obsequibiles, ocellisque distinctas creberrimis; unde ruba foliolis minutiora folia, flosculique imò tantùm nodulo rubentes, cætera candidi existunt, pulchrè pendulis floridis virgulis, tanquã
lineis

lineis margaritarum. Vere toto vernat, exinde cartilagineas, propè rotundas, ex viridi flavescentes siliquas seminibus implet singulis, rarò binis, fermè orbiculatis, colore fusco virētibus, lævibus, duris, germinare morosis.

Aliud genus producit Germania superior, maximè inter Rhenum & Mosellam, quod non multum exurgit, quamvis sylvescat, & colles obtegat: ex trunco lignoso nascuntur prætenues virgulæ, teretes minutulis illis foliis vestitę, adeò ut illis demtis, scoparum faginarum, adeoque se tacearum suppleant vices. Videas calicem suboriri intra pediculum folioli, & virgulam, quæ obscurum nigricat, adulta cineri vicinior, illud verò sicuti viola purpuram in atrum virorem præcipirat.

Nodulus paulatim germinans, valde est exilis, formâ alioqui testiculi Gallinacei, capite nonnihil tuberoso, sed inflexo, colore viridi, ad calicem albicante. Quid si fruitum liceret colligere ante florem, nodulum hunc naturæ miraculum faceremus: nam decerptus virgineis digitis, acetoque & sale conditus, vel sale tantùm, si

in

in vasc firmo aut linteo pondus accipiat, ne putrescat, aut mucorem trahat ex aëre, delitias præbet palato, ad assam: quin & renes purgat, olivis Italicis longè præstantior, tametsi naturali nausea domesticas delitias fastidiamus, peregrinis inhiantes.

Flos ex nodulo prorumpit luteus, qui in folia aliquot diffunditur inæqualiter, vitellino colore summo, sed incurvata, ex instinctu parentis, cristæ arcuatæ in modum. Jucundum temperamentum oculi, spectare humillimam sylvam, eamque nigricantam ex viridi, luteis quasi semilunulis distinctam, quemadmodum stellæ per campos cæli sereni hybernos sparguntur. Hoc dorsum collium, hoc capillamentum. Sed & flos mirè prodest stranguriâ laborantibus, qui aquam inde per balneum Mariæ distillatam hauriunt uno aut altero cochleari, adeò ut saxi fragii virtutem facilè æquet, aut proximè assequatur.

Flos obsoletus albescit, & in folliculum degenerat, qualem pisa producunt, minorem tamen, coloris cinericei, quem natu-

natura noluit seminum granis ponderosis onerare, ne virgulæ matri noceret, itaque semen est lenticulare, & exiguum, quod suo usu minimè caret, etiam perdicibus gratum, sive in alimentum, sive ad roborandum corpus adversus incommoda hyemis, sive ad proritandos naturæ igniculos in vere: neque enim illis putem urinam ciendam, renes purgandos.

Flores, licet omnia, quæ vastissimo hoc pulcherrimoque mundani systematis ambitu continentur, nunquam satis laudati Numinis Majestatem abundè deprædicant; eam tamen maximè spectandam, admirandamque luculentissimè exhibent, quos terra parturiens, statis temporum circuitibus, ex abditissimis penetralibus, veluti visceribus quibusdam enititur, & obstetricante Natura, vel potius Naturæ ipsius Parente ac Conservatore Deo, in apricum effundit.

Ea in illis formarum varietas est, ea colorum pulchritudo, & odorum suavitas; ea denique foliorum venustas & elegantia, ut omnem ingenii humani aciem transcendant, videanturque propè dignitatem

tatem illam, quam ſydera cælo tribuunt, Terræ conciliare, niſi quod identidem commoriantur & reviviſcant: ſed nec ſydera de die radiant. Neque verò de florum hac excellentia, noſtra humani ſcilicet judicii, iſtæc opinatio tantùm eſt ipſa ſacrarum literarum oracula adire ſi libet, ampliſſimum huic noſtro argumento dicent teſtimonium.

Quid enim? clariſſimè id ex verbis Servatoris noſtri patet; quibus, cùm ab inanibus curis humanos excuteret, erigeretque ad fiduciam in Deum, qui indumenta nudis plena manu porrecturus eſſet, inſpicibilia conſiderarique jubet, addens quòd cùm *neq; neant, neque laborent, tàm tamen pulcra ſint, ut nec ipſe Salomen in omni ſua gloria coopertus fuerit, quaſi unum ex illis.* Quanta porrò Salamonis gloria illa? quis aulæorum polymitorum ſplendor? quis veſtium Attalicarum faſtus, quoties in illo regio ſplendoris apice conſideret? Quæ non tota illa, quæ in tanti regis aula oberrabant Phrygionum, Limbolariorum, aliorumque artificum excogitaverunt examina? quæ non alia curioſiſſima in pom-

pam

pam ingenia, quas demum non artes & modos effinxerint ad ornandum illum Amasium suum, ipso Sardanapalo vicinum, illæ reginarum concubinarumque centuriæ, non in fastum minus, quàm in amores Zelotypæ suos; inprimis cum auri, argenti, gemmarum, sericorum, aliorumque nobilissimorum pannorum immensa vis ad manum esset? Et tamen tantis thesauris, tantâ sollicitudine & curâ obtineri hoc non potuit, ut unicum ille, non dico præcedere, sed ne pariare quidem, æquareve lilium posset.

Sufficiebat hoc proposito nostro, sed ex iisdem sacrorum voluminum adytis, quando illa ingressi sumus, alterum delibamus. Ipse humanæ salutis assertor & vindex, de semetipso, *Ego*, ait, *Flos campi, & Lilium Convallium.* Ecce, non jam Salamonis gloriæ Florem antefert, sed ipsi sibi, imò verò illi se, qui erat supremæ pulchritudinis archetypon, comparat. Quid dici de Flore poterat augustius? Ipse speciosus forma, p̃ filiis hominũ, Angelorũ deliciũ, ipse æternæ lucis candor, splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, flosculo, imò omni-

omnium flosculorum minimo, se confert; nec confert tantùm, sed & esse se affirmat; ac si viciniori quadam si dici fas est, cognatione, vel potius similitudine, illud supremæ pulchritudinis exemplar perfectissimum, ille attingeret. Quâ sanè collatione Floris dignitatem in immensum extollit: neque verò illa summæ pulchritudinis absolutissima Idea comparari ulli alteri rei debebat, quam quæ haberi poterat pulcherrima.

Jam vero ad humanum genus ut deveniamus, vix aliud quippiam reperiri putem, quod tum menti, tum mentis ministro, corpori, suâ suavius illecebrâ blandiatur, quàm illæ ipsæ polydædalæ hortensium delitiarum dotes: tàm sanè variæ & præstantes, ut non injuriâ alicui, illas pro suâ dignitate arbitranti, nullis aliis in rebus, tanto varietatis delectu, tantâ jucunditatis suavitate, tantâ demum fertilitate & abundantiâ, ad humani generis voluptatem, quàm in his ipsis lusisse, natura videri possit.

Ingrediamur hortum aliquem, illumq; non à vulgari manu, sed aliquo artis filio

instructum: oberremus per areolas illas, & palpebra curiosius hiante, animum in illas oculosque effundamus, ecquæ non ibi miracula occurrent? Plantæ innumeræ, & colore & odore excellentes, quas utrum naribus an oculis gratius arrideant, ægrè dijudices. Ibi ambitiosissima naturæ artificia, ad quorum elegantiam Xeuxis & Apellis penicilli toti obrigescant. Ibi auri fulgorem mirabimur in Calendulis, argenti nitorem in Liliis, amethysti Caryophyllos, Rosas, papavera & sexcenta alia, omnium, adeoque excellentissimorum colorum stupendâ varietate mireris.

Neque verò minus grata oculis erunt illa varia schemata, frequentissimæ ac illæ diversissimæ Florum figuræ, & tàm multiplices, ut ad calculum vocari posse vix videantur.

Jam de eorundem odore frustra instituetur sermo: ipsi nempe flagrantissimo suo habitu, ac odoratissimâ animâ, quam vel vere, vel aliis, pro naturæ suæ ratione, temporibus expirant, ipsi sibi testimonio sunt. Admoveamus propius naribus unum aliquem Cyclaminis vel Jasmini flo-

scu-

ſculum ; odoremur attentius roſam, Violam, Garyophyllum, Lilium Convallium, ac facilè id ipſum experiemur, utroque fatebimur, nil gratius, nihil ad ſenſum narium jucundius contingere poſſe, adeoque ab uno Flore ambram, moſcum, Zivettam, reliquaque felicis Arabiæ munera in hoc genere ſuperari.

Neque verò de odoris fragrantia tantùm, ſed & ſalubritate, ſi Plinio credimus, intelligi volumus. Reliquit enim ſcriptum ille, quempiam, qui non ſolùm hominem infirmum ſuffitu illo utcunque refocillârit, ſed & qui animam extremis jam labris oberrantem, hoc veluti incantamento, in priſtinum hoſpitium, ac deſerta penè mẽbra revocârit.

Quæ cùm ita ſe habeant, fatendum omninò eſt, ſummam florum dignitatem excellentiamque eſſe; unde nihil miri, cur magnum illud Germaniæ decus, Juſtus Lipſius, cùm olim in hortis Langii ſui, inter florentiſſimas areolas, pulvillosque deambularet, cum Catullo naſus, cum Argo oculus peroptârit fieri, quo ſenſus ſuos plenius paſceret & fonte gaudii, ut

ipse ait, liquidissimæque voluptatis uberius perfunderet. Usque adeò in tela illa & suavitas, variorumque odorum pigmenta, excellentissimum virum demulcebant, & ad hauriendum plenum illorum sensum, communia illa ordinariaque organa minimè sufficere, cum illo amicissimo suo jocaretur.

At enim licet hortorum illæ gratiæ & Veneres, suis adeò blanditiis hominem capiant occupentque; eundem utique fragilitatis suæ, ac humanæ vicissitudinis insigniter commonefaciunt: unde patientissimus Jobus, cùm illum omni mobiliorem Euripo, instabilioremque suis coloribus depingendum sumsisset, inter alia lineamenta, *qui quasi flos*, inquit, *egreditur & conteritur*. Nihil uti dictum, Flore præstantius, sed nec decore illius inconstantius quicquam ac brevius: Videas illum hodiè ex Gemma sua caliculoque prosilientem, protendentem fulgurantes malleolos, flammam suam, suum aurum ac purpuram, aut quam nescio concinnam nuscellam explicantem diffundentem, qui sequenti mox, imò eo ipso quo oritur die totus

totus emarcuerit. Verè Poëtarum Princeps

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et cum nascuntur, consenuisse rosas.

Cui non dissimile occinuit Latinus Callimachus:

Vidi ego odorati victura rosaria Pesti,
Sub matutino cocta jacere noto.

Viva planè humani funeris Icon illa est; unico sæpè momento, velut gramen falce demessum exarescimus, ac in nihilum abimus: sed querelis alibi locus esto.

Hortos memorat antiquitas illos Balsami, juxta urbem Engaddi in Palæstinâ: à Cleopatra in Ægyptum translatos, inter Heliopolin & Babylonem scilicet Ægyptiam. Alii in monte Thabor, tum in monte Oliveti, Regii, Herodis, Memphitici, & juxta Cairum Matarei. Poëtæ decantarunt Hesperidum hortos, quos Hesperi filiæ, Atlantis neptes, non procul à Lixo oppido Mauritaniæ, extrema parte Æthiopiæ, ad occidentem, ubi loca à sole exusta, arenisque obducta, & ob serpentium frequentiam infesta, neque mul-

tum à Meroë, marique rubro diſtantia, colebant.

In Colchorum regione intra Pontum horti oſtendebantur Jaſonis: in Creta labyrinthus Dædali. In Italia ſuperbiunt Venetiæ hortis Muranis, & Patavinis. Ferraria oſtentat ſuum *Belvedere*, Bononia Poëtarum hortum, & Cænobium S. Michëlis in ſylva: Mantua penſiles Palatinos, & villam Marmiolanam: Parma Nymphæum, Florentia Pratolinum & Caſtellum novum; & intra Pomæria Pittorum ac Alexandri Medicæi Cardinalis hortos: Farneſius Caprarolæ Roma Vaticani, Matthæiorum, Bellæi, Cardinalis Carpenſis, Salluſtianos, Etruſcos, Farneſianos, Pontificios in monte Cavallo, S. Mariæ novæ, Suffalorum, Julii II.

Neapolis ſeſe effert horto Palatino, Toletano, ſuburbano, Pogio regali. Tiburtinus, Piſanus, Genuenſis & Salernitanus non immeritò his ſubjunguntur.

Neque Germania hac parte gloriæ fruſtranda: Sunt horti Monacenſes, Salisburgenſes, Eyſtettenſes, Oenopontani, Landishutani, Auguſtani, Dreſdenſes, Vina-

rienſes, Chonhoviani, Bardani, Egrani, Pragenſes, Baſilieenſes; fuêre Heydelbergenſes. Sunt Ingolheymenſes, Ocſtadenſens, Francofurtenſes, ubi in uno, ramulo novem mala auraica glycypicra vidimus heri menſæ illata. De Gallia & Hiſpania ſuperſedemus quicquam dicere, propter ubertatem materiæ: repetimus verò ex Faventino horto Italiæ hanc inſcriptionem: Satis dives, qui non indiget pane; Satis potens, qui non cogitat ſervire. Civiles curæ procul hinc abite. Sabbas Caſt. Solitarius ſeipſo contentus, hos ſecurus incolit hortulos; pauper an dives, ſi cordatus es, cogita.

Vulgaris quidem, ſed mirè gratus flos eſt Aquilinæ, cujus radix digitali craſſitudine, colore albo, cum plurimis fibris, folio rotundo, & ſerrato, viridi in cinereum proclivo; Diverſis caulibus cubitalibus. flos eſt cæruleus, in campanæ figuram natus, ad truncum dependens deorſum: uncinuli acuminati ad pediculum coëunt ferè, lata folii fimbria, in hemicyclum extenſa, ut exhalationes à radice excipiat, pluviam vitet. Flore evaneſcente erigitur

 ramu-

ramulus, & ſiliquis quaternis quiniſve o-neratur, quibus minutulum ſemen, adeò atrũ, ut fulgeat, cõcluditur. Prata, & ſylvæ hunc florem ferunt, ſed horti ſativũ duplicato, triplicato folio. Eſt & ſpecies alia candidi coloris, ſuperiori per cætera ſimilis: tum alia fuſco colore: rariſſima eſt rubicunda, cum variegatâ, tum illâ, quæ multiplicis folii, coloris candidi, in cœlum erigitur. Miraculi vicem præbebat idem flos viridis, rubro inſperſo. Et flore, & vino hoc utuntur adverſus veneficia, maximè ubi Spõſus aut maribus virtute deſtituitur. Maximum hic flos hortis adfert blandimentum.

Geranium, à roſtro ciconiæ per Europam notum, vel tredecim præſtat ſpecies, tametſi olim ad duas cogeretur tantùm: radicem habet tenuem, longam, ſine multis fibris, quaſi villoſam & rubeſcentem: folium eſt anemones, caulis rotundus, fuſco rufus, villoſus, nodoſus, inſtar calami ſtraminei, ramuli ad naſcentes ſunt cubitales. menſe Aprili excludit florem purpureum, quinque foliorum, penè univerſa æſtate ſpectandum ; cadenti ſuccedit folli-

folliculus in rostrum acuminatus, cum quinq; granis dulcibus. Est & flos cæruleæ purpureus, etiam in fuscum declinæns: tum albus, tum cæruleus, tum minutior, sed hyacinthinus, tum sanguineus medio albente. Et hoc geranium inter decora hortorum numeratur, maximè verò, si qua species peregrè infertur: tum ejus usum fuisse maximum oportet, cùm & Ruperti herba, & Dei gratia vocetur per Germaniam superiorem.

Pyrethri, quod Germanis est Bertrami herba, duæ sunt species: potior habet radicem digitalem, ad spithamæ longitudinem, gustu ardentissimam: causis assurgit ad sesqui spithamam, qui altero plantationis anno florem producit amplum & stellarem miræ pulchritudinis, pictum externis maculis rubris: interior flos pomo aureo expletur, quod foliola candida obsident, unde semen excoquitur. Dentium dolores creditur auferre, qui ex frigidioribus oriuntur humoribus, tum caput purgat, ex sententia Sereni:

Purgatur cerebrum, mansâ radice pyrethri.

Cichoreum multis usibus patet, mira-

culo pollet: radicem habet longam & amaram, consurgit caulis in multos ramulos cavos, itidem disparatos, ad folia minuscula; ad nascuntur plurimi noduli virides per extrema, ex quibus prorumpit flos elegantissimus cærulei coloris: ubi flos decidit, maturescit semen in rotundâ viridique stellulâ. Ea ipsi natura, ut per universam æstatem, usque ad autumnum floreat, exoletis deciduis, novis succedentibus, perpetuâ nodulorum sobole. Mirum, florem salutare Solem orientem adversâ facie, sequi decurrentem, & respectare tanquam cum inærare occiduum; ita tamen, ut caliculus floris ad orientem solem conversus, dilatet paulatim labia, & cum sole adscendente attollat, unde ad meridiem erigitur, tanquam triumphum gratulans; sed ad vesperam vergenti inclinatur paulatim vertex, contrahuntur extrima, ut evanido Sole concludantur, donec ex altero orbe ad nos redeat Sol, & radio aliquo gratioso blandiatur denuò. Illud verò summum, etiam cœlo nubilo eandem spectari amicitiam, adeò ut se quovis tempore cursus Solis & perinde

hora

hora diei observari possint. Altera species florem fert hyacinthinum ; alia candidum.

Inter herbas fruticesve, an inter flores recenseam asparagum , perinde fuerit, cùm baccæ instar florum esse possint ornamento; neque flore suo careant. Est igitur hortensis & pratensis, adeoque sylvestris: sed hortensis radicem habet sparsam circa truncum, quæ ineunte Majo digitalem protuberat caulem, succi plenam, & nisi subseces, brevi in filamenta diffundendum. Lupuli speciem majusculam, & enodem dixeris, quæ mense Junio exurgit in validos calamos, foliis capillaribus ferè armatos, infra fœniculi modum: ex juncturis prodeunt flores flavi , quales sunt olivæ, quos subsequitur globulus flavo rubicundus, instar coralii, infantibus adhiberi soliti. Ajunt ex rasurâ carnis, arieti nisi terrâ obruas, asparagum succrescere, tanquam Cadmæos fratres, ex dentibus draconis. Condiuntur sale asparagi in acetaria per omnes anni partes gustui acuendo. Recentiores non amant diutivum focum, unde Druso solitum, quan-

docunque rem cito citius tranſactam notare vellet, dicere, Citius quàm aſparagi coquantur. Rubentes baccæ ad calamos filamentis munitos vel ſtellas per expanſum cœli micantes retulerint.

Caryophyllarum gratiæ, me judice, cedat Tulipanarum gloria, tum coloris varietate, tum odoris ſuavitate: duo genera ſpectamus ſumma, hortenſe & ſylveſtre, per omnia, niſi molem ſpectes ex alimento paria. Folia illis bina undiquaque ad eundem ramulum ex eodem pedunculo vel thecâ ferè ſurgentia, allii foliis ſimillima, ſi longitudini detrahas. Candidorum folium ſemper pinguius, omnium caulis rectus, lævis, cubitalis, geniculatus, ex latere ſobolem emittens. Ex apice prorumpunt tubera longiuſcula, per extrema dentata, flore quaternum, quinum, ſenum foliorum ſubſequente. Et quis recenſeat colorum varietatem? videas lacte candidiores, ſanguine frigido rubriores, tum autem extremis hiſce colorum gradibus relictis, modò ex hoc, modò ex illo ſplendorem nanciſci, umbram ferre: ſunt Ariæ, ſunt guttæ tum in ſanguinem, tum in

lac ſparſæ,& parcius & denſius. Illud vix dabis,& cæruleum alicubi viſum; & quæ dicas adulteria naturæ, ubi ex eodem radice, ex eodem calamo, & diverſo, alium atque alium ſpectari colorem: vix oculis noſtris fidem habuimus, cùm hoc ipſo anno offerretur nobis caryophyllus, qui ex eodem caliculo florem geminum, multiplicis folii, emiſerat, quaſi diametro ductâ, ad diſcernendos geminos flores, utique propter colorum diverſitatem; quos unicum & eundem, eâdem matre natum, eodem niſu prolatum, & oculus & ſenſuum virtus judicabat. Spectandum publicitus pictor faciet. Foliorum quædam ſimplicia, quodam multiplicia; alia fiſſa, alia integra, pleraque ſerrata, nonnulla plumata per extrema. Centrum ſurrigit duas veluti clavas, ad latera, propter capita prægrandia, inclinans, tametſi recto nitatur, vertice flos tantæ molis, tantilli calami. Odor omnibus hortenſibus gratiſſimus, nullius ſylveſtribus: ſemen atrum, ceparum ſimile, per autumnum colligitur in theca: propagantur tamen per traduces, ubi urnæ inſeritur ſtolon, terra fœcunda

fartæ, ut radicibus actis amputetur. Docuit dies, thecam disrumpi, nisi colligas in collare; augeri autem molem thecæ, & foliorum numerum latitudinemque, si resecetur soboles nimia. Solers natura hortulani duum generum semina in calamum composuit, duum generum radices fissas maritavit, & varietatem, quam diximus, elicuit. Hodie magnificis insigniuntur nominibus, & Reginæ, principis, comitis, & excellentiæ, pudicitiæ, honoris, & Hollandiæ, incomparabilis, lectissimæ, & quæ alia novarum rerum studiosi somniârunt, somniabunt.

Violæ non per omnes species par ratio apud Hortensios: vulgatissima hederæ folio ferè serpit humi: ex radice porriguntur filamenta crassiuscula, longitudine digitali, floris fragrantissimi fulcra. Simplici folio aliæ & multiplici, colore fusco sive obscurè cæruleo, odoris gratissimi, quinque foliis munita, quorum medium instar pilei eminet altius, inspersa guttula alba. Ubi expalluêre, semen viridante condunt folliculo, milio simile. Multiplicis folii viola, cæruleum, album & hyacinthinum

in-

induit colorem, vel per autum intemperiem reflorescens: sed nimio exhausta semine, & minus lautè habita, redit in simplicem naturam. Cammerarius nobis depingit violam Alpinam, cujus folia gemina superius, cæruleo splendeant colore, later alia inferius flavum, insperso cæruleo, purpureoque colore, præ se ferant, ultimo eoque infimo aureum trahente. Lutea viola fruticis accedit naturam, gratissimi in patulo odoris, gravissimi in clauso aëre. Est & hyemalis, flore albo, suavi odore, qui tamen in fuscum & hyacinthinum degeneret: imò arborescit non in unam speciem; unde legas. Leucoium & album, & purpureum, & sylvestre, adeoq; violaceum: marinum & purpureum & luteum est. Tandem & violam dicemus Lunarem, vel ex seminis, vel ex folliculi forma. Peruvianam, ad Tabaci figuram ob florem, & semen accedentem, jam nunc nihil moramur.

Papaveris caput, florem, folia, caulem, clypeum cœlo obtentum, pomi obtusi caveam penè inanem quid attinet indigitare? pauculos, eosque provinciales dedi-

mus

mus flores, qui exoticos omnes, si colantur phantasticentur, profectò superabunt. Nisi pulcherrimos flores ex sacro Codice indagaremus, accusari possemus negligentiæ. Dudhaim sunt. nam abierat Ruben temporibus messis triticeæ, invenitque dudhaim in agro, eosque attulit ad Leam matrem suam: dixit Rachel Leæ, da quæso mihi de dudhaim filii tui. Genes. c. 30. Vox hæc alterâ vice legitur cap. 7. Cantici, quam Septuaginta & latina vetus reddiderunt mandragoras, & retinuerunt pleræque versiones vernaculæ. Tremellius & Junius in genere, flores amabiles, à voce dud, amicus. Nos omissa disputatione, an dudhaim fuerint mandragoræ, an alii quidam flores amabiles, & quinam, veteri sententiæ de mandragora adhærebimus, donec manifesta ratio nos aliud statuere cogat, quam nondum vidimus.

Sed quæritur, cur tantoperè mandragoras desideraverit Rachel, ut ad eas adipiscendas sorori cesserit, in re, quam alioqui si præsertim invidia illa, quâ initio flagrabat, nondum extincta fuit, toto nisu voluisset impedire. Hîc varia à variis excogi-

cogitantur, de mandragoræ fructus natura, proprietatibus & effectis: quòd conciliet somnum, quòd à multis dicatur vim philtri habere, quòd juvet fæcunditatem. Augustinus fatetur, se ignorare, cur eam tantopere ea concupierit, nisi fortè propter pomi raritatem; se enim comperisse mādragoram esse pulchram & suaveolentem, sapore autem insipido.

Constituuntur, inquit Levinus Lemnius, hujus stirpis duæ species, quarum una est foliis lactucæ æmulis, sed angustioribus, saturati umbrosique coloris. Pomum verò emergit è centro, imoque stirpis meditullio, quod herbaceo stylo incumbit, avellanæ nucis, nonnunquam juglandis aut castaneæ magnitudine. Hæc species fæminæ nomine insignitur; mas verò speciosa magnaque foliorum amplitudine ac pompa luxuriat, lacteo virore perpolita. Pomum verò, quod ex passis patulisque quaquaversum foliis è mediâ stirpe prodiit orbiculatum, ac circinnatæ rotunditatis, ovi gallinacei vitello aut luteo prorsus affine est, odore, non sine gravitate quadam soporatâ, jucundo, radice

crassa,

crassa, pilosaque ac bifida, atque in humanæ coxendicis aut cruris formam bifurcata: de cujus fuco alibi.

Cæterum an mandragora fœtificandi vim mulieribus conferat, atque utera retinendi seminis efficaciam conciliet, in dubium vocatur. Cùm enim sapori fero effectu prædita sit, & impensè frigida, hæc qualitas ad tale quiddam præstandum prorsus inefficax censeri solet & inidonea. Quod tamen ita dilui posse video, ait Lemnius, ut in frigidis humidisque regionibus, atque in utero humedo & algido tale quiddam perficere nequeat, sed in torrido æstuantique atque exusto. Sic in Africa, Hispania, Judæa, Mauritania, Numidia, Ægypto, in quibus ferè regionibus mulieres adustos arentesque habent uteros ac fervidos, tum etiam qualidos ac rigosos; non incommodè hoc pomum adhiberi posse crediderim. Siquidem ejus esu corpus ad temperiem reduci posse existimo: cùm post amplexum & congressum maritalem soluto in somnum corpore, uterus retinendi seminis vim adsciscat, nec id in fumos ac fuliginem evanescat, ut in

calido

calido atque æstuante utero assolet, in quo utriusque semina minus coalescunt aut uniuntur , sublata omni posteritatis spe, quod multis etiam usu venisse observavi etiam in Belgica , quæ ob plus satis calidam uteri intemperiem effetæ extiterunt.

Sic fungi, boleti, tubera , aliaque terræ excrementa Italis ac transalinus sunt innoxia; Cisalpinis verò ac Belgis nocentissima ac venenata , nisi condimentis calorificis mitigetur venenosa illorum qualitas. Adde quòd in calidis regionibus, quæque à Sole affatim illustrantur , & incalescunt, omnia melius maturescunt. Quæ vis efficit, ut illa fercula , utpote libidinis incitamenta, à delicatis ac ganeonibus in delitiis habita, atque in excitandæ tentiginis usum expetita , minus incommodi corporibus inferant:

Sunt qui affirmant, elephantem fæminam, mandragoræ gustu, coëundi cupiditate accendi, quo postea eodem libidinis œstro mas percitus fæminæ miscetur. Pythagoras vocabat mandragoram anthropomorphon , fortè quod ejus ætate jam nostris

noſtris agyrtis ſimiles circūforanei radices fictitias, uti meminimus circumferrent.

Inter vires porrò quæ mandragoræ adſcribuntur, ultima non eſt, quod ebur ſex horis cum eâ bulliens, emolliatur, adeo ut quamlibet figuram in eo poſſis efformare omnes ſtrumas & tubercula diſcutere perhibentur mādragoræ, ac plurimùm ſerpentibus eryſipelatibus, podagricisque doloribus, adverſari. Romani mādragoræ fructus mala terreſtria, ſive camina vocarūt. Quòd verò Circæa illi nomē antiquitꝰ fuerit, à Circe derivatum eſt, muliere Poëtarum figmentis veneficâ, quaſi hujusmodi radicibus uſa fuerit. Volunt enim aliqui, mandragoras philtris & amatoriis potionibus idoneas eſſe.

De mandragora ſic Plinius: Duo ſunt mandragoræ genera: candidus, qui & mas; niger qui fæmina exiſtimatur. Odor gravis ejus, ſed radicis & mali gravior. Ex albo mala matura in umbra ſiccantur, ſuccus ex iis Sole denſatur; item radicis tuſæ, vel in vino nigro ad tertias decoctæ, folia ſervantur in muriâ efficacius, alias recentium ſuccus peſtis eſt; Sic quoque noxiæ

vires,

vires, gravedinem afferunt etiam olfactu, quanquam mala in aliquibus terris mandantur, nimio tamen odore obmutescunt ignari: potu quidem largiore etiam moriuntur, vis somnifica pro viribus bibentium: media potio cyathi unius. Bibitur & contra serpentes, & ante sectiones punctionesque, ne sentiantur: ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsisse.

Pererius statuit, 1. Vocem dudhaim non significare lilium, ut non paucis visum fuerit, sed mandragoram, & quidem suaveolentem, Cant. 7. mandragoræ dederunt odorem suum: fieri enim potest, ut in terris calidioribus, qualis est Palæstina, Mesopotamia & Mauritania, majoris atque melioris sint odoris, quàm in locis frigidioribus. 2. Falsum esse, mandragoram habere vim amatoriam, & ideò vocatam Circæam: natura enim mandragoræ summè frigida, & virtus ejus valde soporifera, isti opinioni planè contraria est. 3. mandragora per se non opitulatur mulieribus adversus sterilitatem, ut vulgò creditur. Augustinus ait, id nullius mulieris exemplo compertum esse. Neque id à Dio-

Dioſcoride, vel Plinio, vel Galeno, vel ullo probato authore traditur. Rachel quoque poſt mandragoræ uſum non eſt fæcundata, ſed manſit poſtea ſterilis, tres circiter annos. Quid? quòd cum mandragora ſit ſummè frigida, ſterilitatis potiùs, quàm fæcunditatis cauſa eſſet. 4. Per accidens, ut vocant, mandragora poteſt conducere mulieribus; & proficere ad conceptum. Tradit enim Dioſcorides, idemque confirmat. Avicenna, mandragoram ſiſtere nimium menſtrui muliebris profluvium, itemque purgare matricem; quibus rebus confert ad fæcunditatem, cui ſuperiora adverſantur. Adhæc, cùm mandragora ſit frigidiſſima, poteſt mulieribus prodeſſe, quæ ob nimii caloris uteri intemperiem concipere non poſſunt; mitigato enim & temperato calore habiles fiunt concipiendo. 5. Vera mandragoræ natura, vel potius naturæ proprietas eſt, eſſe perfrigidam, & ut Galenus dixit, in tertio ordine refrigerantium. Germana item ejus virtus eſt, eſſe ſomniferam, & ſoporiferam: quin etiam immodico ejus vel

vel esu, vel odoratu, stuporem, oblivionem, privationem sensuum, amentiam & interdum etiam mortem accidere, ex Plinio & Dioscoride manifestum est. Hactenus ille.

Dodoneus de mandragora: macerentur radices, decoquantur, inde somnus, qui omnem dolorem aufert, hinc benè datur, quibus membrum aliquod resecatur, aut cauterio coercetur. Emicuit herbæ vis, soporifera in Africâ: nam Maharbal, Carthaginensium dux, cum barbaris bellum gerens, eam miscuit plurimam vino, tum simulatâ fugâ, & vinum & potiora impedimenta deserit, quæ barbari involârunt, unde primùm in ebrietatem, deinde in saporem lapsi, à superveniente Maharbale mactantur, antequam expergefieri potuerint.

CAP.

Cap. XXXIV.

ARVNDINES.

IN provincia Xantung, ad urbem Tengcheu in insulâ, nascuntur arundines quadratæ, præter naturæ ordinem.

Suchuen fert sacchari cannas, ad Civitatem majorem Tungchuen, ex quibus plurimum exprimitur, adeoque optimæ notæ. Licet autem eas jam pridem antiquitus habuerit provincia, ex eis tamen saccharum elicere nescivêre, donec à quodam Indo sacrificulo edocerentur. Cùm enim illius asinus, quo vehebatur, arundinetum esset ingressus, captusque ab agri domino, qui, nisi alter damnum resarciret, eum restituere renuit: is, ut asinum reciperet, modum sacchari cannis excoquendi docuit.

In Huquang, per montem Co, civitatis Coching, nascitur arundininum genus, quod ad tres tantùm perdurat annos: & tum nova emissa arundine, antequa stirps emo-

emoritur, vita triennali novaque ſuccreſcente ſobole quaſi contenta.

Ad Hoaigan in Nanking eſt lacus & palus ingens, in quo naſcuntur cannæ altiſſimæ, quibus lignorum loco utitur tota regio.

In Chucheu, ſub Chekiang, rivus eſt prope Kingning, magnis arundinum ſeu Cannarum ſylvis vireſcens, quarum quáplurimæ ſunt ſpecies. Earum omnium ferè eſt durities ferrea: ſunt autem ſæpè adeò craſſæ, ut duabus tribusve manibus ſtringi nequeant. Quamvis autem intus vacuæ ſint, ſuisque nodis, articulisque diſtinctæ, firmiſſimæ tamen ſunt, ac ſecuriſſimè impoſita onera ſuſtinent: altitudo ſæpè trium aut quatuor perticarum eſt, minores aliæ mediam perticam vix excedunt. Aliæ ſunt trunco ac ligno viridi, aliæ nigerrimo, atque hæ plerunque ſolidæ, quales in India Bambu marem vocant. Amæniſſimum aſpectum præbent, tum folia oblonga, formâ gladioli, ſummitatibus nonnihil inflexis atque incurvis; tum quia toto anni tempore virides ſunt.

Licet autem adeò duræ ſint arundines, fa-

cilè tamen in licia tenuiſſima , ac veluti membranulas, ab artis peritis diſſecantur, ex quibus ſtoreas, capſulas, pyxides, pectines, aliaque ſimilia utenſilia minutiſſima contexunt ſubtiliſſimè. Ex eisdem domos ſuas facilè conſtruunt, iisque pro ædium minorum poſtibus utuntur; ex tenuioribus haſtilia fiunt, cuſpide præferratâ: atq; ad ſexcentos alios uſus adhibentur. Ad aquarum canales, ductusque ſtruendos, cùm à naturâ perforatæ ſint, aptiſſimæ habentur: ac pro tubis opticis longioribus ob lævitatem, rectitudinem, craſſitiem ac firmitatem excellentes prorſus ac ſingulares. Cùm recens hæc canna abſcecta comburitur, emittit aquam, uti ligna omnia, plurimum à Medicis expetitam. Epota namque putreſcentem ſanguinem loco que vel caſu, vel percuſſione motum, è corpore expellit. Tenera, ac primùm nata, antequam folia emittat, cum carne adhibetur pro cibo, veluti rapæ, aut cocti cardui: quin & aceto macerata, toto ſervatur anno, tanquam condimentum ſeu obſonium, ob delitias, non ſecus ac minores

per

per Europam cucumeres aut fænicu-lum.

Prope Lochang in Quangtung, in monte Chang, nigræ naſcuntur arundines, ex quibus Sinæ fiſtulas ſuas conficiunt, multaque alia, quæ ex ebeno confecta videntur.

In monte Loſeu, per Quangtung longiſſimæ producuntur arundines, eæque craſſiſſimæ, quæ reliquas ferè omnes ſuperant. Trunci circumferentia decem ſubinde, aut plures palmos æquat, etiam ſuperat.

In Suchuen ſunt arundines ac cannæ, ad inſtar dolii craſſæ. De altero Moſe in canna reperto, vide Fabuloſa.

Ad Jungcheu urbem eſt mons Kiungyo, arundinum copia ac pulchritudine ſpectandus.

Europa nullum habet genus arundinum, quod Sinicis poſſit apponi: producit tamen ſimiles arbores, ſiquidem non immeritò ambigas, an arundines, ædificiis ſtruendis, aquæ ductibus, navigationi aptas, & ſaccharum ſudantes arboribus accenſeas, necne: Itaq; hederam ſcribimus,

Dionyſio ſacram, & in ejus ſacris adhibitam: eſt miræ tenacitatis, unde nonnemini viſa ab hærendo dicta. Gellius refert, Flamini Diali non modò hederam tãgere ominoſum fuiſſe, verùm & nominare, ne illigatus ullo modo videretur, quod vellent liberè omnia illis operabantur ſacris, quia ſcilicet hedera arcto illo complexu neſcio quid laſciviæ præ ſe ferre. Neque verò dictam crediderim Ederam, quòd edita petat, ſed potiùs ab edendo, quòd parietes exedat.

Eâ coronabantur Poëtæ, & poëtarum imagines. Plutarchus dicit hederam à Baccho ſumtam (nam eidem ſemper juveni & poëtæ curarum vacui, & hedera conſtantis coloris attribuuntur) non ut auxilium eſſet adverſus ebrietatem, aut ut vino adverſam, quippe qui Methymnæum, à *methy* quod vinum ſonat, ſeſe appellari voluit; ſed ut vinoſi vino vero deſtituti, hordeaceo potu pro vino utuntur, & è malis aut palmulis quædam ſibi vina conficiũt: ita qui hyeme deſideraret coronam viteam, quòd tunc temporis vitem nudam vidit & foliis carentem, ob ſimilitudinem

quan-

quandam hederam est amplexus.

Hinc Aristoteles apud Rhodiginum, in conviviis accumbebant coronati, quasi augurantes fertilitatem annonæ, & rerum abundantiam. Sed prima hujus coronationis origo & causa fuit, quòd, cùm multum biberent, ne capite dolerent, illud vinciebant fasciâ lanea & linea: hæc enim prima fuit corona, teste Festo. Deinde ad delitias addita sunt serta ex frondibus & floribus, vel calidis, quæ molliter meatus aperiunt, ut vinum perspiret, id quod facit corona ex nardo; vel frigidis, ut adstringant & reprimant vim vini, id facit corona ex violis, rosis & hedera.

Factum ex hederæ ligno poculum, quod cyssibium vocant, aquam vino permixtam prodit, transmisso aqueo liquore, vel in hoc arudineum quid præstans.

Hedera omnis acris est & astringens, nervosque tentat. Flos ejus facit ad dissenteriam, in dino bis de die potus. Folia recentia ex aceto cocta sanant lienes. Foliorum & conymborum succus cum melle introque infunditur naribus, & contra veteres capitis dolores utiliter eo perfun-

 ditur

ditur caput. Lacryma ejus philothrum est, & illitu pediculos necat.

De hedera annosam quercum inumbrante Angelius Colotius:

Cùm nascentem hederam trabeati in colle Quirini
Nutrierat densis quercus opaca comis:
Nunc quia victa ævo viduata est frondibus arbos,
Pro merito altricem vestit alumna suam.

Vitem non longè à natura Arundinis ob ligni cavitatem adeoque tenuitatem abesse novimus: dictam sic putat Varro, quòd ad uvas carpendas invitet. De inventore multa fabulantur poëtæ, dum alii apud Athenæum eam referant acceptam Oetæo, alii Oresteo, Deucalionis filio, in Octoliam perlatam; alii à Baccho inventam arbitrantur. Verùm sacras literas edocti, scimus Noë Patriarcham post diluvium vitem, quæ prius inculta fuerat, & sylvestribus plantis annumerata quæque solùm esui servierat, uti volunt nonnulli cum Mario in Gen. ante excoluisse, in vineta distribuisse, ac primum ex uvis vinum expressisse, & in potum usurpasse. Unde cùm illius

lius vim ignoraret, præter opinionem inebrietas fuit, ut notat Hieronymus , eum sic excusans à peccato & intemperantia.

Noë igitur, peracto diluvio; vitium radices repullulantes (neque enim diluvium omnes radices ita corruperat , ut repullulare non possent) fœcundatâ per humorum modicum & calorem terrâ, effodit, terræque optimæ inservit, fovit, ac convenienti culturâ uvarum feraces effecit ; cùm prius potius labruscas proferrent.

Cur autem Noë vim usum tantoperè desideraverit, rationem reddit Chrysostomus , quòd non ignoraret vini virtutem ad leniendum animi mœrorem , & vires hominis, qui multò quàm prius imbecilliores erant, per illud restaurari, unde tanquam aliquod naturæ nostræ solatium ac remedium posteris reliquisse. Hinc Beroso Anniano. Noë est Janus, vitifer, ab Hebræo *Ian*, quod est vinum ; Bifrons, qui tot seculis Pyrrhæ & Ogygis diluvium præcessit, & eodem vultu ætatem ante diluvium actam, atque secutam sit intuitus ; il-

li us fine, hujus initio spectato: quamvis idem filiis tribui possit. Itaque rectius de memoria præteritorum, & providentia futurorum.

Sambucus folia quina, sena, rarius octana dat cauli sive ramusculo, nuci simillima, nisi quòd serrata conspiciantur. Flos mense Majo plurimus exit, per ramos in uno pediculo, quorum fila capillos ferunt floridos, albi coloris, suavis, sed tamen gravis odoris: flos concrescit in baccam albam, quæ ad autumnum amplior atrum sumit colorem, tanti ponderis, ut ramum incurvet. Observatum est, vitii characterem illi inesse, quæ florem simultaneum aut interruptum imitetur, pariique modo in vindemia respondeat. Florem exiccatum vino mucido injiciunt, quod in grato suffocato sapore suavitatem sumit, sed capiti gravem. Acetum ex flore viscera servat incolumia, putredini contrarium. Ex baccis coquitur electuarium sudoriferum, quod stomacho mirè prodest, vel Mithridatico æquipollens; resistit enim veneno, & dolores lenit podagricos. Sensamum dicitur semen in granis, avium esca

gra-

gratiſſima : contuſum præbet colorem cæruleum, ſed lineæ texturæ. Cortex exterior eſt rogoſus, veluti quernus, ſed tegit viridem, contra inflammationes expertitum, quas innoxiè extrahit. Rami & truncus ſpeciem arboris præbent, ſed amplam continent medullam, quæ candida expungitur, utique ſpongioſa, ut fiſtulares reddantur, excavatæ arundini ſimillimi.

Non multum erraverimus, ſi hanc arundinem delitium puerorum dixerimus, unde viri vægrandia arguerint patramenta. Pueri enim ramum ſambuci cædunt, internodia ſervant, medullam quovis modo educunt, ſolidi ligni piſtillum faciunt cum manubrio, canali paulò minorem & breviorem : protrudunt molem papyraceam, dentibus ſubactam ad mixta ſaliva, ad os alterum fiſtulæ, piſtillum tundunt, donec capillamentum præbeat, vel linteolo muniunt : ſic immittunt in alterum os fiſtulæ, & magno niſu propellunt, donec aër conſtipatus molem illam cum crepitu ejaculetur in aërem vacuum : ſed ſolertia in eo major, ut moles altera piſtillo præfi-

xa, prioris expulsæ locum occupet, eandem sortem expectans.

Inventa est non pridem, inquit Athanasius Kircherus in Magnete suo, ratio, eâ violentiâ comprimendi intra coralem aëris, ut in multis majorem præstet, quam vel ipsi sclopi, quos musquetas vulgò vocant, effectum; quæ res cùm singularem suscitet intuentibus admirationem, nolui ejus hoc loco constructionem præterire, & sic describit æolium sclopum, quem in tres partes seu loculamenta dividit; prima pars inservit onerando sclopo, altera est aëris compressi receptaculum; tertia est fistula, quæ projectilia excutit. Trusillum addit, quem pistillum diximus, cylindraceum, quod canali ita quadret, ut omnem aëris elabendi occasionem intercludat, itaque corio contegit: tum platismation. Videas in explosione aërem cæruleum, quem vel impetus, vel materia fistulæ metallaris fecerit.

Anceps hæreo, an arundinibus connumerandas censeam eas arbores, quæ nihil solidæ, pulpam habent ferè arundineam, quales sunt betula, pinus, cujus species

præ-

præcipuæ Picea abies & larix: geniculamenta essent & internodia, sine ramis. nullus hærerem. nam resinam stillant, uti arundines saccarum; ad levitatem accedunt; transmittunt & colant attractum humorem, adeò ut verno tempore nuperrimè ad Mœnum ex incisis betulis tanta effluxerit aqua, quæ sufficeret coquendæ cerevisiæ, prodesset renibus & vesicæ.

Papyrus non est Europæi cœli, crebri tamen & usus & sermonis; hinc placuit eam describere: est autem arbuscula vel frutex, juxta Nilum nascens, obliqua radice, triangulis lateribus, decem cubitis longa, & in gracilitatem fastigiata, ex foliis papyri tenui phyllurâ acu deducta, faciunt chartam ad scrutendum, quæ hinc papyrus dicitur; indeque chartæ nostræ, licet ex contritis lineis factæ, qui tamen eundem scribendi usum præbent, papyrus vocantur. Ex ligno verò papyri fabricant naves, testibus Livano & Ovidio. Quin & Herodotus ait, Ægyptios suas naves ex junco fabricare. Et Plinius: Prius tamen, quàm digrediamur ab Ægypto, & papyri

natura dicetur, cùm chartæ usu humanitas vitæ constet & memoria. Et hanc Alexandri magni victoriâ repertam, autor est Varro, condita in Ægypto Alexandria; ante non fuisse chartarum usum. Palmarum foliis primùm fuisse scriptitatum, inde quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta aut schedis. Pugillarium enim usum fuisse ante Trojano tempora invenimus apud Homerum. Sed & pellibus caprimis ovillisque præ penuriâ biblorum sive scirporum veteres usos indicat Herodotus. Unde Jones interdum biblos vocant pelles. Persas item membranis usos, argumento est, quòd res ab illis gestæ, quæ literis consueverunt mandari, redigerentur in membranas, qualibus regiorum annalium codicibus sensum in Persicis rebus describẽdis ipsemet Ctesias professus est, teste Diodoro. ut minimè mirum sit, cùm papyri, tùm chartarum usum olim ipsis fuisse incognitum.

Sed Plinium porrò audiamus; papyrum nascitur in palustribus Ægypti, aut quic-

quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum; brachiali radiciis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gravitatem fastigiatum thyrsi modo cacumen includens, semine nullo, aut usu ejus alio, quàm floris ad Deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utuntur, nec ignis tantùm gratiâ, sed ad alia quæque utensilia vasorum. Ex ipso quidem papyræ navigia texunt, & è libro vela tegetesq;, nec non & vestem atque stragula ac funes. Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum, intellectum est eundem usum habere, quem chartæ divisæ acu in prætenues, sed quàm latissimas philyras.

Dicuntur autem incolæ fruticem hunc crudum & assum manducare, devorato tantummodò succo, cùm tamen manducamentum expuant. Eodem victitabant illi, qui omnibus aliis curis & negotiis post habitis, rerum naturam syderumque rationes & causas scrutabantur in templo. Solebant & sacerdotes Ægyptiorum papy-

raceis calceis, non ex alia materia contextis insigniri. His enim puritatem affectabant, ut & lineis vestibus, & corporis totius politâ rasione. Eidem papyri flore coronabant Deus, sicut Thraces hederâ, & Hermionenses hyacintho.

Pace tua benevole lector huc inserimus Virgam Aaronicam, quæ ex amygdalo, arbore arundinea, fuit recisa, uti probat miraculum. Est autem amygdalus arbor prima omnium florens mense Januario; Martio verò pomum maturat. de ea Alciatus;

Cur properans foliis præmittis amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenii.

Quod torquetur in illud ingeniorum velut præcox genus, quod teste Fabio non temerè unquam pervenit ad frugem. Sunt enim pueri, qui statim primoque omnia discant, memoriterq; teneant, qui tamen quantò ætate fiunt provectiores, tantò minus complectuntur, ita ut ad solidam eruditionem vix aliquando perveniant. Eam obrem vulgò penè apud omnes creditum, eos, quibus sit ingenium tàm præ-

cox

cox & præmaturum, aut insanos fore, aut non diu victuros. Proinde Actus apud Gellium ait, in juvenilibus ingeniis itidem sibi placere, ut in pomis immaturis acerbitas ipsa placet; ea enim demum maturescere (maturitas tempestivam affert suavitatem) reliqua ante tempus putrescere.

Id quidem observatum maximè fuisse in Hermogene tradunt, cui vix dum pubescenti tam admirabilem ingenii & memoriæ vim fuisse dicunt, ut annos natus octodecim, artem Rhetoricam conscripserit, quæ ab omnibus admodum commendatur; quem etiam declamantem aliquando Musonius Philosophus gravissimus audire non refrugit, quemadmodum nec M. Imperator. At cùm quartum & vigesimum attigisset, mente lapsus dicitur, omniumq; penè rerum oblitus, nullâ evidenti causa.

In sacris literis, ubi Jeremias propheta dicit Virgam vigilantem ego video, Theodotion vertit, Ego video virgam Amygdalinam, quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos flores emittat. Ideò enim amygdalus Hebraicè dici-

tur

tur ſcaked,id eſt, vigilans. Syrus vertit virgam amygdali video. Et dixit mihi Dominus: benè vidiſti , quia feſtino ego ſuper verbo meo,ad faciendum illud. & Arabicus: Vidi virgam de arboribus amygdalorum Et dixit mihi Dominus: Quàm benè vidiſti, ô Jeremia ? Innuit per virgam amygdali, quòd, ſicut recens eſt amygdalus in viriditate ſua celeriter ante omnes arbores, ſic feſtinabit judicium meum.

Porrò virgam Aaronis fuiſſe ex amygdalo, ſicuti & cæterarum, ſecundum duodecim tribus , docet Cyrillus in Catena Franciſci Zephyri: Erant, inquit, omnes virgæ amygdalinæ , de more ejus gentis, quæ ex ea potiſſimum arbore ſcipionibus utebatùr, gerit enim talis arbor vigilantiæ ſymbolum. Amygdalus excellit in ſurculis, ſive rarius rectis & proceris emittendis; quare valde apta eſt, ut ex eâ ſcipiones ſenum , ac ſceptra principum exſcindantur.

Itaque virga vigilans erit ſignum hieroglyphicum judicis ultoris , vigilis , & ad puniendũ ſolliciti. Conſueverãt Ægyptii, auctore Cyrillo Alexandrino , oculum pin-

pingere baculo ſuper impoſitum, quem Juſtitiæ Servatorem, totiusque corporis cuſtodem interpretabantur, ut refert Diodorus: Virgâ Solem exornabant Phryges, ejus poteſtatem, qui cuncta moderatur significantes. Et Ægyptii, ut Oſirim regali poteſtate, ſublimem cuncta conſpicientem literis hieroglyphicis exprimerent, inſculpebant ſceptrum, in quo ſpeciem oculi depingebant, ut referunt Macrobius & Plutarchus.

Amygdalinam porrò illam virgam Aaronis, quæ eadem nocte & floruit & Amygdalos protulit, nugatur Rabbi Simeon apud Galatinum, exciſam ab arbore illa, quam Deus oſtendit Moſi, in eodem deſerto, ut amaræ aquæ dulces redderentur. Sed & in paradiſo exciſam ab arbore vitæ, at angelorum manibus, qui miſerant illam Adæ, cùm is filium Seth eò miſiſſet, imploratum, de peccato ſuo Dei miſericordiam: cùm dixiſſet ad Seth, ut plantaret eam, quòd ſtatim ac fructum ferret, deſcenderent in eum Dei miſericordiæ, aperirenturque portæ cæli, prius obſeratæ. Seth plantâſſe in deſerto, ubi poſtea Mo-

ſes

ſes invenerit, ac virgam exciderit, ut idcircò appellata ſit virga Dei. In eâdem arbore impoſitum à Moſe ſerpentem æneum, atque per illam ſtatuiſſe Deum ſalvum facere orbem univerſum, & mittere miſericordiam ſuper Adam, quando veniret rex Meſſias: tunc namque geſtaturam fructus, quibus ex amaris aquæ dulces reddantur, & purgent omne peccatum, delictaque omnia, quæ homines facturi eſſent, abſcondendam longo tempore tandemque ab Helenâ reginâ inveniendam.

Virga eſt inſigne regiæ atque judiciariæ poteſtatis, qualis virga, quam Judas dedit in pignus Thamar. Denotat etiam in divinis literis virga inſtrumentum, quo quis alium punit: præterea divinum verbum atque prædicationem. Correctricem Baſilius, & judicem vocat hanc Dei virgam, quæ in caſtigando recta, & non obliqua inducat judicia. Porrò ſceptra, litui, peda, caducei, baculi paſtorales, non ſint prorſus recti, ſed vel recurvi, vel acumine inæqnali: omnes namque juſtitiæ noſtræ atque cujusvis magiſtratus, comparatæ

cum

cum divina, tanquam pannus menstruatæ.

Sed redimus ad arundinem', cujus species Plinius facit viginti novem, cùm sex nobis tantummodò innotuerint. Est arundo domestica, quæ per Galliam & Italiam in principum hortis spectatur: perticam mediocrem æquat crassitie, solida, firma, dura, cava, firmissimis internodiis distincta, exurgit, ad quinum denum altitudinem pedum: inservit fulciendæ viti, nisi alia indigniora adsint ligna. Radix ipsi longa, crassa, nodosa, alba, quæ repens sese diffundit, & sponte suuum protrudit germen: sapor bonus & dulcis: folium longissimum & valdè latum.

Altera species dicitur arundo palustris, cui radix alba plurimis stolonibus ornata, cava, digitali crassitudine. Passim ea occurrit, in quartum decimum pedem & amplius exurgens, digitali crassitudine, frequentissimis nodis distincta, quorum singulis suum folium latum, & utrinque instar acutissimi cultelli secale: capillitium mense Julio eminet, instar plumarum ex struthione, & diffluit, ubi maturuit.

Ter-

Tertia ſpecies eſt firma, dura, levis, lævis enodis, eodem quo caſtaneæ colore: eam mittit India ad firmandum greſſum, inprimis capularibus, ſed & juvenculis ea ſedet phantaſia, non tam ad deambulandum, quàm ad ambitionem: ex qua cauſa etiam matronis principibus collibuit. Trogus in compendio Juſtini ait: Per tempora belli Trojani, adhuc reges haſtas pro Diademate habebant, quas Græci ſceptra dixêre. Addit Juſtinus; Nam ab origine rerum pro diis Immortalibus veteres haſtas coluêre, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur. Cerda negat contra Carolum Paſchalium ſceptra regum olim fieri ſolita, ex oleaſtro, cùm apud Poëtas obvia ſint eburnea, acerna; & ſcriptura ferreum memoret. Ex ligno fuiſſe ut plurimum dubitari nequit, licet ornarentur vel metallo, vel ebore, vel alia ſimili re, ſive myricium id fuerit, ſive ſalignum: quibus ligni generibus ad vaticinandum ſuperſtitioſi Ethnici utebantur, maximè priore, ut teſtatur Dionyſius Nicander. Nos ſceptro, ſcipione, baculo, virgâ niti ſolemus: Deo enim

enim cuncta sustinentur: & ejus nutu, & quasi ipsius manu dantur in manus regibus sceptra, ut illius regant loco. Item & sacerdotibus, quorum est concionari & docere. De Chryse Apollinis sacerdote, qui ab eo sceptrum concionaturus acceperit, meminit Homerus; itidem de senibus judicaturis. Et Musæ tradiderint sceptrum Hesiodo; notissimæ etiam sunt virgæ Palladis, Mercurii, Circes, Albaris, Jani, Osiridis cum oculo præfixo. De Mose & Aarone nihil dibium. Assuerus vel benevolentiæ causa inclinabat virgam, vel ad edendum juramentum; hodie in foro judices, & in bello duces sceptra virgasque gestant: nec improbabile, talem fuisse virgam, quam dux exercitus Jonathas, filius Saul, portabat, & quam Angelus Domini, apparens Gedeoni.

Anagogicè huc transferri potest virga seu baculus pastoralis, prælatorum Ecclesiæ, etiam pedum, lituus, ferula, à diversis nominari solitus, in fine acutus, rectus in medio, ac recurvus in summo: denotat utique pastorem debere stimulare pigros, tegere debiles, & colligere vagos. In ligneo

gneo S. Annonis Archiepiſcopi Colonienſis pedo, in ſuperiori parte in cupro, inciſi ſunt verſus ſequentes:

Titere coge pecus, cæcos ne ducito cæcus,
Moribus eſto gravis, rector fore diſce ſuavis,
Aſtu ſerpentis, volucris lege ſimpla gementis.

Rectores etiam civiles hîc conſiderare poſſumus. Cùm Cyrus Cambyſem deſignaret Imperii ſucceſſorem, Te, mi Cambyſes, ait, ſcire volo, non aureum hoc ſceptrum eſſe, quod regnum tibi conſervet, ſed amici fideles regibus, & veriſſimum & tutiſſimum ſunt ſceptrum. Putem equidem, & leve ac fragile, & grave ac ſolidum ex quâcunque demum materia nobis proponi ſceptrum, ut intelligamus, virgam filiis & domeſticis deberi, quæ facilè frangatur, vel ideò parenti gratior, quòd occaſionem ulterius ſæviendi præripiat; ferreum autem ſceptrum illis intentari & infligi, qui occalluerunt ad virgæ ictus, & comminuendi ſunt, inſtar vaſorum fictilium. Nam quòd Hieronymus Aaronicam virgam opponit baculo arundineo, vacuo, inani, nihil in ſe habenti plenitu-

nitudinis, cùm Aaronica consoletur, devoret dracones, cyniphes excitet, & locustas, nimis mysticum videtur. Apostolus minatur Corinthiis, sese cum virga venturum, ut suam scilicet ostenderet authoritatem.

Quarta species arundinis ex India Orientali adfertur, solida, sed porosa, adeò ut quemuis liquorem sugenti transmittat; lævis est & flava, quasi lineis quibusdam picta, flexibilis maximè est minus crassa. Quinta species robustissima est, superiori ferè similis, si colorem castaneæ seponas. Sexta species valdè tenuis est, instar calami olorini, aureo eoque obscuriore colore splendens, cava tamen & alba, & nodosa, tanquam fasciolis distincta. Eam & Corsica & Gallia præbent. Ajunt magnam intercedere arundini cum asparago sympathiam; sed internecinam antipathiam cum filice.

Desinimus huc referre Arundinem Indicam latifoliam: calamum aromaticum & Arundinem saccharinam, quæ nobis occasionem præbet sacchari prisci & moderni excutiendi. Asseverant Dioscorides,

des, Plinius & Galenus, priſcis temporibus ſaccharum fuiſſe in uſu, quod exudaret ex arundine, & Solis calore in Salem ſeu reſinam excoqueretur : inde ejus nullus uſus in cibis, cùm & propter penuriam adeoq; raritatem melle in condiendo uterentur. Diverſas Sacchari ſpecies nobis recitat Taberræ montanus, Hieronymi Tragi diſcipulus. Maderienſe ab inſula Madera ſeu Medera facit optimum. Saccharum: Alterum dicit Canarienſe, ab inſulis Canariis: tertium ipſi eſt Reſinatum ſeu Valentinum, ab urbe Valentia Hiſpaniæ, officinis Arabicè Tabarzeth, quod optimum denotat Saccharum, fraude ſatis manifeſtâ, cùm pro prima ſpecie obtrudatur tertia, quæ marmoris & alabaſtri candorem induit, & ſuperiores ſuperat, lixivio ſic fucatum: hinc à remediis arceri debet, propter acrimoniam acquiſitam cum piſpendio dulcedinis, quin & ſitim & ſiccitatem infert. Accedit nonnihil farinæ fuco, imò & calcis, ut denſitate imitetur optimum.

Quarta ſpecies eſt Maltanum, Melſium, Melitæum, cibale, ex inſula Maltha ſeu Melite, Carcerienſi ob denſitatem par, & boni-

bonitate ſecundum præ Refinato. Quinta ſpecies adfertur ex Inſula D. Thomæ, Thomaſinum & rubrum, ſed viliſſimum, Sextam ſpeciem fecerint minutiæ cujusvis ſacchari, inde miſcellaneum audit, ſyrupis & cibis inſerviens. Agmen claudit ſaccharum inſtar mellis fluidum & molle, ex ſpuma conflatum.

Quid verò ſtatuemus de litigio doctiorum, qui negant noſtrum ſaccharum eſſe illud, cujus Dioſcorides & Galenus meminerint. Johannes Manardus Ferrarienſis contendit, noſtrate ſaccharum fuiſſe priſcis incognitum; eum ſequuti turba medicorum, tandem amiſiſſe videntur eſſentiam & definitionem ſacchari. Rem verò penſiculatius ruminanti patebit ſaccharum eſſe idem, modum id concinnandi diverſum, nam utrumque ſaccharum ex eadem arundine prodit & nobis & illis; geminum tamen habebant, & ſole concretum inſtar reſinæ, & ex radicibus expreſſum, quod mel Cannæ dicebatur, quod Galenus non ignorare potuit, cùm & Marcus Varro Narbonenſis, qui ante Galenum & natum Chriſtum, nempe ſub

Cæſare Julio ſcripſit, nodum ſic explicet: Indica non magna nimis arbore creſcit arundo, Illius & lentus premitur radicibus humor, dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Si igitur Varro ante natum Chriſtum vixit, & Galenus tempora Marci Antonini ac Hadriani attigit, ſequitur omninò, rem in vulgus notiſſimam, Galenum Philoſophum ſagaciſſimum ſubterfugere minimè potuiſſe. Quin & Statius Papinius ſub Imperio Nervæ meminit cannæ ſaccharinæ:

—— *Et quas præcoxit Ebuſita cannas.*

Ubi tamen Hermolaus Barbarus pro Ebuſita reponendum monet Hypaſita, à fluvio Hypaſi, qui Indiæ populis nomenclaturam largitur. Lucanus, Coſſ. C. Cæſare eſt L. Cæſiano natus, ante Galenum, de fluido ſaccharo, tertio Pharſaliæ ſic canit:

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.

Et Strabo meminit fluidi ſacchari, quod ex cannis & radicibus exprimatur. Suffragatur Solinus de Indiis loquens, Naſci ali-

alicubi in paluſtribus Indiæ ſpeciem arundinis, ex cujus radicibus exprimatur ſuccus, mellei dulcoris. Sic igitur authores iſti, Galeno ſuperiores, arguunt notitiam ſacchari mellei, quod Galenus ſuperſederit nominare, cùm illius in medicina nullus eſſet uſus, ſed frequentiſſimus alterius ſpeciei, quam Sol inſtar Salis excoquit effluentem.

Saccharum facilè convertitur in bilem flavam: infantibus generat vermes: dentes denigrat & concutit. Conditur & ſpiſſatur tum Canarienſe, quod albo colore itidem gaudet; & Thomaſinum, in fuſcum colorem denigrans. Sic autem ſolet confici: accipe viginti, aut quot volueris, libras ſacchari, quod ad manum fuerit ſive Canarium, ſive Thomaſinum (Mederenſe omninò præſtat) electrum, comminue, contunde, in ahenum aut aliud quodpiam vas ingere, adde paululum aquæ fontanæ, ut facilius liqueſcat ſaccharum, impone prunis, donec ſaccharum liquefactum tantillum bulliat, idque velociter, ne lentorem & flavedinem contrahat, itaque paucula opus eſt aqua, ut candidius evadat,

dat, in syrupum spissum convertatur. Tũ paratam habe oblongam, quadratam, figilinique operis arcam, vitro obductam, ab imo interstitiis per duos digitos transversos distinctam, adeò ut arca ab angustiis fundi dilatetur ad superiora: interstitiis impone tenuia, quadrata, longa bacilla, tribus digitis transversis ab invicem distantia, ab imo iterum fundo usque ad superiora. Sic infunde calidum saccharum ad summum, operi arcam, afferique impositam admove fornaci, per senos denos, adeòque vicenos dies. Si remoto operculo videas saccharum bacillis adhærere, instar cristali, refundes cautè quod reliquum est syrupi, ut denuò fervidum sed paululum remissius, in eandem arcam refundatur, & octo decemve diebus in loco calente reponatur, ut Candum saccharum tantò fiat splendidius. Bacilla amat saccharum in hoc amplexu pinea, cætera respuit, unde in pinea doliola omnia condiuntur. Veneti hîc fucum faciunt, ad morem Valentiæ. quem usus quotidianus docet. Aliquando additur loco fontanæ, Cinnamomi aqua distillata, ad majorem vir-

virtutem. Sed mireris cæruleum candiri, ſucco nimirum violarum: tum rubrum, ex roſarum ſucco addito: quod nauſeabundis & infantibus adhibetur, expurgandi ventris ergò. Saccharum penidium ex pyramidali, maximè Thomaſino, & rectius Caſſaunio conficitur, admiſto albumine ovi, ut ſordes contrahantur in ſuperficiē, & iis ſublatis pannum transmeet, & ebulliat, donec in clavum parieti impactum maſſa conjiciatur, & validis lacertis, inſtar picis redactæ, diducatur, qui labor ſane unum atque alterum requirit, virum robuſtm, ad ſubigendum ſaccharum; tum digitales accipit formas, indureſcit inſtar lapidis, & conſtringitur inſtar vitri, imò friabile evadit. Fit etiam aqua potabilis viceſima ſacchari addita ad centenariam aquæ. Eſt & Diapenidion, trochiſci ſcilicet hectius & pectoris obſtructione laborantibus apprimè utiles.

CAP. XXXV.

ARBORES.

IN Xensi, ad Hocheu, magna copia est myrobalanorum, lignique odoriferi, quod Sandalum refert.

Ciennien arbor, hoc est, mille annorum, in Suchuen, urbe Paoning, in Idolorum templo Kien civitatis tantæ est magnitudinis, ut sub uno ramo ducentæ oves stare ac circuire possint, absque eo quod viderentur, licet ad rami initia accederes. Fortassis ex illis arboribus, quæ per Indiam inclinatis ad terram ramis in varias arbores excrescunt. Lusitanis dicitur Rays.

Genus phaseli seu fabæ, quam à duritie Sinæ lapideam vocant, ad quartam urbem militarem crescit in arboribus, in Suchuen.

Stirps quædam nascitur in Huquang, quæ ut hedera Europæa in altum serpit, flores producit luteos & nonnihil albicantes; extremitates ramorum sunt subtilissi-

tilissimæ, velut fila serica. Ajunt ramusculum nudæ carni alligatum, somnum conciliare suavissimum, hinc Manghoa, id est, somni flos dictus.

Sina habet byssum & in arboribus nascentem.

In Chekiang sylvæ sunt mororum, bombyces tot, & serici panni tanta copia, ut viliori pretio ibi decem vestes, quàm alibi apud Europæos unica lanea comparari possit. Moros, ut Europæi vites, quotannis putare solent, nec in altas arbores eas excrescere sinunt; quòd minorum folia præstantiorem byssum ac filum producere longissima tot annorum experimento edocti, atque hinc primam texturam fili à secundâ optimè distinguunt. Ea est, quæ à vernis illis molliculisque ac delicatioribus foliis, quibus bambyles aluntur, prodit, altera ab æstivis ac durioribus. tantam operis mutationem affert vel sola cibi varietas in subtilissimis illis animalibus.

Ad Chucheu, in Chekiang, ad civitatem Sunghiang, id est, pinorum terram, tantæ molis reperiuntur arbores, ut octo-

ginta hominum amplexum earum crassities superet: imò sunt, quæ intra trunci cavitatem octo & triginta homines recipiunt.

Cingçao, stagnum est unius jugeri, sub Tingcheu, minimæ altitudinis; alunt autem arbores semper virides, ac foliis vestitas.

Quangtung nulla hyemis sentit incommoda, adeò ut de eâ vulgatum sit proverbium Tria ibi esse insolita, cœlum sine nive, arbores semper virides, & incolas sanguinem spuentes: qui folio Betel & Areca cum calce utentes, quæ salivam rubicundo inficiunt colore, assiduè masticent, uti per totam passim Indiam in usu est.

In Macao Lusitanorum invenitur arbor, Lusitanis ferreum lignum dicta, quòd colore, pondere ac duritie ferrum durissimum æquet, imò nec aquis supernatet, sed subsidat: unde instrumenta quæque ad perpetuitatem præbet. In Chaoking, prope Teking, in monte Caoleang, ingentes hæ visuntur arbores.

Arbor quædam in Quangtung fert rosas. Vide Flores.

Chao-

Chaoking in Quangtung multa producit ligna odorifera: ut aquilam & rosacetum, quo ad capsulas, mensas, sedes, similiaque conficienda frequentissimè utuntur, quoque vix aliud est præstantius, coloris ex nigro rubicantis, venis quibusdam intercisum, & artificiosa benignè obstetricantis naturæ quasi manu depictum.

Kiuncheu, metropolis insulæ Hainan, habet in montibus Aquilæ lignum odoriferum, uti & Ebenum, lignum Rosæ & Brasilium, quod ad tincturam per totam Sinam passim adhibent fullones. Ligno aquilæ, quod est purpurei coloris, utuntur ad tingẽdos pannos sericos: Hispani Liaccam vocant.

Quei mons, ab arbore floriferâ dicitur: vide flores: & in loco, ubi crescit, alias non admittit, nec crescere in eodem loco sunt.

In Chekiang nascitur arbuscula, quæ fert florem Mogorni. vide Flores.

In Quangsi crescit arbor illa, ferri, buxo Europæa multò durior.

Cincheu in Quangsi, profert præstantissimum Cinnamomum, à Ceilano in eo

tantùm differentem, quòd odoris sit fragrantioris, majorisque mordacitatis, dum linguæ imponitur.

Arbor, ex quâ fit mundissimum sebum, habet hyberno tempore folia quasi cuprea, omnino nubentia, amæno prorsus aspectu, cùm sylvæ quasi integræ rubent: folia demum decidunt, & quia pinguedine quadam prædita sunt, gratissimum ovibus ac vaccis cibum præstant, ex quorum esitatorie egregiè pinguescunt. Vide Fructus.

In regnis Gannan stillat ex arboribus suavissimus ille liquor, quem Lusitani Rosamaliam vocant.

In Chekiang, sub urbe Niencheu, plurimum colligitur gummi illius, seu glutinis, quod Cie vocant. id stillat ex arboribus, persimile lacrymæ terebinthi, colligitur per æstatem, purgaturque à Sinis, & quo volunt, inficitur colore. optimum aureo flavescit, proximum nigerrimum. Cùm nondum siccatum est, venenatam quandam emittit exhalationem, cui non adsueti intumescunt ac pallent vultu, sed facilis est curatio. Cùm tinguntur arculæ,

tar-

tardius ſiccatur, niſi in humido ſit loco; ſemel autem exiccatum, nunquam amplius liquefit. Quàm verò res ſit elegans, munda ac ſplendida, jam pridem didicit Europa ex capſulis, quæ è Japonia, atque ipsâ Sinâ plurimæ advehuntur.

In Quangſi conficitur pannus ex foliis muſarum rubrarum.

Junnan abundat Benjoino, ſeu thure illo, ex arboribus ſtillante, ſuaviſſimo.

Areca creſcit ad Kingyuen, in Quangſi, ex Indiâ translata arbor, palmæ ſimilis, matri nucum Indicarum quas Cocos vocant. Sed tamen minus craſſa, etiam foliis tenuioribus. Et fructus ejuſdem nominis nucem refert, prædurus, forcipe dividendus. Ad piperis genus reducitur à nonnullis, ſed perperam, quòd ſuſtineat ſaltem piperis fruticem; labruſcæ non multum diſſimilem: quin potius ſylveſtris palma reputatur, Luſitanis Arequero.

Si Plinio credimus, non tantum ſexus ineſt arboribus: quod mas in palmite floret, fœmina citra florem germinet, tantùm ſpinæ modo, ſed & fames, cruditas, peſtis, cæterique morbi: anne ſic homo

fuerit arbor inversa bifaria, & poëtarum stabilientur deliramenta, qui complures homines in arbores transsubstantiatas fingunt?

Senis sub S. Francisci templo, sed extra muros, arbor vetula colitur, inquit Italic. Merc. de quâ hæc literarum monumentis prodita, celebrataque constanti omnium sermone: D. Franciscum ferunt intestinæ civium dissensionis sanandæ gratia Senas venientem, cùm in conspectu urbis esset, & serus jam vesper fessum via ibi loci cum Comite consedisse, baculumque quem manu tenebat, molli solo infixisse: tum fortè ortum sermonem de civium ingeniis, & ratione conficiendæ rei, quæ comiti ardua videbatur, adeò ut spem nec majorem, quàm si aridum illum scipionem folia floremque emissurum quis diceret, conciperet, sic utrumque anxium somno oppressum. Sed nocte baculus, cœlitus accepto vigore vitali, & radices in solo egit, & lectissima folia floremque iis, cùm è somno evigilâssent, ostendit. Extat adhunc temporis ingens truncus, tot tamen annorum carie penè exesus, nihilominus

vivi-

vividus,& alios ſuper alios ejiciens ſurculos. Ita creditæ rei fidem augent ligni inſolitæ vires; ægri enim complures, præſertim febribus conflictati, ſi aquam affundant, ebibantque priſtinam ſanitatem recepêre.

In valle viridi Zonienſis ſylvæ, in monaſterio videre eſt filiam, quæ vetuſtate temporis exaruerat, plusque minus viginti annis frondibus ac ramis penè denudata, & carie penitus exeſa, ſolo ferè cortice conſtabat, ſed ingenti omnium ſtupore, quaſi redditâ juventute reviruit, ramis ac frondibus onuſta, etiamnum ſpectatorum oculos reficit, absque omni ariditatis vetuſtatisve indicio: Quam ob cauſam Iſabella Belgii princeps ſepimento circumdedit.

In oppido Hollandiæ, quod ob amœnitatem Schonaviam dicunt, quercus eſt, cujus rami undique extenſi, & in ſemetipſa denuò reflexi, juſtæ capacitatis cubile faciunt, ut magnam hominum turbam capiat: de illius vetuſtate varius ſermo; & conſtat, ſeniores quoſvis à parentibus au-

ditum retulisse, illam semper eodem fuisse è statu & vigore.

Plinius refert, sub principatu Tiberii visam Romæ trabem laricis, longam pedes viginti supra centum bipedali crassitie æquali.

In Cypro succisa est Cedrus ad undecire mem Demetriis, quæ triginta supra centum pedes longa, vix trium hominum amplexu continebatur.

Basileæ in luco Sartopetrino quercus annosissima spectatur, ex cujus vasto robore trunci decem, singuli justæ arboris magnitudine, non in altum erecti, sed in latum undique diducti ita explicantur, ut triplici columnarum sustentaculo egeant, quarum intima series hexagonum, media octogonum, extrema sedecagonum repræsentat; peripheriâ centum & duodecim passus exigente, tam patulo ramorum frondiumque tegmine, ut naturæ simul & humanæ industriæ spectabile opus oculis objiciat, quanquam ædilium incuriâ damni non nihil conceperit. Cùm Fridericus Cæsar cum Maximiliano filio Archiduce Austriæ, aliisque principibus secta-

riis;

riis anno ſeptuageſimo tertio ſupra milleſimum quadringenteſimum, ineunte Septembre, per dies ſex Baſileæ moraretur, atque in cænaculo illîc, ubi ſæpenumerò amicit principes, eorumque legati, Canè præſertim æſtuante, convivio excepti ſunt regalibus epulis recrearetur, univerſus ejus comitatus curâ Senatu Baſileenſi in hujus arboris umbrâ diſcubuit.

Reperta quercus in nemore Tronſac, propè Bituriges, tantâ craſſitie, ramisque ſe undique protendentibus, ut Franciſcus rex Galliarum eam communiverit, ſolitus ſub illius umbrâ refrigerari, quoties venationibus vocaret, graviſſimâ pœnâ conſtituta ſi quis truncum læderet, aut frondes decerperet.

Tilia obſequentes habet ramos; qui ex trunco, ubi is duodenos, vel denos qui nos ſuccrevit pedes, undiquaque extenduntur, etiam per latitudinem in triginta, & plus minus pedes; ramis tum decem licet conſurgere per extrema, & parietes quaſi formare, trunco in decem ulterius tendente pedes, ut illîc contignationem faciat naturalem alteram, ſed multò arctiorem,

rem, & verticem in libero aëre ventis exponat: Sternuntur asseribus illæ contignationes, & admittunt convivia vel nuptialia. Ea fuit ante perniciosum bellum cura paganorum, quibus solitum, sub tiliâ benè cultâ conventus agere, & sciscere; superius delitiari.

Olea in Italiam omninò tardè pervenit; nam Theophrastus; teste Plinio, urbis conditæ anno circiter 440. negavit nisi intra quadraginta millia passuum à mari nasci. Fenestella verò dicit, hanc arborem omninò non fuisse in Italiâ Hispaniâ, atque Africâ, Tarquinio Prisco regnante, ab anno populi Romani 173. Ferunt Græci, & inter eos Rutilius Taurus, oleam adeò amare castitatem, ut amplius luxuriet, si à pueris mundis & puris tractetur. Columella ejus genera noverat decem, propter saporis, usus & formæ diversitatem.

Oleastri tanta vivacitas, ut si multis configatur clavis, nihil lædatur. Olivæ lignum est solidum, non sentit cariem, ventos aut vetustatem, huic victoriæ, felicitatis & æternitatis symbolum. Suc-

currit hìc cur apud Judæos in uſu non fuerit cera ad lumina & tædas, oleum fuerit; cùm tamen & ſylvæ abundarent apibus.

De lauro Suetonius in Galbâ narrat, quòd Liviæ ſtatim poſt Auguſti nuptias Vientanum ſuum rem ſenti, prætervolans aquila gallinam albam, ramum lauri roſtro tenentem, demiſerit in gremium. Cùmque nutriri alitem, & plantari ramum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur: (nil id mirum, cùm quævis gallina vel denos excludens pullos, ad minimum quinas dederit ſingulis annis gallinas, quæ ſequenti anno æquè fecundæ brevi provinciam impleverint; ſicuti porcorum & armentorum immenſa vis ſit futura, ſi per triennium provincia abſtineat ab illorum mactatione.) Tale verù lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent: ſed mos obtinuerat, ut triumphantes confeſtim eodem loco laurum replantarent. Et obſervatum eſt, ſub cujusque obitum arborem ſingularem elanguiſſe. Itaque ultimo Neronis anno

& ſil-

& silva omnis exaruit radicibus, & quicquid ibi gallinarum erat, sponte interiit.

Credita est laurus, æquè ac Sol, venena dispellere, hinc Plinio videtur lustrationibus adhibita. Ajunt, unicam arborum laurum fulmine non tangi, non afflari: quocirca Tiberius, teste Suetonio, jugiter in capite gestabat coronam lauream, tonante cælo. Nascitur quidem in Regionibus calidis, tamen optimè in Belgio proficit, in solo salsugine corrupto; unde per Zelandiam luxuriat, cùm alibi ab humo quæ tamen ibi asperrima arceri debeat.

Anno ab hinc retrorsum vicesimo tertio, ad Gelanum, in agro Lichtenbergensi, ducatu Bipontino, qui Nava haustus quatuor à ripa Rheni sinistra milliaribus, simul in Rhenum devolvitur Bingæ, infra Moguntiam, ejusque ripam dextram, antequam Navæ misceatur, tertio milliari, est vallis adeò angusta ad præcipitium saxosum, ut vix quinos passus habeat: mons superior cultus, & viam satis frequentem, habet ex Olmeto Gomesvillam: fit terræmotus, titubat piscator, & trepidus effugit angustias: devolvuntur saxa in alveum, & pro-

& propellunt flumen in ripam ſiniſtram, pratis celebrem, quod ſuperius ſtagnat. Saxa trahunt, quam ſuſtinuerant, ſuperficiem agri cum ſegete adeò ut ille ſecalis, & bona pars viæ transverſæ; non turbatis orbitis conſequerentur, & diu extarent. Sed quercus ſic ſatis craſſa, non tamen inter annoſas numeranda, quæ ſub agro in vepreto ſuccreverat, in æqui librio deſcẽdit, quanto ſummarum ædium ſpatio culmen diſtat à pavimento: deſcendit & alia minor, jactu ſagittæ à priori remota; ſtetit utraque adverſus ventorum impetum, & ſtat ſtabitque donec major vis ingruat, mirâ tenacitate radicum.

Paulò ante Palladii tempora videtur malum Citrium in Italiam perveniſſe, ut ex ejus ſcriptis colligere licet, in Martio, cap. de Citrio. Talea ejus ſeu Clava calidiſſimis regionibus, & per autumnũ ponitur. Frigidiſſimis Julio & Auguſto poſitas, & quotidianis rigationibus animatas; ipſe uſque ad poma & magna incrementa perduxi. Quod non referret tanquam novitium inventum, ſi vetuſtior paulò cultura ejus fuiſſet. Paulatim igitur per Hiſpaniam,

niam, Italiam & Galliam fuêre propagata.

Theophrasti ætate pomum ejus nequaqnam erat vescum, sed ne Plutarchi quidem, ut Athenæus commemorat. Parthorum proceres grana ejus duntaxat esculentis solebant incoquere, commendandi halitus gratia, ut auctor est Plinius. Venenis adversori veteres omnes asserūt, quod Athenæus celebri exemplo adstruit, edoctus à cive quodam suo, cui Ægypti fuerat mandata administratio. Is quosdam sceleris convictos serpentibus jusserat objici: qui cum ad supplicium ducerentur, in itinere oblatum fortè à Caupone Citrium comederant, & in theatro mox ferocissimis serpentibus objecti, & ab Aspidibus commorsi, nihil noxę senserunt, summo cum prędecti & spectatorum stupore. Interrogati milites, num antidotum præsumsissent? qui cùm rem gestam narrâssent, altero die uni illorum citrium præberi jussit, alteri negatum; ac denuò ducti in theatrum, qui citrium ederat, licet commorsus nihil incommodi passus est, alter verò illato ictu confestim periit: quo

quo experimento innotuit, Citrium venenis adversari.

Ex ejus succo Serapium paratur, inter Italos adversus malignas & pestiferas febres præstantissimum remedium, & cordis affectibus valdè conveniens. Illius etiam caro estur, sed ignevi est saporis nisi saccharo condiatur, inde ni delitiis habetùr. Cortex verò aromaticum quid spirat, stomacho & cordi amicus, concoctionē promovet, modò quis modicè eo utatur; nam nimius usus pituitam gignit crassam, quæ difficulter concoquitur. Simplex tantùm malum olim innotuerat, tunc diversæ ejus species propagatæ visuntur passim per adulteria naturæ, uti Plinius loqui amat.

Citrus arbor vel è Levitico dicitur pulcherrima. Quicunque enim attendet & ramos & folia admodum amæna, eique nunquam flores deesse purpurascentes, nunquam fructus aureo colore flavescentes, rem sensibus usurpabit. Lignum in opera artificiosè dedolatum eximium est, & olim ad mensas, cùm Italia arbore careret,

ma-

maximo in pretio fuit Romæ, uti & cedrinum.

Paulus Jovius refert, à Demetrio legato, non ſine audientium riſu narrari ſolitum: agricolam quendam quærendi mellis cauſa, in prægrandem cavam arborem ſupernè deſiliiſſe, eumque profundo mellis gurgite, pectore tenus fuiſſe hauſtum, ac biduum ſolo melle vitam ſuſtinuiſſe, cùm vox opem implorantis, in ea ſylvarum ſolitudine, ad viatorum aures penetrare nequiviſſet. Ad extremum verò, deſperata ſalute, mirabili caſu, ingentis urſæ beneficio, inde extractum evaſiſſe, cùm fortè ejus belluæ, ad edenda mella, more humano ſe dimittentis, averſos renes manibus comprehendiſſet, & eam ſubito timore exterritam, ad exiliendum tum tractu ipſo, tum multo clamore concitaſſet.

Eſt in civis primarii apud Francofurtenſes ædibus nux avellana, ejusdem penè ætatis cum ſeneſcente hero, corylum vocant, ſed fructum fert nobiliorem, cujus characterem vel nucleo circumdata mẽbrana arguit de ſiſtenda Lyenteria, arbor recta,

recta, à solo citra ramos & stolones usque ad culmen sylvosum, ultra quinquaginta pedes in altum penetrat & inferius Geryonem, sive tria virorum mediocrium corpora circulo exæquat

Tum buxus, in viri militaris horto, qua marginari solent lectisternia hortorum, cùm est hrevius culę naturæ, attonderi, ne exurgat nimium, sed potius densius multiplicet ramulos, non potens opprobrium ignobilis sustinere plebeculæ, & ab omnibus despici, transit in nobilissimum genus arborum, attollit verticem, & nacta culturam, arbor est, ne Gallia meridionalis eâ gaudeat sola, cacumen fert sylvosum, truncum erigit, quem vix senæ comprehendant spithamæ. Ex buxi solidissimo ligno fieri pectines, cochlearia, fistulas & vasa penè perpetui vigoris, quæ propediem splendescant, & flavedinem oculis reddant gratissimam, notum est in vulgus.

Est Sualbaci supra fontes minerales in valle angusta fagus in rotundum quasi attonsa & fastigiata coma, adeò densa, ut nulli

nulli radii ſolis penetrare queant, verum ſylvæ delitium.

Eſt arbor gemina matrimonialis, quercus & fagus, ita concretæ, ut penitus coaluerint in amplexu; ita tamen ut inferius tranſiri queat.

Habet Francofurtum, quâ itur Bokenheymium, intra pomærium campeſtre, quod foſſa cum turribus excubitoriis, iisque vectigalibus amplo ſpatio efficit ulmos proceras, in ſepem prati, ferè contiguo ordine conſitas, quæ cacuminibus ſylveſcunt, & meridiantibus gratiſſimam ſpargunt umbram, per tumultus Germaniæ nuperos cædi cæptæ, ſed ob decorem, qui in ipſam urbem redundat ſervatæ.

Ultra Hannoviam eſt ſylva, quam maledictam vocant, quòd nullâ glande profit: ajunt, inter diſceptandum de uſu glandium excidiſſe execrationem, quæ hactenus teneat, ob temeritatem voti, & iniquitatem facti. Itaque incædua eſt, ne infortunium ædificiis adhibita attrahat.

Pinum dat Polonia, Bohemia, Germania, eamq; maritimã, mõtanam, ſylveſtrẽ.

Mat-

Matthiolus ſylveſtrē & hortenſem tantùm agnoſcit: iſta altius aſſurgit per culturam, craſſior evadit, inferius caret ſtolonibus ſuperius ramoſiſſima: folium ipſi tenue, longum, durum, aculeatum, bina prodeunt tandem ex apice inſtar capillamenti. Nux pinea, aliis ſtrobili, magna eſt, ſquamâ ligneſcente compacta, nucleum habet candidum, longiuſculum & dulcem, membranulâ involutum. Illa quæ in montibus oritur, omnia habet minora, etiam corticem glabrum. Sunt tamen diverſa genera. Abies non immeritò illi adnumeratur, & alba & rubra ſpectatur. Strobili tantùm ſemen habent incluſum: rami humum ſpectant: perpetuus arbori viror, tametſi menſe majo abjiciat folia, etiam tum viridia, quæ ſubnaſcentia propellunt. Reſinam fundit multis uſibus notam. Vulneratur arbor aliquoties, ut per alterum menſem lacrymetur, & ſylvanus ſacco eam abraſam involvat, in aheno excoquendam: terebinthum dicas. Apud Veteres legas reſinam ſtrobilinam: apud Neotericos oleum, capitis vulneribus expetitum.

Et hîc ſuum ſibi locum poſcit larix, cujus folium cortex, reſina, ſpongia, oleum & aqua Medicis feliciter famulantur, inprimis pillulæ ex agarico, & agaricus trochiſcatus (ſpongia eſt ipſa) in diſſolvendo & evacuando. Formicæ congerunt lacrymulas & radicum & arboris in ſuas caveas, unde ſuffumigia fiunt laudatiſſima, vel ipſo thure gratioſa. Sic & nobis fuerit Libanus thurifera, & Cedrus. Sed ubi & quæ fuit arbor vitæ in paradiſo? anne illa potuiſſet hominem imaginis divinæ pertinacem à morte præſervare in perpetuũ? Non pauci hoc affirmant & probare conantur ex Gen. c. 3. nunc igitur videndum, ne extendens manum ſuam accipiat etiam de fructu arboris vitæ, ut comedat victurus in ſeculum. Quod ſi enim idcircò Adam è paradiſo ejectus eſt, & intercluſus illi aditus ad arborem vitæ, ne videlicet ejus fructum comedens viveret in æternum; videtur ejus illius arboris potuiſſe homini præſtare vitam æternam. Deinde Adam, ſi divinæ legi ſemper paruiſſet, nunquam fuiſſet moriturus: eſt quippe mors ſtipendium peccati. Mortem igitur ab

ab homine fructus arboris vitæ propulsabat.

Alii ſentiunt, arborem vitæ non habuiſſe vim conſervandi hominis vitam in finito tempore, ſed usque ad aliqud modò definitum tempus: quo exacto translatus fuiſſet homo in vitam ſpiritualem, atque omnino immortalem. Potentia enim illius arboris finita erat, ergò effectus quoque finitus, neque ad infinitum efficax. Omne agens phyſicum in agendo patitur & dibilitatur: quare etiam in ſtatu innocentiæ calor hominis naturalis in ipſa nutritione, aliisque actionibus aliquem defectum paſſus, tandem magis magisque debilitatus fuiſſet. Et porrò argumentantur: ſi arbor vitæ habuiſſet vim conſervandi hominis vitam ad infinitum tempus, fuiſſet illa vis & potentia planè otioſa, inanis & ſupervacanea, fruſtraque ei arbori tributa. Cùm enim homo in ſtatu innocentiæ non eſſet vitam in terris æternam acturus, ſed conſtituiſſet Deus eum ad tempus quoddam longiſſimum, definitum tamen, puta trium aut quatuor mille annorum, in terris vivere, poſtea verò

in ſtatum meliorem commutatum, vitam ducere omni ævo in cælis beatiſſimam; erat profectò rationi conſentaneum, ut arbor vitæ potentiam haberet ſervandi hominem incorruptum & integrum uſque ad illud tempus præſcriptum: ultra verò illud tempus opus non fuiſſet homini arbore vitæ, ſed fuiſſet ea ſine uſu, atque omninò ſupervacua. Deus autem & natura, inquiunt philoſophi, nihil fruſtra, nihil ſine cauſa, nihil ad nullum uſum aut finem faciunt.

Alii exiſtimant, dictam eſſe arborem vitæ, non effectivè, quòd vitam faceret immortalem; ſed ſignificative, quia ſymbolum erat & ſignum immortalitatis Adamo, ſi legem Dei cuſtodiret, propoſitæ: adeò ut arbor hæc fuerit Adamo ſacramentum vitæ dupliciter, primò quatenus erat homini ſymbolum monitorium vitæ, quam habebat à Deo acceptæ. Quoties enim guſtarent homines hanc arborem recordari debebant, ſe vitam habere non ex ſe; ſed à Deo, qui inſpiraverat. Deinde ſymbolum erat vitæ continuandæ, & cum meliore, cæleſti atque immortali aliquando

do commutandæ, ſiquidem in Obedientiâ perſiſterent. Atque hæc quidem ſententia verior, cum ſecunda rectè intellecta conjungi poteſt: adeò ut arbor vitæ & ſacramentum fuerit, atque etiam ſimul habuerit, ſeu ut cibus, ſeu ut medicina vim conſervandi hominis ſanitatem ac vitam, ne corpora vergerent in ſenium, aut defectum totalem ſentirent, donec in cæleſtem immortalitatem tranſirent. Quòd autem fuerint homines poſt definitum tempus transferendi in ſtatum gloriæ, vel ex eo patet, quòd paradiſus non erat capax futurus tot hominum, quot erant futuri; cùm ne tota quidem terra capax horum eſſe poſſet, ne dum paradiſus, qui aliqua portio tantùm terræ fuit.

Sed itidem liceat diſquirere, cur arbor ſcientiæ boni & mali ſic fuerit appellata? Nonnulli ex Hebræis ſtatuunt, Adæmum & Evam creatos eſſe ſimpliciſſimos, ſine uſu rationis, infantium ſimiles; quoniam autem arbor illa vim habebat accelerandi uſum rationis & liberi arbitrii, propterea inquiunt appellatam fuiſſe arborem ſcientiæ boni & mali, quòd phraſis ſcripturæ,

 ſcire

ſcire bonum & malum, idem ſonat, atque uſum rationis habere. Sed inſulſum eſt hoc Hebræorum commentum: etenim Adamus & Eva facti ſunt, ut corpore robuſto, ſtaturâque perfectâ, & ad generandum idoneâ corporis conſtitutione, quippe dictum eſt iis Creſcite & multiplicamini. Ita facti ſunt perfectâ ratione & judicio, menteque ad diſcernendum bonum & malum, & quidvis intelligendum maturâ. Quid enim non modò ad uſum rationis, ſed etiam ad rerum omnium ſcientiam ei obeſſe potuit, qui cunctis animantibus aptiſſima nomina impoſuit? cum quo Deus familiares habuit ſermones, cui legem ſanxit capitali pænâ eam violanti conſtitutâ, quem divino prophetiæ ſpiritu implevit, quo afflatus Adam, præclarum illud ac nobile edidit vaticinium: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.

Secunda opinio eſt, ideò ſic appellatam eſſe arborem ſcientiæ boni ac mali, quòd ejus fructus, ſi ederetur ab homine, vim haberet augendi acumen ingenii, & ſolertiam ac prudentiam cogitandi, mul-

tum-

tumque conferret ad percipiendam scientiam. Manifestum enim vel ipsa experientia, cibis valdè vel juvari, vel corrumpi spiritus animales, & organa interiorum sensuum, quorum bona constitutio ad bonitatem actionum mentalium mirifice confert. Sunt cibi, qui valdè prosunt, sunt etiam qui nocent plurimùm memoriæ & ingenio: quemadmodum etiam nati & viventes sub cælo gravi & crasso, obtusioris sunt ingenii; sub tenui autem & puro, acutioris & acrioris.

Verùm hæc sententia videntur refutari posse sequentibus rationibus. Primùm si fructus illius arboris ad ingenii acumen & perceptionem scientiæ profuisset, nunquam ejus usum Deus homini interdixisset. Non enim bonis nostris invidet, nec quæ ad perfectionem hominis pertinent, præsertim spiritualem & intellectualem, prohibere aut impedire voluit; quod tamen serpens Evæ videtur voluisse persuadere. Et verò, si talis fuisset fructus illius arboris, fuisset profectò lex Dei eum interdicens, homini gravissima ac durissima.

Siquidem nihil eſt, quod naturâ duce ardentius expetant homines, & ad quod majori impetu rapiantur, quàm ad conſecutionem & perceptionem ſcientiæ. Adde, quòd, ſi ita res haberet, promiſſum ſerpentis datum Evæ fuiſſet verum; illud utique promiſſum, quocunque die comederitis ex eo, eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum: & quidem verum fuiſſet de ſpeculativa ſcientia, quod tamen à pleriſque negari ſolet.

Tertia ſententia eſt ferè theologorum communis; ſic dictam eſſe illam arborem ab eventu, & ex eo, quod eſum ipſius conſecutum eſt, quemadmodum puteus jurgii ſeu calumniæ, & puteus juramenti ab eventu apud Moſen dicuntur. Accidit enim homini, ut tunc experiendo cognoſceret diſcrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebatur, & malum in quod peccando incurrit; ideoque ſcientiam haberet boni & mali experimentalem. Nam licet antea ſpeculativè noſſet Adam diſcrimen boni & mali, poſt peccatum practicè & per experientiam id magis cognovit. Sicut medicus ſcientiâ medicinæ cogni-

gnitam habet differentiam sanitatis & ægritudinis; eam tamen ipse, amissa sanitate, & in morbum delapsus, novâ quadam ratione, scilicet per experientiam cognoscit melius. Sunt quoque, qui scientiam experimentalem referunt non ad Adam, sed ad Deum (sed minus rectè) quem inquiunt imposuisse Adamo illud præceptum, ut experiretur & probaret eum de bono & malo, id est, de obedientiâ & inobedientiâ utrum scilicet futurus esset obediens, quod ei bono fuisset; an inobediens, quod malorum omnium ei erat seminarium.

Quarta sententia statuit nomen illud scientiæ boni & mali, indictum fuisse ei arbori propter mendacia verba, & fallacia promissa serpentis; qui primos illos homines ad edendum ex eâ arbore pellexit & impulit fallacissimis promissis, pollicitus, eos fore Deorum similes, scientes bonum & malum : atque adeò hanc arborem ironicè (sicuti etiam ironicè à Deo dictum videtur. Ecce homo est sicut unus ex nobis, cognoscendo bonum & malum) appellatam fuisse scientiæ boni & mali : ut

ipso nomine suo monumentum legentibus repræsentet Diabolici mendacii. Ex ea igitur, quòd illo falso promisso decepisset primos homines Satanas, impositum fuisse ei arbori nomen scientæ boni & mali, vel ab ipso Adamo, vel Mose, ac licet in historiâ Mosis ante congressum serpentis cum Eva, ea arbor eo nomine appelletur, videlicet scientiæ boni & mali, id tamen fecisse Mosen per anticipationem; reveram in ante non habuisse id nominis, sed cùm Deus dixit Adamo, ne ex eâ arbore comederet, vel alio nomine eam appellavisse, vel digito quasi eam demonstrando indicavisse.

Atque ita vidimus de causa appellationis arboris scientiæ boni & mali quatuor esse auctorum sententias, ex quibus tertia ut maximè communis est, ita etiam probabilior videtur, desumta utique ab eventu, quem Deus hac appellatione prænuntiavit secuturum, si homo ab eâ non abstinerent: futurum nimirum, ut homo comedens de ea contra Dei interdictum, sciret bonum & malum, hoc est, experimento cognosceret, quid interesset inter obedientiæ

entiæ bonum & inobedientiæ malum: vel ſciret, hoc eſt, manifeſtaret bonum vel malum ſuum, ſive obedientiam vel inobedientiam ſuam erga Deum: vel, ſciret, hoc eſt, experiretur, quantum bonum amiſiſſet, quantum contra malum ſibi attraxiſſet, & è quantæ felicitatis faſtigio, in quàm profundam miſeriæ voraginem per peccatum ſe præcipitaſſet, neque enim ſatis agnoſcimus commoda noſtra, donec amiſerimus; neque mala ſatis æſtimamus, antequam experti fuerimus.

Expulſi ſumus paradiſo, conjecti ad Rhenum, ibi nobis M. Abrahamus Saurius in theatro urbium indigitat arborem, non longè à pago Treburti ad littora Rheni malum, quæ quavis nocte, quam Chriſtiani, per Salvatoris natales celeberrimam habent, mala proferat, in teſtimonium laudata univerſa illa civitate, cum vicinia. Mala ea domino Landgravio ferè allata, hoſpitibus illuſtrioribus exhibentur ſpectanda. Ajunt ea, inſtante anno benefico, in fabæ molem creſcere, ſervata ſua forma genuina, quoad florem & pediculum, & quæcumque malum comitantur,

alioqui piſorum contineri orbe. Hîc philoſophentur naturæ ſacerdotes, quomodo eadem hora prodeat flos, continuò in fructum coaliturus durum; & tamen pomorum tempeſtate profert fructum, à cæteris nihil omninò diverſum.

Etiam Hieronymus Tragus in Herbario refert, ad Rhenum inveniri nucem arborem, quæ ante feſtum D. Johannis neq; folia neque fructum ferat, cùm tamen adulto Junio id genus arboris incipiat condenſare putamen nucis, & penè juſtam molem obtineat: addit, circa illum diem, qui eſt vigeſimus quartus illius menſis, fructum cum foliis ubertim prorumpere, quaſi arbor torpedine excuſſa, magno impetu procurrat, ut ſocias aſſequatur,

CAP.

CAP. XXXVI.

FRUCTUS.

PRæter uvas & fructus Europæos, ſingulares ſunt in Quangtung muſæ, nuces Indicæ, ananas, lichia, lungyen, & poma illa aurea in Fokien : unum præterea genus eſt particulare, *Vençu*, Luſitanis Jamboa, Hollandis Pompelmoes, in ſpinoſis arboribus, ut limonia poma ſolent, natum ; arbores tamen illis ſunt majores, flores omninò ſimiles, albique, ſuaviſſimi odoris, ex quibus aqua fragrantiſſima, diſtillatoria arte elicitur; fructus autem citria omnia, etiam illa maxima, longè ſuperat magnitudine, quippe qui capitis humani molem aut æquet aut excedat. Cortex reliquis pomis aureis ſimilis eſt colore, pulpa interna rubeſcit, dulcedinem aliqua aciditate permixtam obtinet, uvamque ſapore refert non omninò maturam, propereaque ex eo etiam liquor pro potu exprimi ſolet, uti in Europa ex ceraſis, py-

risac pomis, pro ſicera. Suſpenſus domi fructus ad annum perdurat.

Peci fructus deſcribitur inter è terra naſcentia.

Kingyuen in Quangſi, fert nuces Indicas minores, Lichias.

Queicheu producit ad civitatem Pingyue, folium Cha optimum, & poma aurea omnis generis.

Peking producit optima poma, pyra, pruna, frumenti ac milii non parum, leguminum omnia ferè genera, nuces & caſtaneas, nec non ficus & uvas, ex quibus tamen vinum non conficiunt, quòd potu ex oryzâ elicito gaudeant, qui ſanè præſtantiſſimus eſt, adeò ut ne ab Europæis quidem ibi vinum, niſi ad Miſſæ celebrandũ ſacrificium requiri ſoleat. In Xanſi uvæ ſunt ſuaviſſimæ, unde vinum optimum & læto proventu conficere poſſent; ſed uvas tantummodò exiccant, paſſasq; per totam Sinam paſſim mercatores divendunt, uti & nuces.

Peking fert caſtaneas laudatiſſimas & maximas: ſed urbs Xunking in Suchuen eas, quæ ore aliquantulo tempore conten-

tentæ, per se liquescunt, uti saccharum.

Honan sub urbe Queite dat poma aurea omnis generis, ac præcipuè granata præstantissima, à quorum copia ac præstantiâ ultima civitas.

Xeching nomen habet, quasi dicas, pomorum granatorum mœnia.

In Huquang, circa urbem Changte crescunt poma aurea, inter quæ illa sunt, quæ hyberna à Sinis dicuntur. Cùm enim jam cessent reliqua, hæc primùm hyeme maturescunt, & suavissimi sunt saporis.

Habent etiam cedros illas, quas idoli manum vocant: extremitates enim illarum in caudulas aliquas, ceu in digitos, ac pedunculos desinunt. Esui apti non sunt, at domi, intra cubiculum suspensæ, suavissimum exhalant odorem: quamobrem sacculos reticulato opere ex serico artificiosè contexunt.

In Fokien, per territoria Chivencheu & Changcheu urbium, uberrimè proveniunt, poma aurea nobilissima, mole ac magnitudine Europæis majoribus paria, odore suavitate atq; amænitate ea omnia longissimo superant intervallo. Nec arbo-

ris figura aut modus à nostratibus multum discrepat, sed ferè par est: fructus verò in eo differt, quod comestus uvam omninò referat, quam muschatam vocant: ejusdem enim planè odoris ac saporis est, adeò ut suavius quicquam in hoc genere nec Italia hactenus, nec Hispania viderit aut gustarit. Ita verò hic fructus à naturâ est comparatus, ut aureum suum, densioremque corticem facilè dimittat, pulpa verò intra pelliculas, quibus vestitur ac distinguitur, eadem facilitate in particulas suas dividitur. Eundem fructum simul cum cortice, inter asseres pressum, saccaro condiunt, totoque anno asservant; neque Sinas suos tantùm, sed & exteros suos his delitiis pascunt ac recreant.

Fructuum ac pomorum omnis generis apparatus ingens, præter oleas & Amygdalas. Kinhoa in Chekiang dat pruna majora, quæ exiccata cum reliquis communicat provinciis. Nascuntur & alicubi ficus Europææ.

Ad Kinhoa, in Chekiang pinguedo quædam ex arboribus nascitur, ex qua, veluti ex sebo, optimæ, atque albæ fiunt candelæ,

delæ, quæ manus non inficiunt, etsi tangantur; nec fœtorem exhalant, dum extinguuntur. Arbor sat magna, pyros nostrates & foliis & forma refert, florem album emittit, ut cerasi; florem excipit bacca rotunda omninò, ceraso mole æqualis, hanc tegit sub niger & tenuis cortex: alba intus caro est, quæ, cùm bacca maturuit, disrupto cortice apparet. Has baccas colligunt, & aqua calida excoquunt, tum caro liquescit, at frigida iterum omninò, ut sebum solet, spissatur: nucleus dein remanet, quem oleo plenum, ut olivas Europæi macerant, & oleum non ad cibos, sed ad lucernas aptum exprimunt. vide Arbores.

In Peking est fructus Linkio, tribuli ferè habens figuram, ad instar triangularis pyramidis, undiquaque prominens, cortice viridi, crassiorique, ad apices rubescente: dum siccatur, nigrescit; interior substantia est albissima, sapore castaneæ nucis, magnitudine tres quatuorue castaneas æquat. In stagnantibus aquis, per totam Sinam seritur; planta foliis est exilibus, longissimo tractu per aquæ summam su-

ſuperficiem proſerpentibus: fructus multiplices ſub aquis latitant.

In Xantung eſt pomum Suçu, quod, licet in aliis etiam reperiatur provinciis, illîc tamen abundat magis. Exiccatum ad modum, quo ſiccantur ficus in Europâ, ſervatur pro quacunque anni tempeſtate, perque totam Sinam à Mercatoribus divenditur. Pomum noſtratia aliquantum ſuperat magnitudine, rotunda ferè figura, puniceum aut rubicundum: Intra pulpam carnis oſſicula habet, ſeu acinos planos ac rotundos, ad teruntii ferè molem, omnia duro occluſa cortice, veluti ex ligno eſſent; non ſunt autem in meditullio pomi, ſed intra pulpam, ad ſuperficiem cohærentia, non jacentia plana, ſed verticaliter erecta, numero quidem incerta, ſubinde decem, ſubinde quinque, pauciora pluráve, pro pomi magnitudine; ſubinde etiam ex os eſt. Caro tota rubeſcit, & cùm maturum eſt pomum, ut ſorbæ molleſcit, eſtque ſuaviſſimi ſaporis. Siccatum, quaſi cruſtum mellis ſeu ſacchari emittit, mali aurei corticem, ſaccharo conditum credas. Sunt etiam quædam cortice viridi,

quæ

quæ matura etiam non mollescunt , sed veluti poma nostratia cultello aut dentibus minuuntur, decorticanturque: cætera à punicis illis non differunt. Hic fructus nullibi extra Sinam reperitur, & nascitur in medio ori arbore, vixque ulla opus habet cultura.

Chunking in Suchuen abundat suavissimo fructu Lichi, qui hinc etiam , cùm maturuit, per dispositos eâ de causa cursores, in regiam mittitur adhuc recens. Maxima est in australibus provinciæ Fokien partibus , & præcipuè in Focheu metropolis territorio , copia fructus hujus, qui tamen circa Hinghoa censetur optimus. Eum Lusitani Macaenses vocant Lichias. Nascitur in magnis procerisque arboribus, quarum folia lauri imitantur: è ramorum summitatibus racemi prodeunt , in quibus, ut in uvis, fructus est, sed rarior, ac longioribus pedunculis dependet: fructus figura omninò corculum refert , magnitudine nucem æquat juglandem, parvum strobulum , seu nucem pineam repræsentat , squamoso sed non adeò crasso cortice: nam ad membranæ tantùm crassitiem

acce-

accedit, adeoque vel ſola manu facilè detrahitur : intus ſucculentus eſt nucleus, albi coloris, ſaporis ac odoris roſacei ſuaviſſimi. Cùm maturus eſt fructus, purpurei eſt coloris, videnturque ipſæ arbores purpureis circumquaque quaſi cordibus ornatæ, amæniſſimo aſpectu aſtantium oculis arridere. Os ſeu calculum caro intus ambit, ac circumdat, qui, quò mole minor eſt; eò cenſetur fructus melior ac præſtantior. Rectè hunc fructum regem fructuum dixeris, qui, quaſi eſui & ſpectantium voluptati natus tantùm eſſet, ita delectat, ut nunquam ſatiet. Ejus nucleus ad inſtar tragematis cujusdam roſacei congelati, ut vulgò vocant, liqueſcit in ore.

Pinea poma tertia urbs militaris in Suchuen ſola producit in montibus.

Eſt & alter fructus quidam rotundus, cortice ſuperiori haud abſimilis, Lungyen, draconis oculus: paulò minor ac rotundior illo ſuperiori, quem Lichi diximus, ut ceraſa ferè Europæ majora, pelle tamen aliquantulum Lichni duriore, magisque ſquamoſa conſtat. Itaque & hunc

Sinæ

Sinæ exiccant, & per totum imperium ad delitias etiam ſiccum diſtrahunt, qui tamen nullo modo cum recentibus comparari poteſt, cùm ſuaviſſimus ille ſuccus totus ferè exhalarit. Exprimitur itidem ſuccus & liquor, quem vinum Sinenſes vocant, ſuave ſatis, ſed rarius.

Muiginli, hoc eſt, pulchræ mulieris pruna, eſt fructus ejusdem regionis; adeò magna & præclara, ut Damaſcena illa & magnitudine & præſtantiâ ſuperent, figurâ rotundâ magis, quàm elliptica aut ovali.

In Quangtung creſcunt ubique nuces Indicæ majores & minores: fructusque ille, vulgò habitus totius orbis maximus, Indis Jaca dictus, qui ob eximiam magnitudinem non in arborum ramis, quamvis illi quoque ingentes ſint, ſed ipſi trunco adnaſcitur, quaſi ex metu, ne tantum onus rami ferre detrectent, quantumvis firmi aut robuſti fuerint. Fructus cortex adeò durus craſſusque eſt, ut ſecuri aperiendus ſit: Innumeræ intus domunculæ ſeu folliculi, in quibus pulpa eſt flavi coloris, quæ nucem veluti caſtaneam ambit. Illa ubi

ma-

maturuit, ſuaviſſima eſt, & caſtaneas Europæ igne toſtas refert.

Cùm Indicorum fiat mentio fructuum alicubi, qui in Sina abundè divenduntur, ut penè domi nati videri poſſint cum aromatibus, occurrit primò *Mangas*, longiusculè incurvatus & ſemilunavis, flaveſcentis ex viridi in rubrum coloris, intus luteus & capilloſus, cum nucleo ſatis magno, ſaporis gratiſſimi: arbor nucem juglandem refert, latè ſparſam, & foliorum penè inopem: fructus menſibus Octobre, Novembre ac Decembre maturus carpitur: conditur allio & viridi gingibere, unde albeſcit, & pro acetariis infertur menſæ.

Anas, ſive d' Annanas fructus adeò delectabilis eſt, & formoſus, ut natura excellentiorem produxiſſe non credatur: humilius creſcit, in herbâ acutâ, Semper vivo Hiſpaniæ non abſimili. Virorem maturitati proximus mutat in auream flavedinem, ad rubrum vergentem: flavet intus, cultri patiens, ſpargit odorem longè gratiſſimum, malum Perſicum imitatur ſapore: nimius uſus refrigerato ſtomacho confert febrim: humido abundat, ſed ad-

eò

eò acri, ut culter eo tinctus vel una nocte arrodatur. Condîtur ſaccharo. Succreſcit illi pedunculus duorum triumve foliorum, qui vel poſt medium menſem aridior terræ impactus germinat. Luſitani ex Novâ Hiſpaniâ & Braſiliâ eum Indiis intulêre.

Cydoneum malum figura, odor nobiliſſimam prunorum ſpeciem, quam Abri cottam vocant, è longinquo carduum ſcotum, radices vulgarem carduum præbent. Singulis caulibus ſui fructus, ſtolonibus non infrugiferis. Alii medicorum ei calorem humidum tribuunt, ex vino, inſtar mali Perſici eſualem facilè digeri ajunt, nimium inflammare, capillamentis gingivæ obeſſe. Diverſa ejus apud Braſilianos genera, & nomenclatura: eſt Jajama, longior, ſapidior, carnoſior; Bonjama intus albet, & dulcedinem præbet; Jajagna vinum rhenanum imitatur ſapore. Sylveſtres etiam alicubi inveniuntur, quorum caules haſtas æquant, rotundi ad pomi auraici molem, ſpinis & ſpinc ſis foliis armati, nullius ferè uſus, tametſi ſapiant. Univerſa ſubſtantia humore abundat,

dat, qui cum ſaccharo manè hauſtus, præſentiſſimum eſt remedium ad refrigerandam jecur & renes; ulcera eorum urinam purulentam & excoriationem virgæ

Alii nautarum maturitatem in Quadrageſimam rejiciunt; melonis formam ei dant, vel pineæ nucis: nucleos piraceis ſimiles, ſaporem adeò gratum, ut vix modum tenere liceat, ſuccum muſteum: quartum gradum caloris, unde ferrum & chalybem arrodit, ægroti tamen abſtinent. Nobiliſſimi Indiæ fructus ſunt Anas & Margas: Margas grandè æquat ovum anſeris, quod vel bilibre & gravius, ex arbore grandi & ramoſo pendet diverſi coloris, ex viridi, flavo rubro mixti, pomo Perſico longè ſapidius; colligitur ab Aprili in Novembrem, nobiliſſimum in Ormo inſula.

Cortex detractus in orbes ſecatur, ſic eſui, vel cum vino: condîtur ſaccharo, aceto, oleo & ſale: hianti inſeritur gingiber viride, allium, ſinapi, & quidvis. Sunt qui ſalem adhibeant, aut cum oryza coquant: ante maturitatem conſtringit, poſt dulceſcit: nuci putamen prædurum, nucleus glan-

glandem refert, ſub membranula carnem albam occultans. Eſt genus quoddam, nuclei expers, & ſylveſtre, malum cydonium æquans, venenum præſentiſſimum, cui ſuum antidotum ſagacitas mortalium nondum invenit.

Muſæ minimè prætereundæ ſunt, mirabile utique genus fructuum, quod etiam Baruthi, ſive Berithi Phæniciæ quondam non ignobili urbe provenit, de quo in peregrinatione Baumgartneri hæc narrantur: Muſæ illîc in tanâ creſcunt copiâ, ut inde ad multa circumjacentia deferantur loca, Tripolim videlicet, Damaſcum, Damiatam, & usque in Ægypti Alexandriam. Fructus eſt colore fabis haud diſſimilis, niſi quòd multò ſit grandior, guſtu ſapidiſſimo, odore admodum & ſuavi & ſalubri, & quas ſimilem cum melle ſaporem habens. Creſcit botratim, id eſt, plures in uno botro, aliquando decem, plerunque viginti, nonnunquam etiam ſupra: qui ubicunque & quotiescunque incidantur, in utraque inciſa parte crucis effigiem clarè oſtendunt. Folia ſunt decem pedalis longitudinis, latitudinis verò pal-

maris & semis, in quibus ante papyri usum veteres dicuntur scriptitâsse.

Jam nihil moramur exoticos fructus, quos suos fecit Europa; quemadmodum India universa multa ex Europa in suos transtulit usus: sed mentionem facimus pomorum, quæ per innumera sese offerunt genera. Meminimus, pomum illud, quo Adam primus homo, si vulgato credimus versiculo, perdidit omnia, non absurdè videri multis ex choro doctiorum ficus Indica. Nam truncus parens trium hominum brachiis vix cingitur: vertex in cælum erigitur, ut Poëta ait, in eum finem:

Os homini sublime dedit cælumq; tueri
Iußit & ad cælos erectum ducere vultum:

sed author Naturæ eam indidit vim ramis ac stolonibus, ut aliquantulum sui tanquam nepotes tenerentur primo parenti famulari ad exemplum trunci, in cælum erigere; cætera in solum usque sponte curvantur, ut eo contacto trunci progenitoris imitentur naturam, eâ copiâ deinceps, ut vel miliare ex uno trunco in circui-

cuitum sic constipetur: unde fit, ut introitus paulatim negetur, nisi truncorum novissimi succidantur, donec ad authorem generis ultimum perveniant incolæ, æstus vitandi causa, cùm nullus Solis radius penetret. Neque mirum, tria millia mortalium, & amplius unicâ tegi arbore. Folium est ferè Gydonium, Elephantis pabulum: fructus ficum minimum refert, undiquaque sanguinei coloris, & in pulpâ lapidosâ sed pene reconditus, ut oculis minus pateat; sic enim voluit Creator summus ipso aspectu docere, ut homo originis cælestis memor ad superna tenderet, & fructũ ægrè investigandum caveret, ne vertice in terram inclinato, stipes fieret, prorsusq; terrã repetens cũ omni sobole, securim experietur ad excidium æternum. Deinde sagax natura hominis in eo aberravit, quòd remedium ab ipso malo posceret, sicut ignis igni, frigus frigore, ictus scorpii scorpii necati carne extrahitur: fecit igitur subligar ex foliis istis ficulnis, & didicit ab ipso judice, inventa humana velare, non tollere peccata; naturam remedium spirituale non assequi.

Fructum verò quis putarit adeò tenuem, & quasi ipso fato ab oculis remotum, authoribus nostræ gentilitatis allibuisse, longè mirum est in illa integritate: volunt tamen theosophi, hominem in libertatem fuisse creatum, ut ferret potiorem divinitatis characterem; lapsui permissum, ut atrocitatem peccati in Christo, filio Dei unigenito, omni miseriæ humanæ (præter peccatum, exposito & crudele inde supplicium passo, ut jam nihil de ira Dei ejusdemque gravitate insuperabili recitemus; & misericordiæ divinæ super-ex abundantiam intelligeret per redemtionem; tum ad summa, easque optima restitutum, ut labe illa per mortem exuta verè liber, nunquam anceps mali boniue, in æternum gloriam Numinis celebraret.

Sed redimus ad fructus: eos vetustas tanti fecit, ut sibi Pomonam finxerit omni cultu demerendam Divam, autoribus Varrone & festo; cui & flamen serviebat Pomonalis. Dicitur autem pomum Isidoro ab opinio, id est, à copiæ ubertate. Varroni, quòd poscat potum. Generale hoc esse vocabulum omnium fructuum, qui esui

ſui apti naſcuntur, ex arboribus, ſive molli ſint cortice, ſive duriore, volunt nonnulli. nam & nuces, & ficus, & uvas, cùm duracinas, tùm quas molles vocant, ejus appellatione complectitur Jurisconſultus. Macrobius tamen & ſervius diſtinguunt, & poma vocant, quę molli teguntur cortice; nuces, quæ duriore. Melimela à mellis ſapore dicitur quædam ſpecies; alia Mattiana, quæ ſe Romæ demiratum narrat Athenæus, & à Mattio inventore denominata putat Plinius. Sunt & Geſtiana, Manliana, Appiana, Claudiana; Quiriana, ab authoribus & heris dicta: A patriâ item, Perſica, Camerina, Græcula, Sentina: à colore roſea, Melapia; à figura, orbiculata, ſive Epirotica; ab effigie mammarum Orthomaſtica.

Homerus, ut caſum Herois extolleret, inter ſumma mœſtitiæ indicia recenſet lacrymas equi ſingularis, quæ mela referrent: Ineptulus quidam interpres, ambiguitatis ignarus verterat ſimilitudinem ovium, non pomorum, cùm vox græca utrumq; ſignificet. Neque verò explodendus Homerus, qui equo triſtitiam, ob he-

rum defunctum tribuit, cùm ſatis latè doceant hiſtoriæ, & equos, & faliones, & aquilas, & canes noluiſſe ſupereſſe heris defunctis: quin & acetum degenerare, niſi dilocetur. Sunt enim omnia creata, ut homini inſerviant. Sed neque eſt, cur de mole ſis ſollicitus lacrymarum; pomorum inſtar erant, non ovium, pro mole ſcilicet & comparatione equi ad hominem. Deinde ſcimus, lachrymas ad oppoſitum lumen fuſas, immane quid augeri in umbra, uti ridiculos non nemo fecit naſutulos amicos ad parietem. Hiſtoriæ produnt Alexandrum magnum & Philippum *philomelos*, pomorum amatores. Amoris ſignum eſt apud Virgilium.

Malo me Galatea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri.

Veneris ſtatua apud Sycionios alterâ manu malum, alterâ papaver, numeroſam ſcilicet ſobolem ex amore, viſebatur.

A pomis adhuc immitibus, ſed miſcentibus trahit Attius Poëta jucundam apud Gellium ſimilitudinem: Cùm enim is Pacurio Atreum Tragœdiam ſuam legiſſet,

ſet, illeque reſponderet, Sonora quidem eſſe ea omnia & grandia; videri tamen ſibi duriora paululum, & acerbiora; reponit Attius: Ita eſt ut dicis; neque id ſanè me pœnitet; meliora enim ſpero, quæ deinceps ſcribam. Jam quòd in pomis eſt, idem eſſe ajunt in ingeniis; quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitiora & jucunda; ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt vivida, putreſcunt potius quàm matureſcant. Lampridius de Alexandro Severo ſcriptum reliquit, eum pomis vehementer indulſiſſe, ita ut ſecundæ menſæ ei ſæpius ponerentur. Unde jocus: Non ſecundam menſam Alexandrum habere, ſed ſecundùm.

Arales ſiniſtrè de malis ſentiunt, inter quos, Averroes ita: poma generant groſſam ventoſitatem in ſecundâ & tertiâ digeſtione; & poſſunt inducere phtiſin & hecticam, quia flatus ab illis elevatus, habet proprietatem ad prodendus arterias pulmonum. Pugnat tamen hæc opinio cum veritate, quòd phtiſin & hecticam minimè inducant, niſi fortè ex accidenti, in quantum flatibus abundant, quibus

scatent, priusquam vel in arboribus perfectam maturitatem adepta fuerint; aut servata in hyemem, illos magnâ ex parte exuerint: quod & Martialis

—— Et odoris mala recentis
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum & crudi posuêre pericula succi.

Cotoneum malum Græci Cydonium, à Cydone Cretensium urbe præcipuâ dixêre. Virgilius

Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala;

eò quòd inter cætera multâ lanugine sint conspicua, incisuris distincta, colore ad aurum inclinante, unde illis nomen etiam apud Poëtam:

Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

Plurimi de citreis hoc dictum volũt, quod tamen non persuadetur, siquidem citria nunquam chrysomela, uti Cydonia vocantur, quòd aurei essent coloris. Eadem etiam Hesperidum mala dicta, quod Citriis nec dum convenit: illa enim non ex

Afri-

Africa, ubi Hesperidum horti, sed ex Media translata sunt. Accedit, Virgilii tempore non fuisse in Italia arborem Citrum, imò ne Plinii quidem ætate, ut pastori obvia essent pretiosa illa poma, quæ amicæ mitteret: sed proclivius erat illi Cydonia mittere, quæ passim nascebantur. Quam litem ipse Poëta sic dirimit.

Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi.

Siquidem Citria nulla tunc temporis erant sylvestria, imò ne in hortis quidem per Italiam nascebantur, extra Orientem nondum propagata. Cydonia verò passim proveniebant, & in sepibus, teste Plinio, colligebantur. Itaque poëta de Cydoneis, non de Cybiis est audiendus. Tum etiam in Curia Conservatorum Herculis signum æreum visebatur, manu gestare tria mala Cotonea, quæ imperitiores judicabant esse aurea, vel Hesperidum mala, teste Pierio Valeriano, in hieroglyphicis.

Rarò cruda in cibum veniunt: decocta verò hyeme cum saccharo & cinnamomo, summam in mensis auctoritatem obtinēt.

Servantur etiam ſaccharo condita, non ſecus ac olim melle, quod Martialis obſervavit:

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle
Ponentur, dicas: hæc melimela mihi.

Alciatus:

Poma novis tribui debere cydonia nuptis
Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.
Grata ori & ſtomacho cùm ſint, ut & halitus illis ſit ſuavis,
Blandus manet & ore lepos.

Citriorum tanta ubertas eſt, ut onere proventus ſemper gravetur arbor. nam protinus atque poma ejus deciderint maturitate, alia protuberant, eaque tantùm eſt opimitati mora, ut fœtus decidunt antè nati; hinc dicuntur

folia haut ullici labentia ventis.

Grana Parthorum proceres incoquere ſolent eſculentis, commendandi halitus gratia: ſiquidem Parthorum populis hoc præcipuè & à juventa animæ graveolentia, propter indiſcretos, ibos namq; & vino fœtent ora nimio.

Mala aurantia, maximè colorem auri fulvi referunt, cortice aromata mirè redolent,

lent, ſub amaro ſapore linguam & palatum vellicante, unde colligimus, plus illis ineſſe caloris, quàm citriis. Dulciarii corticem exiccatum ſaccharo obducunt, frigeſcenti ac languido ventriculo remedium optimum; ſuccoſa verò ejus pars, acido, dulci, aut mixto ſapore diſtinguitur, qui vires obtinent diverſas, pro qualitatis ſuæ ratione; ut dulciora cæteris magis calefaciant, alia magis vel minus refrigerent, prout magis ad dulcedinem accedunt. Quocirca febricantibus ad ſitim extinguendam optimè exhibentur acida, vel mixti ſaporis quorum etiam ſuccus pro intinctu ſuaviſſimo in delitiis paſſim.

Limonia Citriis & Aurantiis guſtu acidiore ſunt, & ob id ſucco frigidiore conſtant, luteo, ſed magis diluto colore ſpectantur, caro illis exigua, cortex pœnè inutilis, niſi ſaccharo conditus, ſucco ejus pro oxyporo ſuaviſſimo ad carnes vel piſces utuntur omnes; reſtinguendæ ſitis & temperandæ bilis cauſa, ægri ſaniques promiſcuè utuntur. Inſignis incidendi & attenuandi illi vis ineſt, inſtar acerrimi aceti: quare & margaritæ in illorum ſucco diſſolvuntur,

tur, & avorum putamina mirum in modum emolliuntur. Serapium etiam ex illorum ſucco paratur, febribus ardentibus aptiſſimum. Lautiores cum vino & ſaccharo conviviis inferunt. Noſtro ævo Limonia inventa ſunt novo artificio, ſapore dulci, quæque omnem aciditatem exuerunt, ſed ſuccoſa ejus pars Aurantii colorem referre videtur; ſunt qui limas vocent, limonibus tamen longè inferiores.

De malo medica ſic Alciatus:

Aurea ſunt Veneris poma hæc: jucundus amaror
Indicat, eſt Græcis ſic glyky picros amor.

Itaque Citrus non inconcinnè amoris poteſt eſſe nota. Eſt enim coloris aurei, dulcis quidem & auſteri nonnihil ſaporis habet, ſed amari corticis: ita turpis voluptas primo blandiens aſpectu, tota videtur aurea, ſed ubi guſtu dulce dedit, amarum ad ſatietatem uſque aggerit, quod glykypicros nomen indicat. Plato itaque, ut ſcribit Marſilius in ſympoſium, amorem rem amaram vocat, nec certè injuria, quia moritur quiſquis amat, cùm amor ſit mors

vo-

voluntaria: ut mors est amara res est; ut voluntaria, utique dulcis.

Malogranatum pulcherrimè flores, & frequentes, à radice emittit ramos rectos & proceros, qui malis punicis decorantur ad admirationem spectantium, præsertim dum floribus purpureis instar calculorũ, aut malis vermiculantibus ornantur, uti Romanorum delitiæ sunt in punicetis. Grana compressa sanguineum fundunt succum, eumque sapidum & salutarem, qui repræsentat sanguinem Christi quibusdam Patribus. Cyrillus vult malo granato significari optimates Reipublicæ. Charitatis typum inde sumere licebit: habet enim grana densissima & conjunctissima, instar uvæ; adeoque videtur uva pomi, sicut botrus est uva vitis: cortice enim est pomum, sed granis uva & botrus. Adde puniceum vel purpureum, adeoque floris colorem, in amoris symbolum. Sicut in malo granato, uno exterius cortice, multa internis grana uniuntur, sic plurimos cives & urbes unitas regni & regis cõtinet. Licet porrò grana suis loculis sint ordinata & folliculis discreta; ita quoque

cives suis familiis & collegiis. Hinc veteres Junoni, quæ regnorum præses habebatur, malum Punicum dedicarunt, & in manu posuerunt, quale in ejus manu Mycenis spectabatur, cùm altera sceptrum gestaret.

Hinc & Pontifex Mosaicus in tunica ima gestabat tintinnabula mista malogranatis, quæ unitatem Ecclesiæ significabant, teste Eucherio & S. Gregorio, quòd scilicet multæ gentes conspirarent in eundem sonum, hoc est, in eandem fidei professionem, Deique laudem, quasi tintinnabula; & in eandem animorum unionem ac charitatem, quam notat malo granatum in mira illa, & ut S. Hieronymus ait, quasi geometrica compositione granorum in diversis mansiunculis uno cortice comprehensorum. Vel significant earundem varietatem & consonantiam virtutum, de qua dicitur: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima uva.

Dioscorides tria granatorum præcipua genera enarrat: dulcia, acida & vinosa, ex quibus saporibus illorum temperatura & facultas investigari potest. Quæ enim sunt dul,

dulcia, temperamento sunt calidiore; acide refrigerandi vim habent, vinosa medio se modo habent. Dulcia stomacho utiliora scribit Dioscorides; in febribus tamen vitanda, quòd stomacho calorem aliquẽ inducant & inflent. Acida verò stomachi ardoribus prosunt, majoresque ad reprimendam & ciendam urinam virer habent; omnia tamen facultatem adstringentem obtinent, teste Galeno. Optimus est cibus malum punicum bilioso stomacho: roborat enim illum, & peccantem humorem deorsum pellit; certum tamen est, quàm minimum corpori alimentum præbere.

Ovidius, ut meritorum Sexti Pompeii erga se numerum exaggeret, comparationem petit à magno numero granorum granati.

Tempora nam misera complectar ut omnia vitæ,
A meritis ejus pars mihi nulla vacat:
Quæ numero tot sunt, quot in horti fertilis arvi,
Punica sub lento cortice grana rubent.

Darius aperto grandi malo Punico, interroga-

rogatus, cujus rei tantam ſibi multitudinem optaret? Zopyrorum reſpondit: quia Zopyrus amicus ſe naribus, auribusque mutilaverat, ut deceptis eâ fraude Babyloniis, ad quos ſimulatè transfugerat, in regis poteſtatem urbem adduceret, quod eventu ſecunda præſtitit, referente Plutarcho.

Per multiplicia grana malo granati denotatur utriuſque Eccleſiæ, militantis ac triumphantis, concordia, Participatio in id ipſum, Cor & anima una, qua re nulla jucundior, ſuavior, utilior, honeſtior. Idem annotant Patres de conſonantia virtutum diverſarum, aut diverſorum graduum & officiorum; adjungitq; Ambroſius, cum fructu conjunctionis, mutuæque charitatis & amoris ſub uno utero matris Eccleſiæ incluſorum, fructum pudoris; hortans ad cavendum, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æſtus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat. Quia verò etiam eidem fructui ſymbolum tradit Martyrum, quod idem facit Gregorius, poſſumus præter granorum purpuram conſiderare coronam, qua naturaliter

vide-

videtur insigniri, ac proinde aureolam denotare, quæ martyribus dabitur. Addit ex Africano Pierius, parva & magna granata non in eo dissidere, quòd hæc plures, illa pauciores habeant acinos; sed quòd parva minores, magna grandiores contineant; ad eundem modum Christianæ pietatis opera, non quàm multiplicia sint, considerari, sed quatenus uno eodemque numero, cum fide spe & charitate, in unoquoque deprehendantur, & fine terminove conclusa: uno quippe cortice divinæ gratiæ comprehensa, pro uniuscujusque virtutis magnitudine, vel exignitate præmia consequi.

Mori fructus duplex, albus & niger: minor albus, atque infra nigri magnitudinem multum, & cùm maturuit, multò dulcior, tamen ob saporis fatuitatem, mensis non infertur. Narrant naturæ periti, de quibus apud veteres nulla mentio, si Poëtas excipias, ex insitione super albam populum factâ originem traxisse: nulloque in usu sunt, nisi ut illorum foliis vermes sericum facientes, alantur. Nigra verò passim in honore sunt, quòd æstate squallen-

lentem ſtomachum ſucco ſuo mirificè recreant, licet Dioſcorides Kako ſtomacho faciat, quod Galeno non non placet. Ventrem ſubducunt, cibisque aliis præeunt, ſi primis epulis aſſumta fuerint: Quod ſi poſt alios cibos ingerantur, & pravum cibum in ventriculo offenderint, celerrimè cum aliis cibis vitiantur, atque ad deleterii medicamenti pravitatem proximè accedunt, ut Galenus teſtatur. Alvum ſolvunt non tantùm ob ſubſtantiæ ſolius humiditatem, verùm etiam ob acrimoniam quandam illis inditam, quæ facultatem expultricem leviter ſtimulat, humectant egregiè, ſed non omnino refrigerant, niſi ſumta fuerint frigida: quare prudentiores aquâ frigida prius ſolvunt: alimentum exiguum corpori præbent, ut ſimiles fructus ſolent.

Plinius ſic habet: pomi ipſius ſuccus ſolvit alvum protinus, ipſa poma ad præſens ſtomacho utilia, refrigerant, ſitim faciunt, ſi non ſuperveniat alius cibus intumeſcunt. Mauritani urinam ciere, & ſanguinem impurum expurgare aſſeverant, quod & vulgus ſibi perſuaſum habet hodier-

diernâ die. Romani verò priscis seculis mensas mororum esu claudebant, unde Horatius:

Ille salubres Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.

Locus hic multorum ingenia exercuit, ut rationem invenirent, quo pacto mora post alios cibos salubria dici possent. Dionysius Lambinus & Hadrianus Turneb⁹, Galliæ lumina, nihil præter mora prandendum suaderi asserunt; atque hoc esse, finire prandium, quia veteres modicè tantum prandebant, lautius cænaturi: quorum etiam opinioni Levinus Torrentius subscribit, aliàs enim contra communem medicorum scholam Panedoxon hoc esset. Mihi verò ait Lud. Nonnus, veniâ tantorum virorum, longè aliter dicendum videtur. Poëtam alludere hoc loco ad seculi sui morem, quo tempore in usu erat, fructus omnes cum bellariis reliquis, ultimâ mensâ mandere, non secus ac in lactuca quondam evenisse scimus, quæ Augusti ævo solebat dapes claudere; sub Domi-

mitiano illas inchoare, teste Martiale:

Claudere quæ cænas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Sic Plutarchus docet, frigidas mensas à cauda ad caput fuisse traductas, ita ut quæ ultimo loco olim adsumebantur, in primum postea locum migrâsse. Ita Horatius ex doctrina Catii nihil aliud vult dicere, nisi quòd salubris sit mororum esus æstivo tempore, parum anxius, an primo vel postremo loco essent sumenda: morem sui temporis respicit, quando scilicet postremo loco sumuntur; non secus ac hodiernâ die apud plerosque Germanos, moris est, ultima mensa illis vesci, nullâ salubritatis causa. Hoc tamen non spernendum, quod Poëta monet, legenda esse mora ante æstum; sic enim decerpta æstuanti ventriculo magis convenient. Si quis verò moris utatur immaturis, ventrem fluentem sistet, Dysentericis etiam Cæliacisque proderunt: quare & siccata in medicinæ usus reponuntur.

Na-

Naſcuntur in rubis mora, de quibus Ovidius

—— *hærentia mora rubetis.*

Sed hæc plurimum ab aliis callo differunt, magis etiam adſtringunt; & ſi quis largius iis ſe impleuerit, capitis dolorem incurret, alius ſtomacho angetur. At ab urbanis raiò hæc manduntur, & voracibus pueris, ruſticisque relinquuntur.

Morus prudentiæ gerit ſymbolum, ait Pierius, quòd, ne aëris injuriâ lædatur tempeſtivam & commodam occaſionem præſtolari videtur. Nam ubi primum leuiores & mitiores aliquantum auræ ſpiravêre erumpunt germina, & flores ex ſinuāt magnâ interdum ſtrage, ob temporis inconſtantiam. Ne autem pruinâ lædi poſſit, quem hoſtem ſibi pernicioſum agnoſcit, non ante germinat, quàm frigus penitus lapſum fuerit, atque ad amæniſſima adulti veris tempora perventum omninò ſit. Ita vir prudens graviora negotia, & conſilia omnia conſultò prorogat: neque ante tempus ſeſe effert, ſed maturam occaſionem citra noxam & periculum expectat.

Atque

Atque inde fortaſſis dicitur arbor hæc ſtulta, morus enim græcis eſt ſtultus, per ſenſum contrarium, cùm ſit ſapientiſſima.

Sanctè Philoſophatur Ambroſius: Fructus mori primum albet in flore, deinde jam formatus innubilat maturitate nigreſcit. Diabolus quoque ex albenti angelicæ flore naturæ & poteſtate rutilante prævaricatione dejectus, tetro inhorruit odore peccati. En tibi illum arbori moro dicentem: Eradicare, & jactare in mare, cùm legionem ejicit ex homine, in porcos tranſire permittit: qui exagitati diabolico ſpiritu, ſe in maria dimiſerunt.

Molarum genera habet Europa infinita, quæ plurimis modis adulterantur. Sed illud mirum, ſi florem mali terebres uſque ad corculum, & immittas aliquot ſemina raparum, duplicem efferri molem, quæ tamen à guſtu genuino degeneret: Impingunt lapillos, corallium, chariophyllos, & margaritas, quæ poſtmodum ex trunco arboris per ramos in fructum excreviſſe videãtur, uti non nemo acutum philoſophabatur, ex conſideratione facultatis attra-

tratricis, quæ radicibus eſt ſumma; etiam radicis aliquando ſauciæ, quam hortulanus denudat, & ſcalpello aperit, ut aërem hauriat cordi refocillando. Ludibrium itidem faciunt, tenello malo in vaſculum effigiatum immiſſo, ut faciem in vaſe interiore formatam induat, & ubi mali moles excreſcit, idem vas diſrumpatur, effigie in malo extante.

Recipit etiam malus per inſitionem roſæ fruticem, redditque roſas jucundiſſimi odoris. Sic vitis inſeritur ceraſo, & reddit uvam tempeſtate ceraſorum.

Cap. XXXVII.

AVES.

IN Xantung Gallinæ & ova viliſſimo emuntur pretio, nec capones pinguiores pluris conſtant: quodque alibi non ita uſitatum, faciliori minorique majores ac pinguiores emuntur, quàm minores ac admodum pulli. Vilius etiam hîc veneunt, quàm uſquam alibi, phaſiani, perdices, ac coturnices.

Gal-

Gallinæ genus in Quansi est, quod grossipium evomit, seu fila longiora, qualia ex gossipio nendo confici solent: sed eadem, nisi colligantur, resorbent, uti araneæ.

Mincheu in Xensi perdicibus ac lanigeris Gallinis abundat: Ita & militaris civitas Tienciven: lana ovinam imitatur. Gallinæ parvæ sunt, brevissimis pedibus, audaces tamen ac generosæ, matronis in delitiis. Eædem inveniuntur in Camboya, sed plumis, non lanâ vestitæ.

Anatum in Quangtung miranda est copia, & incolarum in educatione industria. Quamvis enim per totam Sinam passim alantur, nusquam tamen, quàm hîc, copiosior proles est. Ova tepido furno, aut fimeto dextrè intrudunt, excluduntquè absque matrum incubatione, uti fertur de Ægyptiis. In naviculis magnas sæpè harum anatum cohortes alunt, quibus ad pabulum quærendum eas vel ad maris littora, vel fluviorum ripas transvehunt, ut æstu recedente, ostrea, cancri, squillæ, aliaque hujusmodi insecta marina, aquis recedentibus, in littore destituta,

illis

illis præda atque eſca fiant. *Sæpius* plurimæ concurrunt naves, plurimæque cortes inter ſe in ipſis aquis aut littore miſcentur; noctu tamen , aut veſpere adventante, quælibet ad naviculam ſuam, uti columbæ ad nidulos, revertitur: pelvi pulſata , quaſi ſigno receptui dato, in ſuam quæque navem redit.

Anates haſce ſale etiam, ut diutius ſervari poſſint, condire ſolent, nihilque propterea ſuavitatis, aut ſoliti ſaporis gratiſſimi amittunt. Ova quoq; anatum ſaliunt, & ſale cum terra argilloſa miſto, aut cretoſa, cooperiunt, è qua per ipſam etiam teſtam ova illum imbibunt ; ſolo autem ſale, aut muria immerſa ova ſalſedinem minimè admittunt, ſed ubi creta, aut argilla illita fuerint, eâ imbuuntur. Cibus eſt non ingratus , imò & ſalubris, quippe qui & à Sinenſibus Medicis concedatur ipſi ægro.

Ad Hanyang urbem, in Huquang magna capitur anſerum ſylveſtrium multitudo. Chekiang habet ſub Vencheu in monte Yentang lacum decem ſtadiorum, qui dicitur balneum anſerum, quòd cùm ſyl-

vestres, pro varia anni tempestate terras mutant, illîc transeuntes solent omninò subsistere.

In Quangtung, ad Chaoking primùm reperiuntur pavones, qui & duabus postremis provinciis, Quangsi & Junnan sunt communes; tùm sylvestres in montibus & sylvis, tùm cicures, qui in aliis provinciis rari sunt, & non nisi ex hisce translati.

In Nanking, sub Taiping est insula Hiao, lapidea tota ac cavernosa, quæ ex topho lapide videtur constare: nomen illi ab innumera noctuarum multitudine, quæ in lapide hoc nidulantur & degunt.

Yemui in Suchuen, civitas militaris, suavissimis aëdonibus recreatur, id est, lusciniis.

Suchuen habet vultures audacissimos ad secundam urbem militarem, inter continuos & horridos montes.

Locung mons in Huquang, sub Xincheu urbe, dicitur avem alere, quæ nunquam vocem emittat, nisi cùm instat pluvia: rusticis certum illius prognosticum.

In

In Chekiang, ſub urbe Kiahing, autumnali capiunt tempore aviculas Hoãgcio, quas vino illo ſuo, ex oryza cocto, macerant & condiunt, ac per totum annum divendunt.

Quangſi habet in Queilin aves diverſicolores pulcherrimas, quarum plumas, pulchro, amænisſimoque ad aſpectum colore, pannis ſericis intertexunt Sinæ.

In Xenſi eſt urbs Fung Ciang, quod nomen illi à Phænice ave, ſive illâ, quam Sinæ maximæ felicitatis ſignum putant, & non niſi rariſſimè videri ajunt. Fung dicitur avis, & Ciang felicitas. Avem hanc mirâ colorum varietate inſignem pingũt, ac prædicant, ſemperque ſolam, quæ rariſſimè, optimo tamen totius imperii omine appareat. Haud difficulter Phænix credetur, aut certè ex aquilarum genere aliqua diverſicolor & ignota ſpecies; cujus figurâ Sinæ tapetes ſuos, veſtesq; pretioſiores exornare ſubinde ſolent.

Pſittaci ubique, & aliæ aves vocales.

In Junnan, ſub urbe Kiocing, ad civi-

tatem Xeyen, lapideæ reperiuntur hirundines, albis notis, majoribus & minoribus, sub ventre; mares scilicet Sinicis Medicis, ac fæminæ. Ex iis contra morbos oculorum collyrium componunt medici, quod omnem chelidoniam longè superat.

Sub Vuting est lacus Hoeiniao, undiquaque arboribus septus, quinque stadiorum, dictus reddere aves, quòd folia, quæ in illum incidunt, non omnia, sed certæ arboris, in nigras mutentur aves, tantâ cum admiratione ac stupore accolarum, ut spiritus esse credant, si authori Sinico fides est habenda.

Apud Sinas est avis, ansere minor, corvo haud ac similis, collo prælongo, rostroque aquilino, in extremitate admodum incurvo: hæc pisces capere, ut canis lepores, docetur. Collum annulo ferreo ita coarctant, ut majores pisces eo exceptos, deglutire non valeat, quos piscator sibi extrahit. Grandiusculos, quos colli laxitas non capit, rostro arreptos elevat, piscatorique, ut occurrat, cum strepitu ostentat. Capiunt sex aut plurium librarum pisces:

piſces:pendit tamen certũ piſcator quoddam tributum de ave.

Aquilam lubet deſcribere, Germaniæ propriam, & imperii ſignum. Ejus genera ſunt plurima. Avis corpore cæteris collata, magno quidem, non tamen maximo, cùm à multis mole vincatur, carne dura, & oſſe firmo, plumis rigidis, totâ penè corporis compenſatione denſa, probè compacta ac robuſta, figurâ ut plurimum erectâ, ita ut vel ex ipſo habitu poſſis intelligere carnivoram eſſe avem, quietis ac pacis inimicam, ſolitariam ſylveſtrem, ad prædam ac pugnas natam. Capitis anterior pars porrecta paululum arctatur, & terminatur in roſtrum, quod durum ſolidumque eſt; ſed temporis tractu fit inutile. Creſcere idem uſque ad ſenectam mirum videri non debet, cùm ex genere ſit excrementorum, unà cum unguibus & pennis, quæ ſuperſtiti animali continuò augentur incremento. Proprium verò maximè eſt Aquilæ, roſtrum habere admodum aduncum, adeò ut in proverbium abierit: Naſus aquilinus, pro vehementer adunco, quem generoſi ani-

mi speciem præbere adulatoriè potius, quàm verè asseri vulgò Plutarchus sentit: rectius à naso Cyri adunco mysterium deducetur, quòd Cyrus fortissimus suam gentem, Persas utique, in libertatem vindicavit.

Oculi rubore vivido suffusi sunt, non glauci, sed quales leonum, concavi ac profundi, non admodum rotundi, nec nimium longi, magnitudine mediocres, ad reliquum verò corpus comparati, parvi. Dentibus caret omnis aquila, serratum tamen intus rostrum. Collum habet longum, alas rectas & extensas, sed in summitate recurvas: crura præ corporis proportione haud ita longa: pedes minimè æquales, quòd dexter sinistro major sit. Cauda prædita est brevi: cerebro calidissimo, adeò ut in pulverem redactum, etiamsi Cicutæ succus permisceatur, & cuipiam propinatum, calido vapore imbutis cerebri ventriculis imaginationem mirè concitet. Ossa crassissima durissimaque & solida penè ei natura dedit, quibus & medullæ inest minimum: Pennas habet firmitate ac duritie insigni, quæ, ut experientiâ

rientiâ multorum & authoritate compertum, pennas aliarum avium, præsertim verò anserum & columbarum permistæ absumunt, ex vi quadam occulta. Avis enim ipsa dum vivit, reliquis omnibus volucribus infesta est; itaque derivari vim illam animalem in res quoque ejus exanimes per sympathiæ contagionem non improbandum est, ut rei eventus docuit, etiam in interemptis, super quos patratos sceleris vel casu, vel ad testandam conscientiam adductus fuerit.

Alii pestiferam quandam maleolentiæ vim alibi inesse deprehendêre; nam & animam ipsi pessimè olere certum est, propter quam contacta ab eâ corpora facilè computrescant; indicio esse, reliquias ejus hesternas, quæ neque ab ea ipsa, neque ab alio quopiam animalium repetantur. Permeare verò eam contagionem in pennas, ita ut alienas juxta se positas propemodum adurant, est probabile. Alvus ei mollior, quàm cæteris avibus, ob cibum maximè humidum; unde nec bibit. Ungues, ut omniũ rapacissimus pro mucronibus gerit aduncos, recurvos, firmos, leo-

num unguibus non dissimiles. Athenæus scriptum reliquit, viginti aquilas cubitalis magnitudinis in pompa Ptolomæi Philadelphi delatas fuisse. Inter Miseram & Dresam Germaniæ oppida , dum rustici pecora amissa quærerent, in nido ingenti super tres patulas quercus, quaquaversum tanto spatio expanso, ut quadrigæ sub eo converti potuissent, pulli aquilini tres spectandæ magnitudinis inventi fuerunt. Horum alæ per transversum extensæ septem ulnarum mensuram æquârunt, ungues viri grandis & corpulenti digitis nihilo minores, crura leoninis majora erant. Stercus tantæ est acrimoniæ , ut nulli in medicina usui esse possit, Galeno authore. Pondere carnis destituta, nervorum robore abundè armatur, & quæ pauca caro est, pondus addit ; nervus robur ac fortitudinem.

Tanta est perspicacia , ut cùm super moria immobili penna feratur nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos etiam minutos natare videat: quem etiam in alto existentem non celer dedibus latuit lepus, sub frutice umbroso

recubans, addit Homerus. In insulis minoribus non conspicitur, quòd montes desint: itaque portenti loco habitum, cùm aquila in insula Rhodo domum Tiberii insideret, pauculos dies antequam ille Romam revocaretur. Neque locum, neque nidum mutat, quoad vivit. De ea Apuleius: cùm nubium tenus sese extulit, nutu clementi levorsum vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas quò libuit advertens modico caudæ gubernaculo, inde cuncta despiciens; ibidem pennarum eminus indefessa remigia, ac paulisper umtabundo volatu penè eodem loco pendula circumtuetur, & quærit, quorsus potissimùm in prædam supernè sese ruat, fulminis vice. Adultas haud tutum est cicurare, ob innatam feritatem: sed doctæ vel lupos ita contundunt, ut ab insequentibus cædi possint. Avis salacissima: ter decies in die compressa, postquam surrexerit, si mas revocet, denuò occurrit: est tamen vivacissima. Cùm mas adulterio corruptam fœminam senserit, ulciscitur graviter, & tandem abigit. Ætitem lapi-

dem nido infert, ut ova nimium æstuantia per incubatum refrigeret.

Ælianus ita de ejus pugna cum polypo: Cùm in saxum non admodum è mari eminens, polypus aliquando correpens ascendisset, ibique explicatis brachiis summa cum voluptate, quòd frigida tempestas esset, à tepore Solis calesceret, neque sanè in saxi colorem se vertisset (quod quidem ipsum cùm ad declinandas, tum ad moliendas magis piscibus insidias facere solet) Aquila acris & acuta in videndo, prædam nō quidem sibi futuram bonam, paratam a promtam sibi & suis pullis perspicuè cernens, quanto potuit maximo alarum impetu in polypum insiluit. Sed piscis hic circum plicantibus aquilam, & pertinaciter adhærescentibus cirris in profundum detraxit, & hostem capitalissimum simul interfecit.

De Tauro idem: Interea cùm Taurus se abjicit ad pastum, tum ex insidiis aquila in cervicem involans, crebras illi & acerrimas plagas rostro infligit. Ille tanquam asylo excitatus, primùm incenditur ad cursum; deinde, quà potest, se in fugam con-

fert,

fert. Quamdiu in plano & stabili loco fertur, ab aquilæ molestiâ requiescit: ea nimirum, quoad in planiciem excurrit, nihil illi exhibet negotii, acquietè volans illum acerrimè observat, quacumque ingreditur. Cùm illum proximè ad præcipitem locum ac declivem accessisse videt, explicatis in orbem alis, illius oculos quatit, & ea quæ ante pedes sunt, nihil illum providentem, vi magnâ præcipitem agit, laniatque ventrem appetens, quantum ejus cupiditas fert, nullo deinde negotio, prædâ potitur.

De cervis Plinius: Multum pulverem volatu collectum insidens ipsorum cornibus, excutit in oculos, ejus ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.

De Dracone idem: at acrior est cum Dracone pugna, multoque magis anceps, etiamsi in aëre. Hic aquilæ consectantur ova aviditate maleficâ: at illa ob hoc rapit ubicunque visum Draconem. ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidant. Vescitur tamen serpentibus.

De Olore Albertus: Si quæ avium ra-

pacium, ut vultur, aut aquila Cygnos adortæ fuerint, acriter se tutantur; ipsi tamē nunquam pugnæ authores, aliàs vincunt, aliàs succumbunt. Aliquando inspectantibus nobis, cum multis aliis amicis, aquila & olor invicem conflixerunt, uterque in aërem evectus adeò sublimis, ut neutrum visu assequeremur.

Post duas horas uterque delapsus, aquilam Cygnæ superiorem animadvertimus, quæ famulo nostro, ut olorem caperet, accurrente, fugâ arreptâ avolavit.

Pugnat aquila cum gruibus, quæ se cōtrahunt in sinum: cum ardeolis, quæ unguibus sunt fretæ: cum ciconiis, quæ plures coeunt: cum accipitre & vulture, tanquam æmulis.

Quomodo in Sesto educata à virgine aquila fuerit libertati permissa, & pergratitudinem aves, venatumque eidem detulerit, & eodem rogo sponte comburi voluerit, credito Plinio. Alia Pausanias narrat: Aristomenem, qui sæpè aliàs, idem & tunc Deus servavit: cujus qui res gestas magnificentius extollunt, advolasse aquilam dicunt, quæ cadentis corpus passis alis

subi-

subiens, ita illum libraverit, ut omni ex parte illæsus, ad ejus barathri (Ceadis) ima delatus fuerit, fato certe nescio quo exitus ei è tetro illo hiatu monstratus est; & quæ sequuntur de vulpe, eidem rimas in saxis monstrante.

Nota est in vulgus historia, quam Crates Pergamenus, Stesichorus Poëta & Ælianus referunt de aquila, quæ gratitudinis ergò, liberata prius per messorem à nexibus serpentis, hydriam ab ore bibentis excussit, ne aquam veneno infectam hauriret. Refert Plutarchus, pestem olim apud Lacedæmonios grassatam, urbem penè exhaustam, oraculum suasisse, ut quotannis nobilem sacrificarent virginem. Sed aliquando sortem corripuisse Helenam; qua ducta aquilam abripuisse gladium sacrificuli, & ad armenta delatum super juvencam demisisse; quo prodigio humana victima fuerit sublata.

Athenæus hoc recenset: Puer avium studiosissimus, aquilæ pullum, quem dono accepisset, vario & multiplici cibo aluit, & studiosè diligenterque curavit, ægrotanti quandoq; medici officium præstans: nam

eam ipſam non tanquam rem ludicram a-
lebat, ſed tanquam alius, vel amores ſuos
& delitias, vel natu minorem germanum
fratrem, ſic ſanè in aquilam magna dili-
gentia & cura ferebatur. Cùm autem pro-
greſſu ætatis in mutuam inter ſe amicitiam
vehementer exarſiſſent, atque accidiſſet ut
ex morbo, puer laboraſſet, tum ei aquila
aſſiduitate officii adſiſtebat; cùm non e-
deret, ipſa pariter cibum non admittebat.
Poſtea verò quàm è vitâ exceſſiſſet, atque
efferretur ad monumentum ſepulcri, eum
proſecuta eſt; cùmque cremoretur, in
medios ſeſe rogos immiſit.

Ælianus in auditum quid refert: Sacho-
ra Babyloniorum regi, futurum è filia ne-
potem, qui regnum avo adimeret, Chal-
dæi prędixerant. hoc ille metuens in filiam
durior eſt; & ut omnis ſuſpicio abeſſet, ar-
ctiſſimè incluſam cuſtodiri voluit. Sed
fruſtra ſuo conſilio rem fatalem impedire
conatus eſt. nam filia ex obſcuro quodam
homine gravida peperit. natum autem ex
eâ infantem cuſtodes regis metu ex arce,
cui ſilia includebatur, præcipitârunt. fortè
autem prætervolans aquila, viſo caſu, per-
ſpi-

ſpicaciſſima nimirum avis, ilicò, priusquã terræ allideretur, volando ſubiens in fontem dorſo excepit, & in hortum quendam deportatum leniter depoſuit. Eum loci dominus inventum, forma ejus delectatus, amavit, educavitque & Tilgamum appellavit. is poſtea in Babylonios regnum adeptus eſt. Hoc ſi cùm fabula videtur, me quoque non approbare illi fatebor: audio tamen Achemenem Perſam quoque, à quo nobiles Perſarum proſapia deſcendit, aquilæ alumnum fuiſſe.

Infantem Aurelianum aquila vinctum faſcia, ſine ulla noxa de cunis ſuſtulit, & in aram, quæ juxta ſacellum fortè ſine ignibus erat, depoſuit, ut author eſt Sabellicus.

Octavio Auguſto, cùm puer adhuc ruri, quarto ab urbe lapide, via Campana educaretur in nemore prandenti, ex improviſo aquila panem de manibus rapuit, moxque altiſſimè evolavit; quæ paulò pòſt leniter delapſa, ex improviſo eundem ei reddidit; Xiphilino, Suetonio & Diane teſtibus.

Mitius cum Marciano actum, is egregia

gia præditus indole, cùm miles esset, fortè ad expeditionem se conferebat: in itinere cùm dormiret aliquando, ii, qui cum eo cubabant citius experrecti, aquilam homini expansis alis umbram præbere vident. Itidem in expeditione adversus Gisferichum Libyæ principem accidit, ut Marcianus inter alios in hostium potestatem veniret. Itaqne Giserichus captuos inspicere volens, ex sublimi quodam loco eos intuebatur. Hîc Marciano consopito cernens umbram fieri ab aquila expansis alis, rem pro miraculo habuit, & virum divinam, ac Imperio Romano dignum censuit.

Antonius Ludovicus in miscellaneis hæc habet: fortè fortuna cùm ad aurificem devenissem, offendo quendam, qui argentei annuli pala, aquilæ unguem juberet includere excussori; rogito, cujusnam rei gratia: respondet, puellam cordis valetudine affici; ad eam rem aquilinum unguem, dum carnem tangeret, apprimè cõducere crgento clausum; auro non ita validam vim obtinere. Addebat, volucrem cardaio morbo sæpius tentari, atque ubi

pede

pede & unguibus pectus pulsarit, & percusserit, sanitati mox restitui.

Aquila etiam lignum significat, nempe corticem ligni aloës, Alve di Campaa appellatum, quod odoratum nasci ajunt: in suffumigiis ad idolorum sacrificia usitatum: mirum nî Dioscoridis Agallochum sit, & Agalugin Arabum.

Aquila præterea est herba Hesychio, ex qua colliquitur crocus, unde crocus aquilæ dictus.

Corvum lubet subjungere aquilæ propter vivacitatem, & ingenium, unde Plinius: Reddatur & cordis sua gratia, indignatione quoque populi Romani testata, non solùm conscientia. Tiberia principe ex fœtu supra Castorum ædem genitus pullus in oppositam sutrinam evolavit, etiam religione commendatus Sutrinæ domino. Is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum & trusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat; postea ad tabernam remeans, plurium annorum officio mirus.

Hunc

Hunc sive æmulatione incitatus manceps proximæ sutrinæ, sive iracundiâ subitâ, ut voluit videri, excrementis ejus imposita calceis macula, exanimavit, tantâ plebis consternatione, ut primò pulsus ex eâ regione, mox & interemptus sit, funusque innumeris aliti celebratum exequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum usque, qui constructus dextera via Appiæ, ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit.

Adeò satis justa causa populo Romano visa est exequiarum, ingenium avis, aut supplicii de cive Romano in eâ urbe, in quâ multorum principum nemo duxerat funus: Scipionis verò Æmiliani, post Carthaginem Numantiamque deletas, ab eo nemo vindicaverat mortem. Hoc gestum M. Servilio & Q. Sestio Coss. ad 5. Kalendas Aprilis.

De vivacitate corvi, & gradu ad alia animantia, ex Hesiodi maximè sententiâ sic canit Ausonius, lepidissimus Poëta:

Ter

Ter binos deciesq́; novem superexit in annos
Iusta senescentum quos complet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix,
Et quater egreditur Cornicis secula Cervus,
Ali pedem Cervum ter vincit corvus, & olum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.

Nymphæ tamen creduntur decies Phœnicem superare.

Corvo cognomen debet Lucius Valerius ille Romanorum historicorum monimentis tantopere decantatus, qui quòd in Monomachiâ adversus Gallum provocatorem, corvi auxilio usus esset, ejusque beneficio victor extitisset, ab eventu Corvini cognomen adeptus est anno urbis 405.

Ex ejusdem Valerii familiâ & genus & cognomen traxisse se Matthias Hungariæ rex Corvinus gloriabatur, uti Cælius Calcagninus aliique testantur: diversum tamen

men ab ipſis Hungaris de eo percrebuit, non à pago ejusdem nominis, ut Calviſio placuit, nam nomen non eſt gentile, & deſiit cum Matthia, ſed ab inaudito eventu. Erat aula Joannis Hanniadis, quem Matthias habuit patrem, aſylum exulum, tum fœminarum illuſtrium, tum virorum fortium, opem ejus & arma implorantium, quâ vivere liceret, quibusque ſua recuperare; poſtquam ille parentis veſtigia legere, famamque familiæ augere inſtituit, & clypeus & gladius, qualis priſco ævo Marcellinus provincialibus.

Adoleſcens capitur moribus & formâ virginis præ nobilis, quam mater inter pediſſaquas, ſive exules alebat: ejus tamen pudicitiæ fucum facere non potuit, niſi promiſſo matrimonio, datoque in fidem annulo, ſericâ eâque rubrâ nubeculæ telâ obvoluto, ut ſi ex cõſuetudine naſceretur puer, conjugiũ ſincere conſtaret, ſolennia adhiberentur; ſin minus, grande pretium obſequii concubina ferret, quo alius quispiã minoris nominis allici poſſet. Succubuit tenera ætas & promiſſis tãtis & indefeſſis blandimẽtis, Hunniade hinc inde ꝑ

armo-

armorum necessitate vago, sed identidem ad lares officii in parentes, an amoris ergò in amasiam recurrente.

Intumescit ex nimiâ familiaritate uterus, seponitur ad puerperium, labes aulâ exterminatur, res paucis ex sermone fæminæ innotescit, quam plerique suspicione assequuntur. Tempus partui opportunum edit in lucem istum puerum, cui Matthiæ nomen vult esse mater, jam beata sibi ob conjugium principis, nî fidem fallat. Mittit qui rem perferat, mentemque speculetur: is refert, omnia in salvo, defungeretur puerperio ritè, puerumque ubi aëris patiens foret, ad parentem; per Hungariam arma circumferentem, ipsa adferat, nullo dubio fidei liberandæ; modò testimonia ingenuitatis, annulumque desponsationis redhibeat.

Jam restituta mater à partu, partusque ætatulâ firmior accingitur itineri, sarcinæ imponuntur equis, ambages ex Transsylvaniâ in Hungariam, metu armorum quæruntur: devenitur meridiante Sole in regionem ab incolis vacuam, desertam, ubi lata solitudo, & vastitas, nullo mortalium,

lium, nisi in urbibus & castellis, illîc locorum insolitis, comparente, quod sævitia armorum nihil reliquum fecerit in illis limitibus, tum barbarorum.

Fons tamen abundans in prato, sive sylva perlustri transeuntibus aquam, solum quietem, sylva umbram, lassitudo somnum illîc conciliare solet. Ex itinere igitur, quod cum primâ luce ingressa erat fæmina, cum comitatu huc deflectit; jubet expediri penum, equos curari, & donec remittat intensus calor, quieti indulgeri. Ipsa pretiosissimum cimelium, desponsationis annulum, manibus versare, deosculari, memoriam futuri conjugis fovere, beatitudinem sibi polliceri, diffidentiæ repudium mittere, non rarò subrepenti.

Comitibus dilapsis, & hinc inde quietem captantibus, fæmina annulum vitâ chariorem, in pectus pueri, quem in cunis, adeoque fasciis habebat, aliud agitans animo, deponit, seorsum abit, considet, obdormit. Prior somno excusso redit ad se, miratur annulum deesse, scrutatur herbidum locum quietis, & jam recordatur,

pueri

pueri pectori impositum : Et de annulo fatali & de puero sollicita, accurrit ad cunas; puerum invenit rectè habentem, annulum non invenit. Accire igitur comites, rogare quis abstulerit, sperare, metuere, mirari denique, imò profusè lacrymari, ad genua singulorum volutari, ingens premium promittere; pretium annuli exiguum aliis, sibi immane esse edocere; fata sua & potius pueri deplorare. Anxii comites stupere, solari frustra, scrutari, herbam secare, sese excutere, invicem increpare, devovere denique.

Hîc dum alius madidos in cælum oculos erigit, fortuitò corvum in quercu præaltâ conspicatur, rubrum quid rostro præferentem. Inde suspicio annuli surrepti, prout rapax est id genus alitis: expediuntur sagittæ & tela, avis infestatur, quæ prædam sibi inutilem dimittit, alis salutem quærens. Tum verò mater desperabunda, nulliusque solatii capax, fatalem annulum arripere, dissuaviari, lacrymis, jam non præ tristitiâ, sed præ gaudio manantibus, cælum gratiarum actione votisque complere, seque ipsam in tàm subitâ per-

permutatione penè ignorare. Varii inde ſermones, de avium carnivorarum aviditate, colore faſciæ carneo, ſeu rubro. De indole picarum, corvorum, pſittacorum, pecuniæ & quibusvis rebus ſplendidis inſidiante, & furtis gaudente.

Itaque ſuſceptum iter jam non è manibus latronum elapſi, ſed è corvino periculo, ludibriove læti perſequuntur, Johannem Hunniadem in caſtello deſignato expectant, venienti puerum cum fæmina, multisque teſtimoniis integritatis, adeòque annulo fatali exhibent: ille promiſſorum memor, nuptias adornat, hiſtoriam de corvo convivis genethliacis narrat, puerumque de conſenſu & gratulatione omnium jam Corvinum agnominat heroicum quid ominatus.

Ne verò quis fabulam putet huc translatam, audiat accolas illius regionis, quâ tranſitur Conſtantinopolim, credat univerſæ Hungariæ, hoc aſſeveranti. Fidem facit ipſe Corvinus, & ſuo nomine, & numo aureo, quem Hungaricum Ducatum vulgò vocant, cujus clypeo in æternam rei memoriam inſeruit Corvũ qui annulum

roſtro

roſtro tenet , nemini regum unquam uſurpatum.

Acceſſit ſuperſtitio popularis, ut in difficillimo niſu laborantibus per Hungariam applicentur ducati illi Corvini per crura; vulgòque credantur opitulari multum. Pervaſit eadem ſuperſtitio vel in Wetteraviam, quæ Haſſiam, Herbipolenſem & Moguntinum interjacet agrum, ubi certum tenent mulierculæ, auri Corvini abraſum pulviſculum, in vino propinatum, parturientibus præſens auxilium enitendi præſtare; eſtque veriſimile plurimos ejus ſignaturæ ducatos majorem vim exerere.

Sed lubet ſortem Corvini altius repetere: prima Turcarum arma per Hungariam micuêre Sigiſmundo rerum potiente, anno 1395, antequam imperii faſces indipiſceretur: Bulgariâ amiſſa, contrahitur exercitus magnus, cujus non ultimum decus & robur Johannes, Philippi Burgundi Audacis filius. Sed ſuſcipitur magna clades: amittitur Sinderovia in Danubii ripâ: Albertus Auſtriacus, Sigiſmundi gener in ſuſceptâ expeditione decedit, naſcitur

ſcitur Ladislaus poſtumus : Johannes Hunniades, patre Wallacho (fortè ipſo rege Sigiſmundo) matre græca imperatoriæ proſapiæ natus, jam antè Tranſſylvaniæ impoſitus, ſeſe opponit Iſaaco Baſſæ, ex Raſcia Hungariam vexanti, eundem vindictæ præcipitem opprimit, cadente Baſſa Mezetho, anuo 41. & Baſſam Baſſæum anno ſequenti circumvenit.

Summis viribus concurritur anno quadrageſimo tertio, primam aciem ducit Hunniades, & eodem die quinquies confligit victor, Anatoliæ Baſſam de nocte obruit: Carambejam Phrygiæ Baſſam in Macedonia fuſum, à gregario captum quadraginta emit florenis, venditque quadraginta millibus, & pax coit decennalis: quæ tamen ſuaſore Juliano Cardinale, & Genuenſibus pretio Turcas trajicientibus rupta, cladem Varnenſem, & Ladislai regis mortem traxit, anno 1444. Hunniades elapſs cum paucis, res collapſas fulcit, fulmineus & terror Turcarum vulgò dictus, fæderatur cum Scanderbego Macedoniæ dynaſtâ.

Anno 1452. pace per Bohemiam & Hun-

Hungariam ſancitâ, Hunniades Ladislao duodecenni gubernacula regni tradit, meritorum gratia donatus Comitatu Biſtriciano, cum authoritate perpetui proregis. Virtus patitur invidiam: Ciliæ comes ſuggerit regi, Hunniadem regno inhiare, in eum diriguntur machinæ complures, excutitur gratia regis, & reſtituitur in integrum, prout motus ferunt aularum. Anno 56. cæditur Mahometes II. ad Belgradum abs Hunniade, & in fuga graviter affligitur, ſed victor reverſus ad ſuos, mortalitatis etiam deponit exuvias. Sequenti anno abit rex ad Belgradum, Ulricus Ciliæ comes urgetur à Ladislao Hunniadis filio altero, aut conſpirationem in regem, quam ſuæ imputare familiæ non deſineret, aut comprobaret, aut mendacii vituperium ferret, & cadit à feroci dextra: patrator tumultuario abſolvitur judicio, ſed poſtmodum, adverſariis prævalentibus in carcerem compingitur, ex quo veſte auro intertexta, quam de manu regis poſt cædem illam acceperat, indutus in theatrum procedit, numen teſtatus de ſua innocentia: tres accipit ictus minimè le-

thales, & quarto, quintove per adversariorum vindictam conficitur, teste Bonfinio.

Matthias Corvinus Viennæ in arctiore custodia servabatur pari supplicio: quid fit? Ladislaus Pragæ, die 21. Nov. anno 1458. morbo corripitur, & post horam tricesimam sextam non sine veneni suspicione, duo de viginti natus annos, in ipso gloriæ culmine, inter maximos nuptiarum apparatus, delitiis atque opibus affluens, extinguitur. Singulare humanæ inconstantiæ documentum: Bohemi sumunt Georgium Poggiebracium regem, Hungari misso Michaele Zilagio, Matthiæ avunculo, Matthiam sibi expetunt, & soluto honorario quinquagies mille florenorum impetrant. Alter ex regio solio, dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum; alter capitalis judicii trepidus, ex carcere prodit ad regnum. tantillis momentis & annulus fatalis & à corona distabat carcer.

E corvorum genere est pica, & garrula & loquax, ultra psittacum Sinæ: de Augusti picâ ut re notissimâ, jubet nos silere

Pau-

Pauſanias; Alcimedon, fuit de heroibus unus, cujus filiam, nomine Phillonem vitiatam ab Hercule Phigalii memorant: à patre verò ſtatim à puerperio in proximum montem feris expoſitam unà cum puero. Ibi vagientem infantem cùm pica imitaretur, ad avis vocem, quòd puerilem eſſe crediditſet, Herculem forte illac iter habentem converſum, puellam & ex ſe genitum puerum (quem Æcmagoram appellatum tradunt) agnoviſſe, ambosque vinculis liberâſſe: de rei eventu fontem proximum Ciſſam, id eſt, Picam nuncupatum.

Inter tot nidos, inquit Aldrovandus Medicus Bononienſis, quos hactenus mihi videre contigit, reverà alium nunquam majori induſtria factum obſervavi. ſiquidem hæc ales ex omnibus arboribus, quæ ſunt, in ſub urbano meo, malum ſibi elegerat, ſed non quamlibet, at ex qua viſcum, ex putri, non ex ſemine in tundi ventriculo præparato, quemadmodum perperam ſibi vulgus perſuadet, enaſcens, quamplurimos ramos emitteret, adeò ut

nidum iſtum, partim à Natura partim ab ave factum quis non ineptè dicat.

In medio enim illorum ramorum, qui per ſe figuram hemiſphæricam, qualem nempè nidus exigebat, exprimebant, tanquam ſupra ſolidos parietes & fundamenta erat conſtructus & ipſe ovalis, longus dodrantem, latus circiter octo digitos, & ſurculis milii Indici, aliisque radicibus, & terra vice glutinis interjecta conſtans, ut nimirum ova ſua ac fœtus melius poſſet continere. At non duntaxat ramis illis, quos dixi, viſci circum circa erat pręmunitus, verùm etiam varios alios per agros, ac ſecus vias collectos, ac inprimis pyraſtri, & axyacanthæ, ſimiliumque aliorum fruticum ſpinoſorum ita ſupra, infra, ante & retrò munierat, ut vix foramen, quo ipſi erat ingrediendum ad fœtus conſpiceretur, tantum abeſt, ut alia animalia vel pullos, vel ipſam incubantem infeſtare poſſent. Pulli hoc in nido erant quinq;, quot ſcilicet plerunque edere ſolet hoc avium genus, alis partim albis, partim nigris, haud tamen undique plumis refertis, cauda nigra, brevi, ſecus ac in adultis, ungui-

bus

bus valdè acutis. Orchiante clamitabant, comedebant caseum secundum, & offulam ex pane & vino.

Plutarchus tradit, picam, alioquin loquacissimam auditis Romæ buccinatoribus obstupefactam è vestigio omninò siluisse,& per aliquot dies quasi meditatam, repentè quasi expergefactam, omnem eam buccinatorum harmoniam & numeros summa omnium admiratione reddidisse.

De Coturnicibus nonnihil dicendum cùm ea ales populum Israeliticum per annos quadraginta in deserto paverit. Ebræi, teste Riveto, volunt, nomen, quod in textu est, esse generale, & comprehendere coturnices, perdices, attagenes & phasianos: cùm omnes tamen hîc interpretentur coturnicem, aviculæ genus pinguissimæ, & quæ facilè capitur, nihil est, cur vulgata mutetur sententia. Ascendit itaque vespere coturnix, id est, advolavit coturnicum turba, idque flante vento, prout psaltes habet capite 78. Impellens eurum in cœlis, & inducens robore suo austrum, cùm depluisset super eos car-

nem, tanquam pulverem, & sicut arenam marinam volucres alatas, dejiciens intra castra sua, circa tabernacula sua. Et si enim loquatur psaltes de alterâ vice, quâ Deus severè animadvertit in Israëlitarum concupiscentiam, quam ab hac priori planè diversam esse abunde & clarè satis demonstrat Rivetus in Exodum; ad modum tamen quod attinet immittendi, similem utroque tempore fuisse, probabile est.

Indicatur autem in textu coturnicum abundantia ingens, cùm dicuntur cooperuisse castra, adeò ut manu prehendi facilè potuerint, & sine magna difficultate colligi. In altera historia adventus coturnicum sic describitur: Tum ventus profectus à Jehova abripuit coturnices à mari, & dissevit ad castra, quasi itinere unius diei hinc, & quasi itinere unius diei illinc, circa castra: idque ad duos cubitos in superficie terræ. Addit vulgata editio, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Atqui devolatu in aëre non loquitur Moses, sed præferenda videtur Josephi interpretatio, quòd nempè volatu fessæ, & ventorum impetu velut exanimatæ,

natæ, ceciderint in terram, tantamque fuisse multitudinem, ut in terræ superficie cumulatæ fuerint ad altitudinem ferè duorum cubitorum: additur enim postea, minimum decem acervos collegisse.

Secundum receptam vulgi opinionem, coturnices mirum in modum multiplicãtur: dicuntur enim ova sedecim, & singulis annis quater parere. Referunt, quòd mense Augusto abituris ipsis in terras alias propter imminentem hyemem, sese adjungãt magnitudine insigni duces quidam, qui nominantur Matrix, Lingulaca, Cynchramus & Otus. Matrix aliàs dicitur ortygemetra, quasi dicas coturnix major: habet magnitudinem turturis, & crura longa.

Lingulaca seu glottis est alter dux coturnicum, qui inde nomen habet, quia linguam per longam exerit. Hic dicitur imago quasi infidelium ducum, quia initiò valde fervet, & diligenter persequitur munus suum; sed ipsum mox facti pœnitet, ita ut in primum hospitium eas deserat, & secunda die redeat, unde erat digressus. Cynchramus tertium dux fidelissimus &

constans perhibetur. Nam noctu cùm abeundum est, sua voce & peculiari signo ipsas excitat, & ad iter impellit; si in itinere aberratum est sua voce revocat, & revocatæ ipsum sequuntur. Itaque aucupes, quando audiunt vocem ipsius, desperant de præda, & sciunt jam parari discessum à toto agmine.

Otus, vel asio vel auritus, est quartus dux coturnicum, & aliàs dicitur ulula nocturna, quia est similis noctuæ, & circa aures habet quandam speciem alarum. Hic creditur esse dux ineptus, atque adeò Auctorum imago. Est enim, ut ajunt, avis parasitica & gloriosa, gesticulabunda, imitaturque saltatiores & alios: Unde in proverbio omnes illi appellantur oti, qui sunt vecordes & tamen gloriosi, & qui sibi facilè quidvis persuaderi patiuntur, omnia promiscuè credunt, omnibus asseratiuntur, nihil ipsimet perpendunt. Qualis enim sit hic dux, vel ex hoc solo apparet, quia unus auceps in conspectu ipsius ineptias agit, saltat, vel alia quædam tractat ludicra; ad quem dum ipse nimium attentus

tus est, ab altero aucupe clam accedente capitur.

Venenum quod aliis adfert præsentissimam necem, hasce aves tanquam cibus gratissimus pingue facit. Ita quoque sturni vescuntur helleboro, qui cibus lethalis est hominibus. Ratio verò cur coturnix sine detrimento vescatur veneno, ab aliquib. hæc affertur, quia habet venas angustas, in quibus diutius detinetur venenum, & ita melius excoquitur, ut amittat suam perniciem.

Coturnices etiam passim per Europam, maximè autumno, cùm pinguiores sunt, inter delicatos cibos apponi solent. Nec desunt medici, qui earum esum probent, præsertim si pingues sint, & benè coctæ apponantur, statuuntque, quemadmodum simile, ferè sunt perdicibus, quæ ab Aristotele describuntur, tanquam aves cognatæ, ita ejusdem ferè esse temperamenti, ac probè nutrire.

Quod autem alii dicunt, à mensa proscribi debere coturnices, quia veneno, id est, veratri semine pascuntur, & quia epilepsiam causantur; id adeò firmum non

est. Primò enim non ubique nascitur veretrum, & cùm avis frugi lega sit, quæ frumento maximè vescitur, & granis illis, quæ hominum usui inserviunt; inde potius de ejus substantia & qualitate judicandum est. Deinde sunt etiam alia animalia, quæ venenum non solùm absque noxâ ullâ sui edunt; sed quæ etiam ab hominibus comesta, nullam qualitatem venenosam communicant. Sic gallinæ araneas deglutiunt; & docuit nuper dies, capos, visceris pastos, si comedantur, mirè confortare hominis naturam.

De comitiali morbo quid dicunt, avem illam ei esse obnoxiam: id etsi verum esset (quòd aliquando fortassis eis accidit, quæ in caveis includuntur, ex quibus de liberis non est judicandum) non sequeretur tamen illas morbum ullum edentibus communicare. nam etsi Alce morbo comitiali laborare dicantur, ejus tamen ungula ad eundem dicitur esse amuletum: & Galenus ex coturnicibus parat remedium contra Comitialem nubum; sed hoc etiam concesso, quòd usus coturnicum in cibo non in valetudini conducat; non tamen

men sequitur, Deum malè consuluisse suo populo, dum tali cibo enim in deserto pavit. Potuit enim Deus, si quid erat insalubre, illud tollere, atque etiam hac ratione potentiam suam declarare.

Sunt porrò coturnices aves salacissimæ, & adeò gaudent libidine, ut sæpè corruant in ipsos aucupes; cùm tamen aliàs sint timidissimæ, neq; surgant de terra, quamdiu vivunt accepitrem sive vivum, sive pictum. Admodum interim creduntur pugnaces esse, unde solebant publica haberi spectacula, in quibus coturnices mutuò pugnabant. Non altè evolant, sed in terra indificant, ac celerrimè currunt: quando volant, tum vociferant præsertim Austro flante: ratio, quia graves sunt, & inde ægrè volant; deinde quia Auster humidus est & sic magis gravat corpora. Aucupes igitur ipsis insidiantur, non flante Boreâ & tempore sereno, sed potius flante Austro.

Quamvis autem historiæ naturalis scriptores, & ipsa quoque experientia testetur, id genus avium esse ex eis, quæ certis temporibus locum mutant pro ratione

tempeſtatum, & regionum temperamento; turmatimque ex una regione remota in alias migrent, etiam maria aliquando volando ſuperent, & in naves impingant, ita ut, ſi Plinio fides, in mergendi periculum eas inducant; & ſæpè in itinere volando laſſæ, ſive in loca deſerta, ſive etiam naves decidant, facilèque capiantur, non tamen ea quæ hîc à Moſe recitantur, ſolis cauſis naturalibus adſcribenda ſunt. Sit ita, gregatim advolare coturnices, & maximo quidem numero, ita ut quibusdam in locis adventu earum obſervato, ut circa Piſaurum in Italia, ad extremum verni temporis, ingens copia ab incolis capiatur: quòd etiam petant Septentrionales regiones exeunte vere, & ſub autumnum, pruinâ cadente, advolent è noſtris regionibus; cùm autem verno tempore Iſraëlitæ ex Ægypto diſceſſerint, hæc quæ hîc narrantur, in coturnicum migrationem incidant; ſit inquam ita; ſingularem tamē voluntatis divinæ diſpenſationem, & potentiæ effectum in eo indicat Moſes agnoſcendum eſſe, quòd tanta coturnicum copia in ipſa caſtra Iſraëlitarum adducta

ducta sit. Primò ex promissione divinâ: ut enim Deus ante promiserat, ita quoque destinato tempore præcisè implevit. Deinde etsi illæ aves gregatim volent, nullæ tamen tanto numero volant aves, ut sexcenta hominum millia, cum reliqua populi multitudine ali possint ex iis, quæ unâ nocte advolant. Tandem cum sint aves frugilegæ & miliariæ, non solent petere desertum, sed amant magis culta loca. Denique etsi volent aliquando gregatim, non ita tamen veniunt ad manum, ut cedant usibus hominum absque labore.

Creatas tum de novo fuisse nemo credet, sed ex locis cultis & fortassè maritimis in quibus congregantur divinâ potentiâ ac mira providentia fuisse adductas in castra Israëlitarum. Ex humiliore videlicet Ægypti regione veniebant, & ex Arabico maris sinu, eodem fortè impellente vento Africo, qui postea alio tempore & loco, immensam vim coturnicum detulit. Josephus ait, id genus avium præ cæteris Arabicum sinum alere. Teste Plinio, aura vehi volunt, propter pondus corporum, viresque parvas: atque hinc volantium

ista

ista conquestio, labore expressa. Quod si ventus agmen adverso flatu ceperit inhibere, ponduscul is lapidum apprehensis, aut gutture arenâ repleto, stabilitæ volant.

Cap. XXXVIII.

INSECTA.

XEnsi provincia illud habet incommodi, ut magis quàm reliquæ Boreales, pluviæ penuriam sentiat: tantamque sæpè patitur locustarum populationem, ut, tametsi à magistratibus cogantur omnes hominum ordines in campum egredi, ad locustarum quasi bellum ac internecionem, ita tamen illæ quandoque depascuntur omnia, ut nihil penè viride in agris relinquant. Tantæ sæpè sunt earum nubes, ut veluti eclipsin minarentur, orbem solarem obtegant, omniaque, ad quæ oculus humanus perstringere potest, molestissimis hisce insectis obsita sint. Sinæ tamen à locustarum cibo non abhorrent, e-

lixas;

lixasque non pauci in delitiis ac pretio habent.

In Huquang est Tegan urbs, in cujus regione est alba cera, quæ à vermiculis elaboratur eo ferè artificio, quo apes favos suos struunt. Sunt autem hi favi multò minores, ac candidissimi; nec vermiculi culti sunt, aut domestici, sed inculti atq; agrestes. Ex collectis favis candelas, ut ex communi nostrate cerâ, conficiunt, at longè magis albas, à magnatibus, quòd majori constent pretio, ferè tantùm adhiberi solitas. Nam præter candorem, odorem etiam suavem emittunt, cùm comburuntur, nihilque sordibus inficiunt aut fædant, licet guttæ liquefactæ in vestes incidant: lumen etiam clarissimum, maximèque temperatum reddunt. Invenitur hæc cera etiam in regione Pinglo, in provincia Quangsi.

Chekiang Bombycum cultura eadem omninò est, totque subjecta molestiis, tantam exigens diligentiam, quanta adhibetur in quibusdam locis Europæ nostræ: unde falsum omninò ac fabulosum, sericum hîc omne à bombycibus in arboribus

bus ſponte ſuâ absque induſtria hominũ ac labore produci.

In Xantung rarum eſt, & omninò nimium quantum, beneficæ in eam gentem naturæ argumentum: filum ſericum ibidem in arboribus ac campis ſponte ſua naſci, quod non à domeſticis bombycibus, ſed à vermibus contexitur, erucis haud abſimilibus; non in globum aut ovum ductum, ſed in longiſſimum filum, paulatim ex ore emiſſum, albi coloris, quod arbuſculis domisque adhærens, atque vento huc illucque agitatum, colligitur: atque ex illo, uti verâ byſſo, panni conficiũtur ſerici, qui licet rudiores nonnihil ſint ſerico domeſtico, firmitate tamen ac robore ſuperant.

Inter utiliora inſecta Apis, & holoſerici ſtaminis productrix Eruca primas obtinent; illa ad cibi obſonia maximè, & lucem noctu in tenebris præſtandam, & ſummum in medicina uſum; hæc ad ſuperbiſſimas veſtes & utenſilia. Apes potiſſimùm ab admiranda earum induſtria atque ingenio, labore ac ſedulitate ineffabili, incredibili regendi ſcientia & politia

Pli-

Plinius celebrat; adjungi poteſt inviolata juſtitia, concordia, pietas, temperantia, munditia. Mirabile inprimis, quomodo tam puſilla animalcula ex tanta florum diverſitate mel ceramque colligant, per longiſſima intervalla deferant, conſtipent ne effluat. Plura genera florum eodem itinere non tangunt, ſed à viola in violam ſpatiantur, donec in alveari ſeſe exonerent.

Ariſtodemum philoſophum ſcribit Auguſtinus annis multis inſudâſſe, ut naturam apis inveſtigaret; & Ariſtomachum Cicero Solinenſem annos duos de ſexaginta nihil aliud geſſiſſe teſtatur. Diſputant doctiores, utrum ſuccum ex floribus ducant, qui protinus mel ſit, an in ſaporem convertant: volunt tamen favos ex floribus, ceram ex lacrimis arborum, mella ex rore aëris, ſiderum exortu potiſſimum & arcus cæleſtis incubitu fieri. Pavimentum illinunt ex ſalice & ulmo, ne beſtiolæ ſubeant nociturae. Regum cellas eminentiore, velut regio loco, majori laxitate peramplas fingunt, & ſepimento tanquam muro quodam ad majeſtatem regi-

regiam tuendam circumvallant. In regiæ aulæ vicinis cellis, summâ senectute affectæ, tanquam regis satellites habitant: proximæ sunt natu minimæ, nondum anniculæ; adolescentes & firmiores per extima versantur.

Mella partem, proles aliam, atque aliam fuci per favos poscunt, qui erecti, & collapsi fulciuntur quasi pilis fornicatis. Non in rectum fiunt ingressus in domunculas: si quod animal ingrediatur, hostem propellunt, occidunt, & evolvunr gregatim. Si duo cohabitent examina, genere favorum discernuntur. A tecto pendent favi, solum non tangunt, ut subeant facilius. Favi per Germaniam octo pedes longi etiam Plinio sunt visi. Trino exercentur opere, quod in cibum, mel & favum dispescitur. Cellæ omnes sunt sexangulæ, pro numero & opere pedum æqualibus lateribus. Cælo sereno provolant apes, orta pluvia, lapillis sese muniunt contra ventos, uti anseres Taurum transvolantes in Cilicia, ob metum aquilarum. Urinam hominis expetunt, morbo tentatæ: foris

dor-

dormientes, supinæ jacent, ne ros officiat alis: segnes excitant, & morte puniunt.

Sunt foris & intus officia divisa: operantur intra sexaginta passus, & subinde floribus in propinquo consumtis, speculatores ad pabula ulteriora mittunt: videas flores aggerere pedibus, aquam ore, guttasque totius corporis lanugine: aliæ quærunt mel, aliæ stipant, aliæ struunt cellulas: adolescentes foris, seniores intus exercentur. Excipiuntur onera & disponuntur: sollicitam castris adhibent custodiam; non insidiantur alienis laboribus. Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, & colonias mittunt: observavimus, ad Solis occasum eas ad alveare congruere, & quasi defatigatas sese ad quietem componere: ante vestibulum excubat cohors prætoria, quæ per alvearis partes exteriores mittit cursores, ut cives colligant, hostium insidias discant, idque subinde, sed breviore continuè spatio, donec manipulares paulatim sese condant, & postrema vigil bis terve ante ostium oberret, adeoque sese recipiat. Duces conficiunt quædam ad

vocem,

vocem, quasi imitatione tubæ, habentque inter se signa pacis & belli. Statio interdiu ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet bombo, ad quem mox provolant; & cùm jam advesperascit, in alveo strepunt minus, donec rursus una circumvolet, eodemque quo excitavit bombo, veluti quietem capere imperans, tunc repente omnes conticescunt.

Sunt qui reges aculeis carere velint, sunt qui negent: concordes in eo, nunquam neque contra hominem, neque contra apes exeri, quoniam nefas sit, tantæ nationis Imperatorem admittere malum. Sic Tribuni militum apud Romanos ferebant enses sine acumine, ut docerent, sese corrigere, non occidere milites. Apum rege prehenso, totum agmen tenetur, amisso dilabitur: defuncto mæret plebs ignavo dolore, non amplius cibos convehunt, non precedunt, tantùm tristi murmure circa corpus glomerantur. Reges nunquam prodeunt foras, vel ut pascantur, vel alia de causa, nisi universa cum plebe; & ubi pergunt, si rex aberrarit, omnes

nes requirunt, odoratuque ſagaci perſequuntur, donec inveniant: geſtatur à plebe, cùm volare non poteſt. Necant ipſæ duces, qui pluris quàm ſat ſit habentur, & potiſſimum improbos, ne principum multitudo ſeditiones in examine faciat. Regem fugitivum ſi aſſequantur reducunt.

Nunquam pugnant, niſi adverſus noxia, nemo unquam vidit, examen movere ſeditionem, aut inter ſe pugnare: nulla earum, ſuo relicto alveo in alium ſe confert, aut majorem, aut fortiorem, ſed propriũ implent augentque etſi opus fiat in ea regione majori cum difficultate. Apes eos malè accipiunt, qui recentes à muliebri copula ſuperveniant; adverſus immundiores acrius inſurgunt. Amoliuntur è medio omnia, multęque inter opera ſpurcitiæ jacent; Quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congeſta in locum, turbis diebus, & operis otio egerunt: Oderunt delibutos, & unguentarios; non potant, niſi aquam puram, & ſemper poſtquam alvum depoſuerunt. Ajunt Democritum interrogatum, quo-

quomodo homines incolumes manerent, & longævi fierent, respondisse, si externas corporis partes oleo, internas melle illinirent. Apes pennas habent detectas, easque quatuor: Aristoteles memorat & albas; crura sunt scabra, ut flores rectius hæreant: lingua ipsis prælonga, quam foris gerunt, velut aculeum fungosum & cavum, ut eo simul & gustare, & cibum trahere possint. Habent dentes, & ventriculos, in quos congeritur mellis liquor aërius: excrementum earum rubrum est. Aculeos infigunt, & relinquunt, exinde morituræ. Olaus Magnus ait, In Podolia, regi Poloniæ subjecta, apes propter pascuorum ubertatem, odorem suavem, abundantem florem, ac saporem jucundum, maximas siccarum terrarum foveas favis melle plenis replēt, ita ut immanes ursi in tales foveas cadentes, ob nimium mel devoratum suffocentur. In Sarmatarum regione, inquit Ambrosius Leo Nolanus, melle abundant, populi omnes mulsam bibunt. Apis in Scotia nusquam: advectum in de pulverem seu lapillos si quis alibi sparserit inter alvearia, examina favos dese-

deſerunt: apud Hybernos paſſim reperiuntur. Nihil vivunt ultra decennium vegetiores. In vaſtis Sarmatiæ ſylvis, ubi in cavernis abietum ſedes habent, urſi mellis cupiditate, felium more aſcendunt: adverſus hos apiarii malleum ingente graviq́ue pondere ſuſpendunt ante apum veſtibula, ut urſus malleum amoturus, eo vehementius tundatur, quo majore impetu malleum repellit.

Pugna non levis exoritur in examine, ubi duo reges, & proceres plurimi reperiuntur, quieſcunt autem, vel ſublatis adverſariis, vel compoſitis.

Eventus docuit, apum examina & adverſa & proſpera ſignificâſſe, unde pro re ancipiti habenda. Valerius Maximus ait: formicis Midæ jure meritoque apes Platonis prætulerim. Platonem in ulnis, ut habet Ælianus, ferebat Perictione: cùm verò Ariſton ſacra litaret in Hymetto Muſis aut Nymphis, dum dulcedine rei divinæ darent operam, illa Platonem in proximis myrtis, denſis & opacis repoſuit, cui repentè examen apum, Hymetti mellis opifices, in os inſidentes ſuis ſtrepebant

 bom-

bombis, præsignificantes ita Platonis eloquentiam & linguæ facundiam.

Simile planè augurium Pindaro celeberrimo, ac suavissimo poëtæ contigisse narrant, cùm adolescentulus esset etiamnum, & æstivo tempore Thebis Thespias iret, æstu meridiano fatigatum, præ somno ac lassitudine paululum è via declinasse, prostrato & dormienti advolantes in os apes mellificâsse.

Hieron jussu patris exponitur, quòd ex ancillâ natus esset, ne nobilitati paternæ foret dedecori; tamen ita humanæ opis indigenti, apes in os mella congessêre, quo ostento pater ab haruspicibus admonitus, filium recolligendum duxit, moribus & disciplinis iis erudiendum curavit, per quas postmodum ad præmonstratam regni majestatem facilè pervenit.

Quid in liceat huc referre Theocriti narratiunculam suavissimam? Comates in Sicilia heri divitis pecora pascens, consueverat nonnunquam Musis aliquid de gregibus Domini offerre: id cùm rescivisset herus, duriter servum increpat. Orat Camates, ne succenseat; fore enim, ut Musarum

rum beneficio omnia cumulatè reddantur. At herus, age inquit, experiamur an Musæ te sint alituræ? & servum in arborem excavatam inclusit, atque ab eo discessit, relicto, ut fame moriretur. Exacto anno, cùm ad eum locum rediisset, servum vivum atque incolumem invenit, & multum favorum circum eum in arbore, unde victitaverat inclusus, apibus per rimas in arborem penetrantibus. En tibi Danielem inter leones, aut Eliam sub Junipero.

Mons Carina Cretæ novem millia passuum ambitu suo complectitur: intra quod spatium muscæ non inveniuntur, neque mel hîc natum alicubi attingunt. Dioscorides eos scribit, qui mel in Heraclia Ponti collectum, edunt bibantve, non secus afflictari, quàm qui aconitum ebiberunt: additque insuper eadem iis, quæ poto aconito, evenire: adjuvari autem inprimis continuò vini mulsi potu, cui rutæ folia sunt adjecta. Nihil certius, quàm mel ex naturâ florum alicubi nobilius & deterius.

Aristoxenus author est, teste Athenæo, eos nunquam morbo tentari, qui pransuri

melle quotidie vescantur. Democritus Abderites ob senectutis tædium, cùm mortem sibi consciscere decrevisset, de quotidiano cibo aliquid detrahit, instantibus jam festis diebus Thesmophoriorum. rogant domesticæ mulieres, ne per id celebritatis tempus moreretur, sibi ut liceret solennes ac festivos illos dies agere. Annuit, & mellis vas sibi jussit propius admoveri; atque sic in multos dies vitam prorogâsse, solo mellis odore & halitu continuatam, interiitque diebus pòst aliquot, asportato melle, quo semper delectatus fuerat.

Adstipulatur Hippocrates hisce verbis: Vinum & mel optima judicata sunt in hominibus, si juxta naturam & sanis & debilibus cum temporis opportunitate ac mediocritate exhibeantur, Et bona quidem sunt ipsa per se ipsa; bona verò etiam permista, & tum alia, quæcunque memorabilem habent utilitatem. Quæcunque sanis commoda sunt, ea etiam ægrotis exhibita fortiora sunt. Et oportet detracto ipsorum vigore ea dare, alioqui non feret ipsa corpus, sed magis lædunt, quàm prosunt.

Se-

Senilius plurimo utendum conſulit Vallcriola, ſi modò ſuæ valetudinis rationem habere velint, illæſamque ſenectam in multum ævum producere. Idque aſſerit Antiochi Medici & Telephi Grammatici exemplis, qui ſenes annoſi, attico melle & pane, plurimum utebantur. Galenus, Clarum eſt, ad diſtributionem & concoctionem, ablata acrimonia convenientiſſimum omnibus reddi: quæ tum optimè tollitur, ubi multum illi aquæ admiſcetur, ac deinde tantiſper coquitur, donec ſpumare deſinat, ſpuma aſſiduò deterſa: nam ita nec inteſtina flatibus diſtendet, & urinam ciebit, & ſputa craſſa incidet, educetve, longiorem coctionem recuſat, ob ſequentem amarorem.

Ex albo vino rubrum effecturus, mel decoquat ad lapideam cōſiſtentiam quam exiccatam redigat in pulverem, & transvaſando vino permiſceat.

Jam & de formicis lubet diſpicere quædam: formica communiter familiariterq; & eodem victu vivens nobiſcum, eſt animalculum induſtrium, ac in labore indefeſſum: cùm in agmen aliquando per a-

gros, colles, atque alpes expatiatus herbarum colligendarum causâ incidiſſem, & non modò quàm diligentiſſimè mecum obſervâſſem, verùm etiam tantum ac tam arduum, tam parvo in corpuſculo admirarer, pœnitebat tanti inutiliter transmiſſi temporis. Sed volupe erat contemplari, quantâ diligentiâ, quantaque celeritate, cùm alioqui repere potius, quàm currere videantur, eandem ſemper iterarēt viam, neque unquam aberrarent à loco, in quo quicquam repoſuerint, quanto nixu grana ſeminave, quæ præ nimio pondere geſtare non poſſunt, pedibus pro truderent, quàm officiosè aliæ feſſis ſuccederent, opemque ferrent, quomodo quæ portarent ad ſuam foveam cibaria omnes, ut ait Avicenna, recta linea, eaque una tantùm, ſecundum longitudinem ducerent, neque hæc ab illa deflecteret, ſed ſimul ſeſe cuſtodirent: & certè, niſi quoque niſi quoq; aliis experientiam teſtem adhibere liceret, incredibile videretur, tam puſilla animalcula tot fruges in commeatum congerere, & tam pulchro, quo cernimus ordine res ſuas gerere & tueri.

Ob-

Obstupescebam eoram, nec satis inspicere poteram, quàm mordicus fructus, quos volunt in futurum tempus recondere, apprehenderent, & adversus eorum pondera, toto corpore, totis humeris, totis viribus obniterentur, & quod unicâ vice non possent, præ virium debilitate, secunda, vel tertia, vel quarta ferrent: quomodo ore tam exiguo onera sæpè viribus majora gererent, & aversæ majora pedibus, postremisque humeris tam obnixè molirentur; ut nobis *sit meritò exemplum magni formica laboris*.

Scribit Aristoteles, Insectorum officiosissimum, & præ cæteris ferè omnibus animalibus formicarum genus, & apum esse; earumq; negotia omnibus in promtu haberi, & cibaria recondere, & cellas promtuarias facere, nec interdiu solùm, sed etiam noctibus, plena Luna laborem exercere. Cùm tanquam ad pabulum proficiscuntur, natu grandiores eas, atque exercitus duces ducunt: ut ad segetes pervenerunt, adolescentiores sub stipula stant, duces verò ascendunt, & spicas abscissas inferioribus dejiciunt; hæ verò circum-

ſtantes diſtrahunt, ſimul ex ſuis glumis & vaginis grana *ex frumentis, quæ homines exarant* incluſu explicant, neque ad excutiendum ullo inſtrumento egent, neque ad ventillandum viris, neque ventis ad purganda à ſordibus grana ex frumentis, quæ homines exarant ſeruntque, cibos conficientes humanis laboribus fruuntur. neque verò quodlibet ſemen aut granum recondunt, ſed ea tantùm, quæ arroſerint primùm, quia non ignorant, ſi integra terrâ obruerent, enaſcitura aliquando, & in fruges expullulatura. Præterea, ſi, ut per humidiores tempeſtates, fortè madorem aliquem contraxerint, ea è terra proferunt, & ad Solem ſiccant, cùm ne putreſcant, tum ne iterum pullulent. Hoc eis præcipuè, ait Hieronymus, à natura tributum, ut, quæ nihil portant, non ſurripiunt occurrentium onera, ſed unaquæq; colligere ſibi ſtudet. Hinc vocantur civiles animantes præter apes & Grues.

Obſervatæ ſuut à fide dignis, mortuos ſuos humeris efferre, ac ſepulcra honore afficere: nam cavernæ tres ſunt partes, in quarum unâ vitam degunt ac communi-

ter

iter comedunt; in altera alimenta sua, tanquam horreo aut granario recondunt; & in tertia mortuos suos sepeliunt.

Ælianus: Ægyptias fossas, & Creticos labyrinthos historici literarum memoria celebrant, & poëtarum ratio versatus decantat. Verùm fossionum, quas formicæ efficiunt, varia diverticula, flexiones, anfractus nondum sciunt: enimverò eæ mirabili sapientiâ subterraneas ædificatiunculas tortuosissimè construunt, ut vel difficilem aditum, vel omninò inviam insidias sibi molientibus efficiant. Terram verò quam effodiunt, pro foraminibus aggerunt, & tanquam muros quosdam & propugnacula circumjiciunt, ne ex cælo aqua pluvia defluens ipsas funditus alluvione perdat. Inter media itidem sepimenta, cavernas alias ab aliis secernentia, solertissimè machinantur. Atque ut de splendidis hominum ædibus fieri solet, domum suam triplici regione formaque circumscribunt alterum enim in ea locum Andronem, in quo mares, & junctæ eis fœminæ habitant, ædificant; alterum Gynæceum nuncupatum, ubi fœminæ pariant,

moliuntur; tertium granorum acervis destinant. Ajunt etiam, defunctos in granorum folliculos recordi.

Majolus ista habet: Inambulabam aliquando, corporis exercendi causa, summo mane, Julio mense, extra Apuliæ oppidum, cui nomen est Sancti Bartholomæi, comperique quadratam trabem, longam pedes octo, advertiq; sub ea formicarum esse domicilium: quamobrem subiit mihi desiderium spectandi illarum habitacula; moxque necessarii mei trabem tanta levitate submoverunt, ut nulla earum rerum, quæ suberant, facta fuerit motio, aut turbatio. Apparuit tunc in argillosa humo urbs quædam quadrangularis, longa pedes ferè quatuor, lata ultre pedem, in qua per vias, velut ad negotia, ultro citroque cursitare velut cives ipsæ formicæ visebantur.

Admiranda erat angulorum laterumq; directa delineatio, quam artificiosè amussi circinoque fabrefactam putasses, quòd æqualis semper dimensio longitudinis & latitudinis servaretur. Urbis longitudinem media secabat via quædam directissima,

ma, profunditate latitudineque digitali; quam rursum per transversum, æqualibus inter se spatiis, tres aliæ viæ eadem digitali profunditate & latitudine directissimè intersecabant, ut ita tria compita, foraque spectarentur. In extremis viarum angulis, velut angiportibus spectabamus collecta in acervos servari ova, unde formicarum proles gignitur. Altera urbis parte antra vidimus, frumento, ita oppleta, ut in vias ipsas redundarent.

Mira fuit omnium viarum mundities, nihil in illis lapillorum, nihil pulveris, nihil festucarum, nihil humoris, ut deprehendas, urbem illam à suis civibus ita curatam, ut prolis eximium studium, annonæ & structurarum ornatus ubiq; spectaretur: quin omnes illi cives communi studio ad Reipublicæ beneficia incumbentes, dum alii domi de rebus consulunt, alii foris res agunt, summa pace concordiaq; curanda in rempublicam nos docebant: studuisse quoque iidem cives visi sunt omnium incolarum incolumitati. Erat enim in urbis longitudinis medio unica porta Zephyro objecta, quòd ab Aquilone, Eu-

ro & Austro immunem urbem sua philosophia didicissent.

Res istas omnes spectabamus curiosè, admirabamur industriam eximiè operantem omnia in obscuris, cæcisque tenebris, memoriaque dignam censuimus, quòd in plano, pro opportunitate loci eam urbem formicæ condidissent, haud dubiè alibi inter saxa, inæqualiaque loca pari industria urbes suas consultò eas ædificaturas judicabamus. Hoc etiam natura eis dedit, ut mensis nono quoquo die non ex caverna egredientes, ad modum quietè sese tecto contineant, ut ex Æliano Gybius prodidit: alii verò pleriq; interlunio eas cessare semper volunt, nimirum primo quoquo die. Cessabant tum veteres ab opere suo, sumto nimirum exemplo ab his animalculis, quæ eodem tempore tum ferientur, opera sua inspicere, & recensere putandum est, cùm aliàs plenilunio etiam totis noctibus operentur: & quoniam ex diverso convehunt, altera alterius ignara, certi dies, inquit Plinius, ad recognitionem mutuam nundinis dantur.

Etiam futura præsentiscunt, nam immi-

mi-

minente universali fame, cùm scilicet granorum futura est inopia, mirum in modum sunt laboriosæ ad comportandum victum, & reponendum sibi frumentum, ac cæteros fructus, quibus vescuntur. Senes & oneri succumbentes emittunt alas, & ab administratione reipublicæ dejiciuntur, in eminentem usque locum propulsi, ut aërem petant: hoc imitati Romani sexagenarios de ponte præcipitabant, rebus gerendis utique ineptos.

Audiamus Plutarchum: formicarum apparatus & dispositiones exactè enarrare nefas penè est; omnes autem præterire, nimiæ socordiæ. Nullum enim ita exiguum habet natura magnarum & pulcherrimarum speculum, sed tanquam in pura gutta insunt omnium effigies virtutum. Intus amicitiæ simulacrum est, nempè cultura societatis: inest etiam fortitudinis imago, laborum tolerantia: insunt multa continentiæ semina, multa prudentiæ & justitiæ. Cleantes tametsi negabat animalia ratione prædita esse, nihilominus in tale se narrat incidisse spectaculum: Venisse formicas de suo cavo ad

aliud formicarum examen, formicam portantes mortuam: ex hoc aſcendiſſe alias formicas, tanquam ad colloquium; rurſumque deſcendiſſe: id bis terve factum. Tandem has ſurſum extuliſſe vermem, tanquam redemtionis pretium pro mortuâ. Hoc illas accepto, & reddito formicæ cadavere, diſceſſiſſe.

Sed inter ea, quæ manifeſta ſunt omnibus, eſt in occurrendo æqualitatis ſtudiũ, cùm nihil geſtantes, geſtantibus aliquid de via decedunt, & rerum portatu difficilium corroſiones atque partitiones, ut è pluribus poſſit ferri in particulas divulſæ. Omnem earum calliditatem ſuperat præſenſio tritici germinantis. Non enim manet aridum aut putredinis exors, ſed humectatur & lacteſcit, cùm jam eò tendit, ut in herbam mutetur, nergitur ſeminis vim ſervans, inutile eſui fiat, exedunt illud principium ſeu acumen grani, è quo germen emitti à tritico ſolet.

Non probo eos, qui quaſi corporis diſſectionem æmulantes, earum cavernas rei perſpiciendæ cauſa luſtrant; ſiquidem dicunt, à foramine non eſſe rectum in eam

de-

descensum, aut quam alia bestia facilè posset perrepere; sed anfractibus atque flexibus cuniculisque variè interceptum in tres desinere cavitates, quarum una commune sit omnium domicilium, secunda penu rerum ad victum pertinentium, in tertiam mortuæ reponantur. Tantas itaque & tam varias animi dotes in formicis animadvertentes, atque admirantes antiquissimi philosophi, multi eorum in certamen commisêre, utrum brutum, an humanum, aut divinum etiam earum esset ingenium altercantes. Cicero non solum sensum, sed mentem etiam rationemque eis tribuit: Pythagoras animam omnem, quæ sensibus & memoria sit prædita: rationis & orationis participes esse volunt, & interioris & exterioris, quâ uniuscujusque generis animalia, quantum necesse habeant, inter se mutuò loquantur. Et reverà, ut de formicis loquamur, cum obviis quasi quædam interlocutio est dum enim operi sunt intentæ, onustis vacuæ occurrunt, & antequam eis locum dent, prius facta quadam morâ, cum illis, in occursu mutuo colloquuntur: quamobrem

obrem Celſus, adverſus quem multis agit Adamantius Origenes, formicas inter bruta non recenſebat, ſed animantia rationis participia exiſtimabat.

Egregiè Tertullianus: Animalia minutiora maximus artifex de induſtria ingeniis aut viribus ampliavit, ſic magnitudinem in mediocritate probari docens, quẽadmodum virtutem in infirmitate ſecundum Apoſtolum imitare (ſi potes) apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina. Salomon miratur formicam, lepuſculum, locuſtam & ſtellionem.

Tradit Æneas Sylvius, certamen inter formicas majores & minores, ſpectante exercitu Eugenii IV. commiſſum in agri Bononienſis pyro arbore; à minoribusq; multitudine majores ad internecionem deletas; ſed quid portenderint, non addit. Fornicæ anno 1521. in regiis hortis Upſaliæ & Holmiæ infeſtis coëuntes animis, Chriſtierno II. regi apud Suecos exilium denotavit, teſte Olao Magno.

Midæ dormienti formicæ in os tritici grana congeſſêre, unde ditiſſimus & rex

Phry-

Phrygiæ evasit, licet Gordii bubulci esset filius. Ursa cùm nauseâ tentatur, ad formicarum cavernam se confert, linguamq; pinguem & dulci succo mollitam exerens eis proponit, dum hæc formicarum fiat plena; quibus deglutitis juvatur. Ova lusciniæ cum ægrotant, medentur.

Cum stupore nuper audivimus Lipsiũ, de Elephante vel humanis majora demonstrari: quis sese hîc expediat? nisi formicis sensus, dicat. Claudit tamen epistolam Lipsius istis verbis: sed in his Majores non semper litaverunt fidei.

Molestissimum & impudentissimum animalculum muscarum genus varium mirè exercet & pecora armentaque & mortales: aliquando etiam ad modum exercitus. Hic Jacobus Francus scribit, anno nonagesimo supra sesquimillesimum, per Episcopatum Basileensem, superiorem Burgundiam & Galliam ingruisse novum genus muscarum venenatum, quibus aciculæ, sive hami longi & recurvi dirâ labe periculosi per anteriora, qui longitudinem corporis multum excederent: rostrũ illud attollebant, deprimebant, horsum

vor-

vorſum vibrabant,& recondebant:hinc & hominibus & brutis ictus lethales inlati. Ex utroque capitis latere prominebant duo longa cornua , propter duos oculos grandes ac prominentes. In vertice radiabat corona,corpus ad octo pollices transversos extendebatur, quod in ſquamoſam deſinebat caudam,pollicis virilis craſſitudine. Alæ majores occultabant alias minores, ſenis pedibus incedebant , quaſi ungulatis,color monſtro albus,ater,& viridis , nec ullum ictui remedium lethali. Boves ad aratrum icti deficiebant , & domum acti procumbebant exanimati. Hinc per vias publicas cadavera equorum,brutorum & hominum proſtrata.

Habeantur quidem iſtiusmodi inſecta vulgò contemtui ; ſed quando ſpiculis armatur à Deo,quid inferent , niſi vindictam ? itaque ad cauſas & effectus eſt applicandus animus : cùm in minimis hiſce ac tantillis animalculis Deus immortalis, hujusque adminiſtra natura longè majora collocâſſe videantur miracula, quàm in enormibus aliis animalibus , ut vel ſic videantur oſtendiſſe,non molis quantitate,

ſed

ſed virtutis amplitudine res ipſas eſſe dimetiendas. Exemplo ſint nobis gemmæ, minimum lapidum genus, quas ſaxis præferendas, ob incredibilem virtutem, eadem natura inſtituit. Exiguas autem eſſe voluit, ſaxorum interim montibus altitudine cęlum attingentibus, nullius aut modicæ virtutis vim habere juſſis. Eodem pariter modo ſi bovem, ingentis molis quadrupedem, eundemque admodum laborioſum, & qui arando hominibus alioqui victum ſuppeditat, exiguæ compares apiculæ, aſinumque formicæ (examinatis prius omnium naturæ dotibus) has omninò videbis minutiſſimorum horum animalculorum longè præferendas eſſe iis, quæ prægrandibus illis beſtiis inexiſtunt.

Ad cujus rei corroborationem optimè ſpectant, quæ Plinius circa inſectorum laudem prodidit his verbis: In magnis ſiquidem corporibus, aut certè majoribus, facilis officina ſequaci materia fuit. In his tam parvis atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocavit in culice? & ſunt

alia

alia dictu minora sed ubi visum in eo prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi verò truculentam illam, & portione maximam vocem ingeneravit? qua subtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? disposuit jejunam caveam, uti alvum? avidam sanguinis, & potissimum humani, sitim accendit? telum velo perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio? atque ut in capaci, cùm cerni non possit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforanda robora, cum sono teste, dentes affixit? potissimumque è ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime jactus, Tigrium rapinas, Leonum jubas, cùm rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Qua propter quæso, ne hæc legentes, quoniam ex his spernunt multa, etiam relata fastidio damnant, cùm in contemplatione naturæ nihil possit videri supervacuum. hucusque ille.

Qui & alibi scripturus de remediis, quæ à di-

à diverſis animalibus ſumuntur, neque enim dubitaverim, inquit, aliquibus faſtidio futura, quæ dicentur animalia. At non Virgilio fuit nominare formicas nulla neceſſitate, & Curculiones, ac

—— *Incifugis congeſta cubilia blattis.*

Non Homero inter prælia Deorum improbitatem muſcæ deſcribere; non Naturæ gignere iſta, cùm gignat hominem. Proinde cauſas quiſque & effectus, non res æſtimet. Homerus autem mirum eſt, quot hinc ſimilitudines hauriat? quin obſervari in eo jubet in eo Euſtathius, interpres ejus acutiſſimus, gravitatem poëtæ, qui ab hiſce minutiſſimis animalculis petitis comparationibus ſuos elegantiſſimè exornet heroës, non parvitatem in iis conſiderans, ſed peculiarem in quocunque naturam, ut audaciam in muſcis, animoſitatem fortitudinemque in Veſpis, in apibus prudentiam.

Divus pariter Auguſtinus, de inſectorum creatione loquens, non minoris faciendam hanc innuit, quàm vel maximorum quorumcunque animalium: Quorum omnium non poſſumus rectè dicere

Deum

Deum non esse creatorem : inest enim omnibus quoddam naturæ generis decus, sicuti in his sit admiratio benè considerantis, & laus uberior omnipotentis artificis, qui omnia in sapientiâ fecit, qui à fine usque ad finem pertendens, & suaviter cuncta disponens; nec ea ipsa rerum novissima, quæ pro sui generis ordine dissolvuntur, & quorum dissolutionem ex pænâ nostræ mortalitatis horremus, reliquit informia, sed creat minima corpore, acuta sensu animantia, ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis; ampliusque miremur opera formicarum, quàm onera Camelorum.

Quæ cùm ita sit, fit profectò, ut dum hujusmodi insecta contemplamur, in magnitudinem misericordiæ Dei erigamur, quæ vel vermibus tantam vim, vel ingenium, aut etiam utilitatem indiderit. Sunt nuperi inventi cristallini vitreique orbes, vario artificio & ad marginem, & circa centrum extenuati, pro oculorum ætate ac vigore : sunt qui longinqua propius admoveant, & qui propinqua imma-

ne

ne quantum removeant; sunt tubi longi & breves, adeòque ad pollicem transversum erecti, in quibus inculsi pediculi, pulicis adeòque muscæ membra distinctissimè videas & cum stupore mireris: illîc licebit contemplari teredinem casearium, caudam vel vulpinam, vel vervecinam, eamque villosam explicitissimè considerare, cùm eâdem proportione. Quamobrem nullum adeò exiguum animal est, in quo Dei non eluceat & omnipotentia & sapientia.

Nam ut exempli rursus causa de musca loquamur, In illa plus Dei emicat sapientia, quàm in ipso fulgentissimo Sole: hoc enim quàm maximè est admirandum, muscam mortalem vel ab ipsa productam putredine, præferendam in sapientia Dei conditoris ejus Soli, per quem omnia suo ordine foventur, augentur, ac naturali calore conservantur, aut per prolem, aut per successionem aliis modis faciendam. Muscam verò Soli anteponi, non ex nostra sententia, sed D. Augustini proferimus: sic enim ille, Si fortè quis à me quærat, num etiam muscæ animam huic Solis luci

præ-

præſtare cenſerem; reſponderem, etiam. nec me terreret muſca, quòd parva eſt, ſed quòd viva firmatur. Quæritur enim, quia illa membra tàm exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillũ corpuſculum durat: quis currentes pedes in numerum maneat, quid volantis pennulas moderetur & vibret? Quod qualecunque eſt benè conſiderantibus, in tam parvo tam magnum imminet, ut cujus fulgori perſtringenti oculos præferatur. Certè quod nemo dubitat, quicquid intelligibile eſt omni ſenſibili, & ob hoc huic etiam luci divinis legibus antecellit; hæc ille.

Emicat igitur Dei ſapientia etiam in minimis hiſce animalculis, quæ cur ab ipſo ſint genita, rationem putat Hieronymus Cardanus, ornatum quendam univerſi. Et revera ſunt inter illa quàm plurima, in quibus penè nullum non coloris genus conſpicere licet, adeò ut doctiſſimum ſæpè philoſophum requirant, qui exactè colorum diverſitatem diſcernat & deſcribat; pictoremque diligentiſſimum qui ſingula membra tantillis in corpuſculis tantopere ma-

re maculatis depingat, ſpeculatoribusque ob oculos proponat. At qui quæſo eſt vel philoſophus qui deſcribere omnia in papilione, qui obſecro pictor, qui delineare ſeſe poſſe profiteri audeat ? Bovem quis non poſſit, quis pulicem, quis muſcam exactè ? quis erucas, cantharides, curculiones ? Plurima enim inſectorum genera haud aliter ac in pavone, pulcherrimo alite obſervamus, Soli obverſa, nunc hunc, nunc illum colorem effundunt. nam qui antea æreus videbatur, mox inclinantibus ſe paululum illis, aureus conſpicitur; & rurſum, qui ad Solem cæruleus apparebat, ſi ſub umbra transferatur, viridis videtur: adeò ad luminis viciſſitudinem variatur. Quod præcipuè innuit. Lucianus exemplo muſcæ, inter cujus encomia hoc quoque recenſet, Hanc, ſi quis intentius in ea oculos deſigat, cùm expanſis ad Solem alis ſeſe verberat, pavonum inſtar variegatam eſſe.

Vitam imbecillis hujuſmodi animalculis fortiùs ac tenacius inhærere, quàm reliquis omnibus animantibus, tum aëreis, tum terreſtribus, tum aquatilibus,

quis non admoretur? Constat equidem, omnia animantia vivere, abscisso capite ne tantillo temporis momento posse quã-quam Averroes author sit, verucem, abscisso capite, huc atque illuc aliquot momentis nutantem, aliquot passus progressum esse. Sed audiamus D. Augustinum: *Cùm nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adolescentes, qui tunc mecum erant studiorum suorum gratia animadverterunt humi jacentes in opaco loco reptantem bestiolam multi pedem, longum dicam quendam vermiculum: hoc tamen quod dicam, nunquam in eo expertus etiam: verso namque Asto, quem secum fortè habebat unus illorum, animal medium percussit. Tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tantâ pedum celeritate, ac intuto imbecilliore, nisi quàm si duo hujusmodi animantia forent: quo miraculo exterriti, causæque curiosi ad nos, ubi simul ego & Alipuis consedebamus, alacriter viventia frusta illa detulerunt. Neque nos parum committi, ea currere in tabulâ quoquo versum poterant, cernebamus: atque unum ipso-*

ipſorum ſtiſto tactum contorquebat ſe ad doloris locum, nihil ſentiente alio, ac ſuos alibi motus peragente. Quid plura? tentavimus quatenus id valeret, atque vermiculum, imò jam vermiculos in multas partes concidimus, & ita omnes movebantur, ut niſi à nobis illud factum eſſet, & comparerent vulnera recentia, totidem illos ſeparatim natus, ac ſi quemque vixiſſe crederemus. Cauſam totius rei Auguſtinus refert ad ipſum Deum, occultiſſimum id opus nuncupans; Ariſtoteles ſimilitudinem mutuatur à plantis; Alexander Aphrodiſeus meatus ſpirandi anguſtiſſimos prætendit.

Liceat deſcendere ad minima inſecta: Ariſtoteles pediculorum facit genera duo, primum grandius, hominibus valdè familiare, in infantiâ potiſſimum, & ad pubertatem uſque, quod à capite deſcendit per univerſum corpus: alterum ferum vocat, & eſt inguinale. Eſt & Acari in cerâ ortum, alii idem caſeo tribuunt; tum Cyon, qui latet ſub epidermide, ſerpitque clam erodendo, & moleſtiſſimum excitãdo pruritum, quod ſi inter ungues com-

primatur, ubi extractum fuit, parvulum quendam ſanum edit. Admirabile eſt inquit Scaliger, animalculum, & formâ nullâ expreſsâ, præterquam globi, vix oculis capitur magnitudo: tam puſillum eſt, ut non atomis conſtare, ſe ipſum eſſe una ex Epicuri atomis videatur, ita ſub cute habitat, ut actis cuniculis urat: movet ſe Solis calore adjutus ſuper ungue. Cibi habet aditum, excrementi exitum non habet. At in Scaliger, infans in utero alimentum trahit, nihil excernit; gallina bibit, nil mingit; Cyrones caput tegunt atro pileo, unde venatoribus id agantur, ſed nondum vidi, an marginato, & poſt ſe relinquunt viam cuniculorum, aqua ſcatentem; quæ ſuccedat ſanè ex partibus arroſis, ſed quid impediat, quin eadem ſit pars excrementi, vel ſaltem receptaculum, quod nondum diſtinguere licuerit, uti poma natantia. Progreſſus arguit vel pedes, vel coſtas ſerpentinas, & quis hactenus vidit membra diſtincta, pro boſcidis terebellum, & perniciem in aquâ foſſæ ductæ? Bone Deus! tu es maximus in minimis.

De prædicent alii Elephantes funambulos

bulos & convivatores gravissimos; vel asinos sapientissimos, ultra illum aureum Apuleii; nobis videtur natura cùm exigua corpore animalia compingeret, id ante omnia procurâsse, ut quicquid magnitudini detraheret, illud vi, aut aliquâ certè utilitate compensaret. quorum utrumque ita planum & perspicuum in pulice animadverti potest, ut mirum omninò videatur, cùm & viribus, si rectè inspiciamus, non illi modo brevitate conferenda, sed longè corpore ac staturâ majora exuperet. Quod si utilitate etiam, ac in genitâ quâdam potentiâ ita pollere ostenderimus, ut per pauca illi ex omnium animantium genere æquari possint; tum illud abunde demonstrabitur, Eos scilicet non satis vero, nec explorato animi judicio, sed libidine vel invidiâ potius permotos, qui sordidum ac infestum animal pulicem dixêre; cùm ex adverso potius & elegans & commodissimum nuncupari oporteat.

Quas eorum calumnias ut facilius diluamus, à corporis habitu primùm auspicandum censemus. Nam ei quidem color,

qui præstantissimus haberi solet, seu tu illum hyacinthinum, seu purpureum malis appellare. Hoc triumphantium prætexta, hoc imperatorum paludamenta: & ut ipsius Catonis modestiam intelligas, splendidum, sed obscuriorem vides.

Corporis verò portio neque omninò oblonga, neque testudinata, neque planè rotunda, sed quasi omnium particeps, tereti quadam pollet habitudine; quâ neq; ad agilitatem, neq; ad elegantiam accommodatior ulla reperiri potest.

Tum verò quo proboscidem natura spiculavit ingenio? quàm exili, quàm reciprocâ arte conformavit? ut fodiendo acuminata, sorbendoque fistulosa deprehendatur. texturam verò tergoris, quàm aptè, quàm sine dispendio ullo capiti continuant? quàm pulchrè imbricatis, sed etiam penè inexploratis conjunxit flexilium vertebris? ita ut (quod omnium insectorum peculiare est) frustillatim etiam cæsus, spiritus tamen aliquid servet, mortiq; intrepidè occurset, & quod omnia domat, fatum moretur.

At posteriora quàm gracili, quàm re-

ducto

ducto tornavit ambitu? fores excludendæ saturitati quâ conclusit industriâ, qua coagmentavit modestia, uterculum miro castigavit temperamento, incredibili cavæ vacuo perforavit? In hunc tenuem quidem, sed inexhaustum spiritum inflavit.

Mirum vero dictu, quàm longo intestinorum nexu compleverit, quàm ingenioso ambitu complicaverit: quod tanto artificio factum est, tàm subtili magisterio peractum, ut nec Myrmecidis, nec Callicratidis opera, nec faberrimi ullius artificis, quicquam habeant conferendum.

Nec minus pedes suis distincti internodiis, mirabili adhærēt, arte. & priorib⁹ quidē ad plurima utitur officia, vel ut scabat, vel ut detergat, junctis sublatisque utrinq; pedibus ne dicā manibus, manibus profectò præstat dixisse. quando & iis non se modò distringit, verùm & infantium more, qui papillas hauriunt, summam cutem permulgens, elicit sanguinem.

Humani enim generis gratia, provida rerum parens, natura pulicem peperit, qui plus nimio effervescentem sanguinem,

corpore integro, nuſquam reſciſſis membris, nuſquam interfectis venis, exhauriat: quippe medici falſo hujuſce remedii inventionem, hippopotamo adſcripsêre. Pulex hoc, inquam, pulex primus oſtendit mortalibus.

Atque hinc Græci, hominum prudentiſſimi, eum Pſyllam appellavêre, non à brevitate corporis, ut craſſiores antiquitatum automant; ſed quòd Pſyllorum imitatione, exundans ſanguinis virus, ſolo ſuctu, nullo diſpendio, minimâ cum moleſtia, leviſſimo tantùm pruritu evocet. Ingratus profectò mortaliũ animus Pſyllorum tinctus, qui ſua terris mala ſerpentes intulêre, celebrat.

Tentyritas, qui modicâ ab Orbis regione crocodilos avertunt, hiſtoriis ac monumentis dignos duxêre; nullus adhuc publicem commendavit, nemo id animal laudibus extulit, cui, abſit invidia verbo, vel inventionis nobilitate, vel curationis merito, multa hominum millia ſalutem debent.

Huic ſententiæ noſtræ vel illud accedit naturæ teſtimonium, quòd eo præſertim

tem-

tempore multa pulicum vis ingruit, cùm & hybernâ segnitie, & vernâ mutatione sanguis tabescit, & medicorum judicio educendus existimatur. Quin & diebus canicularibus operam suam mortalibus præstat, ubi sanguis ferè resolvitur, maximè, & eo utilis, ne somnus sit profundus, ac cerebro officiat, sed ut volutatio per lectũ interrumpat, Quod si ulla verbis nostris fides habetur, cùm sapientissimum animal hominem philosophi judicârint, quòd unus omnium manibus utatur, quis post hac & sapientissimum & multis naturæ beneficiis ornatum pulice negaverit, quẽ manuum ministerio tàm indulgenter honestârit?

Posteriores autem pedes paulò amplius producti, quò majore nixu prosilire possit: reductis enim, illis in poplites, & toto corpore incumbens, mox summis digitis obluctatus prorsum, vah! quàm facilis, quàm sublimis prorumpit in aëra? nemo est ex iis, qui se aut stadio, aut petauro exercent, quique in eâ arte plurimùm profecêre, qui sexagesimo impetu vel unum pulicis saltum æquaverit: ut non immeritò

Plinius videatur ei Petauristarum lasciviam tribuisse. Res enim digna prorsus exquisitissimâ speculatione, & quam injuriâ Aristophanes illuserit, Socrates verò apud Chærephontem, acutissimè explorâvit, quot scilicet suos pedes pulex saliat, & quē arcum conficiat? ?

Qui enim ex nostro genere humanos pedes septem octave ad summum prosiluerit, omnibus calculis honestabitur; at pulex, tàm minutum, tam extennatum animal, sexcentos etiam pedes, vel amplius, sine plurima omnium admiratione saltaverit. Hujus rei notionem absolutissimus ille senex, Apollinis testimonio omnibus prælatus sapientia, cera dicitur consecutus ea enim igni resoluta, pulicis pedem immersit; quem cùm deinde eduxisset, & quasi cereus calceus is pedi hæsisset, & deinde metitus traditur, quicquid intervalli fuerat à sua ipsius fronte, unde desiluerat, ad Chærephontis labra, quò sese dejecerat. Atque hoc tam sublimi commento rem ille dignam ad miratione comperit; ob quam, si paulò ambitiosior fuisset, potuit Euclidis more, de cremasterio (ita cistam

ſtam appellabant, in qua Socrates altiora theoremata ſpeculabatur) deſiliens,& nudus excurrens Heureca, heureca ingeminare.

Cæterum diſtingui inſecta variis modis in vulgus eſt notiſſimum: alia recondunt alas, alia in propatulo ſervant; aliis cutis dura, aliis cartitaginata. pulex tenerâ admodum ac molli cuteus tectus eſt: ut, ſi verum ſit illud, quod veteres philoſophi aſſeruerunt, animalia acumen ingenii à ſuprema cute mutuari nemo ſit, qui dubitare poſſit, quin pulex tàm tenui cute, multum ingenio inter cætera excellat omnia.

Sed neque illud fruſtra à natura inſtitutum puto, ut ſex pedes pulici attribuerit, quem numerum undique abſolutiſſimum eſſe conſtat. Suas enim capit portiones,& ſuis modis concluditur, quod alicubi non temerè invenias. hinc cubo datus, & alëæ ſive teſſeris conceſſus ad exercendum ingenium.

At illud neque ſine multa admiratione reminiſci, quod tam promto, tam parato ſemper eſt animo, ut ſe omnem protinus

habeat in numerato. Cùm verò capturæ incidit, quàm vigilans & expeditus ad cursum, ad saltum? quàm omnes moras abjicit, quàm raptim sedat in pedes? & nisi recontissima madeat digitus salina, jam deprehensus eluctatur: injectam volam nihil prorsus timet, per quasuis elabitur angustias acrimas.

Quòd si quando contigerit, ut minus pateat fuga, septo scilicet ac præmunito omni aditu, illicò ad eas artes se vertit, quas inclytus Lacedæmoniarum Imperator Lysander suadebat; cùm enim amiculum leonis pelle absolvi non potest, haud est inquit injuria, vulpinam assuere. Pulex itaque se deprehensum intelligens, nequaquam se excutit, minimè fugam molitur, sed echini more se in globum convolvens, exanimatum simulat, atque ita negligentibus aut excidit, aut elabitur. Faciles mulierculæ tum sibi persuadent, ex ea rotatione inter pollicem & indicem pulici pedes, qui omninò dentati sunt posterius, tibiis egregiè promirentibus, post aures impeditos, & saltum & cursum negare constricto

ſtricto veluti ; ſed ingenii vafritiem non intelligunt.

Nemo tamen exiſtimaverit, pulicem ea naſci habitudine, eo cultu, atque illa corporis magnitudine, ad quam poſtea adoleſcit. Ejus enim ortus admirabilis prorſus, atque humano ſimillimus : qualem Herodotus ac Diodorus in Bibliotheca ab orbis in cunabulo noſtrum deſcripſit : humoris enim copia pulveri admiſta, mox calore ſubacta, ceu Nilus concretus, Sole accedente, tenuiſſimum atque informem vermiculum gignit; cui ſubinde roſtellum, manus pedesque ſuccreſcunt: nec multo exacto tempore, non modò humi repit (habet enim & pulex ſuam infantiam) ſed quaſi adultus juveniliter huc atque illuc exultat. Quòd tanta facit licentia, ut nihil ſit adeò repoſtum, adeò avium, adeò in ſeceſſu abditum, ad quod non facilè graſſetur ille.

Quæ cauſa etiam apud homines magnam illi invidiam concitavit. Subiens enim reginarum cubilia, & in puellarum ſinus ſe recipiens, lectiſſimæ cujusque formæ primitias libat : eſt enim ingenioſus

formarum ſpectator; & ſicubi purpureas genas advertit, ſicubi candidas papillulas, aut aureum femur inſpexit; ibi mira cum voluptate ſolet laſcivire, ibi molles ac teretes lacertulos amplexatur, ibi caſtigatiſſimum ac multis expetitum pectus exoſculatur; ut ipſus Naſo ſuam præ illius ſorte contemnat, comnuitatam optet.

Qui igitur mirum; ſi omnes illi populariter invident? ſi reges magna cura, multisque miniſtris imperent illum eliminari? ſed fruſtra; nec ſine multa eorum malo, quando ille ſe belliſſimè ulciſcitur vel palam. Eis enim inſultans, ac mordicus vellicans tenerrimas corporis partes, à maximis quantumvis negotiis avertit, atque in ſe trepidè concitat, concitatosque vehementer, atque in ſe magna molientes, vel uno ſaltu facillimè eludit. Ubi nullæ dantur latebræ, quin excutiatur, præcipitem ſeſe dat in pavimentum; ſed veſti longiori denuò adhærens, aut tibialibus inſultans, aut ocreatis ultra genua in caligas inſurgit, penetratque ad ſucculentam cutem, vindictæ plenus,

Iis adde, quòd si magni reges sibi immortalitatem paratam putavêre, quo de suo nomine quasdam herbas appellaverint; quantò præclarior præstantiorque pulex æstimari debet, qui pulegio herbæ tam celebri, quæ per brumam, non sine omnium admiratione, in coronariis solet efflorescere, nomen dedit: & à quo Græci psyllion herbam, quam latini puli carem dicere possunt, ad mille mortalitatis nostræ remedia natam, nuncupavêre.

Eo autem nomine sapientissimus quisque adolescens pulici se plurimum fateatur debere, quòd in superbientes formâ puellas, ac insolentes spiritus gerentes, eosque impotenter aspernantes, qui sibi omne votum, omnemque animum addixêre, indignatus ille licenter debacchatur, seque ad saturitatem earum explet delitiis, & mox abiens fœdissimo etiam corporis excremento conspurcat, præter vulnera quæ prorumpens sanguis circulari ostendit purpura.

Cujus rei memoria facit, ut Archiloum & Periclymenum magnæ arguere liceat inscitiæ; qui cùm se in omnia verterent

rerum

rerum miracula, nunquam tamen pulicem fecêre: cùm neque infensius, neque hostilius possent, quàm eâ in effigie Herculem ostendere, & tutius elabi. Quâ enim putas illum indignatione lacessitum iri, si in amicæ complexu lascivientes hostes vidisset: si in illius aures sese insinuâssent, & quovis tympano ferocius tumultuati fuissent. At illi parum prudentes, nunc taurum, nunc muscam induerunt; non indignè igitur successit, si alteri cornu effractum, alter prorsus elisus interiit.

Alioqui non saltu tantùm spectabilis pulex est, utpote qui in genere salientium annumeratur: sed neque segnis, neque imbellis pugnator est, soletque strenuè, quoties occasio suadet, inire certamen, atque acerrimè hostem urgere; id quod veteri apologo testatum accepimus. Cùm enim aliquando pulex in impium quendam impressionem fecisset, eumque graviter proboscide perfoderet, cæpit in subsidium Herculem malorum aversorem, monstrorum dumitorem implorare. At Hercules preces aversatus, & hominis impietatem perosus, non adfuit. Excusso autem

demum

demum pulice, vel ejus certè irâ tandem exatiata, impius ille in Herculem, convitia jactabat, qui eo in periculo vocatus opem minimè tulisset, Non videri verosimile affirmans, eum in gravioribus adfuturum. Atque hic apud Græcos in vulgus adactum est proverbium In pulicis morsu Deum implorare.

Quod si quando apud cæteros diverterit, multò modestius ac civilius se habet: timidè enim depascitur; & si fortè hospites adverterit contractiori fronte se intuentes, excedit è vestigio è diversorio, seq; ad pacatiora confert, nisi fortè insigni aliquâ injuriâ affectus, aut impudentiorem aliquem persequens, (hos enim omnium maximè odit) instet pertinacius, & ab inertibus tardiusculisque pænas reposcat: quo in certamine tamen nonnunquam solet occumbere.

Nec id profectò satis mirandum, cùm is fermè sit omnium bonorum exitus, qui cùm flagitiosos persequerentur, jugulati, aut certè oppressi fuerint à malis. Adde quod si prudens rerum natura pulicem admonuerit, ut facessat, nulla mora est, quin

quin protinus ſeſe det in pedes, & ſtationem relinquat. Non autem omnis admonitio de trivio petenda eſt, quando ſunt omnibus animantibus certa quædam ſymbola, quorum notionem eis natura impreſſit.

Sic videmus apes tinnitu congregari, & pulvere injecto à pugnâ deſiſtere: ſic ſtymphalides ab Hercule non niſi crotalis ejici potuêre: ſic Pythagoras certâ voce bovem à fabis inhibuit. Pari itaque ratione conſcii arcanorum naturæ, ubi primũ Cuculum avem canentem audivêre, quicquid pulveris eſt ſub veſtigio dextro, colligunt, atque in hunc uſum ſervant. Cùm enim pulicum tædium eos carperit, pulverem eum aſpergunt; ex quo obſequioſi illi contubernales commeatum ſibi datum intelligentes, non minas, non jurgia, non digladiationes expectantes, protinus excedunt, & contubernium relinquunt. Alni folium ſcimus eſſe glutinoſum; id cubiculariæ, natio pulici infenſiſſima, ſpargũt, ut pulices hæreant, nec extricentur. Abutuntur etiam lacte præſtantiſſimo aſinæ, quoties invitos pulices ad Comitia pernicio-

niciosa in alba stragula respersa cogunt: tum aquam in qua decocta est ruta, in imbrem depluunt: *Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta.* Imo cincindulas, vermes sive muscas noctilucas suspendunt, ut omni exterminio abstineantur. Vidimus tamen illustrissimorum natalium fæminas, quæ, cùm collum torque aureo, vel margaritis ornare non possent, catenam auream pedi alicui inferiori injicerent, ne gratissimus, adeòq; utilissimus hospes invitâ herâ discederet. Tum verò in tenella brachia productum gloriabantur, seseque jactabant peregrinis, plus quàm Domini de canibus venaticis, equis grallatoriis & hortis amænissimis. Nam nisi catenâ attineretur, nulla ejus foret copia, nisi remotis cincindulis noctilucis, magna ob super exabundantis sanguinis copiam cum valetudinis dispendio.

Cæterùm nec heluo, nec vorator est pulex; sed nimio contentus cibo, utpote qui per inediam multos etiam dies transigat. Cujus rei potest ejus gracilitas facilem fidem facere: quam, si credimus Erasistrato, se arctius substringentes Scythæi, imi-

tan-

tantur, ut ita expeditionibus ſint aptiores, ac fame à gravioribus negotiis minimè avertantur. Illud etiam inter cætera comitatis ac modeſtiæ teſtimonia connumeraverim, quod dum cibum capit minimè rixatur, minimè obſtrepit, ſed ſilentium ſervat, quale ne Pythagorici quidem. Inter æquales verò nulla contentio, nulla invidia, nulla controverſia, ſed conſtans ac perpetuum fœdus. Quo nomine ego pulicem longè quàm muſcam majoribus dignam laudibus puto: nam qui illam maximè laudare conati ſunt, dixerunt ejus improbitatem, impudentiamque ab Homero fuiſſe celebratam. At magnus ille & admirabilis philoſophus Ariſtoteles de inſectorum generatione verba facturus, unum omnibus pulicem, ceu multò cæteris nobiliorem antepoſuit.

Urbanitatis etiam ac elegantiæ illud maximum indicium eſt, quòd cùm ſcarebæus & alia quædam inſecta, ceu perniciem, unguenta & ſuaves odores averſentur, hic illis non ſolùm oblectari, ſed & feſtiviter uti ſoleat. Et ne fortè pulicem à Venere & gratiis abeſſe putes, longa inter

eos

eos est amplexatio, longa exosculatio. An promiscua ipsi sit Venus, an verò, legalis, nondum compertum: ad altera tamen videtur convolare vota, quòd sæpius inæqualis staturæ, adeòque ætatis inveniatur sociatus.

Cap. XXXIX.

REPTILIA.

AD Fungciang genus est nigerrimi serpentis, ex quo contra morbos complures fit alexi pharmacum, Urbs Nanyang in Honan producit genus serpentis maculosa pelle, albis cutis maculis distinctâ: hunc in amphora sui vini, seu phiala maceratum, contra paralysis, adhibent Sinenses Medici.

In Huquang, sub Hoangcheu serpentis genus est, quo contra lepram utuntur & scabiem.

In monte Cutien, ad urbem Kiuchen, in Chekiang, serpentes sunt minimè noxii, adeò ut & veneno careant.

In Irlandiâ inveniuntur saxei serpentes.

tes, ſpiris etiam in ſe contortis, qui non aliâ ratione proveniunt in lapidum metallis, quàm conchæ apud Magarenſes. Apage illos qui vivos hos ſerpentes fuiſſe, & incantamento in lapidem verſos eſſe, de quibus neſcio fabulis perſuadere nituntur: quaſi materia lapidis aliquando fuerit inſtar ceræ lique factæ, ex quâ ſerpentes illapſi ſeſe expedire non potuerint, antequam rigeſceret, adeò ut fruſtra reluctati ſerpentes in ſpiras ad ultimum halitum ſeſe compoſuerint. Naturæ ſunt hæc, non hominum miracula, & ne miracula quidem, cùm ex ſuis videantur pendere cauſis.

Memorant quoddam genus ſerpentis, quod ſacrum vocant, cùm omnes ſerpentes loco cedant, ut ſolus vacuâ dominetur in aulâ: & falconem habent aucupes, ejusdem naturæ.

Non ſolùm in Africa magnitudo anguium mira: nam nonnulli, ubi triremi applicuiſſent, oſſa boum multorum vidiſſe narrant, quos abſumtos eſſe ab anguibus non dubitarent, cùm triremes productas in altum quam primum an-

angues insectarentur, & nonnulli aggressi triremem everterent, referente Aristotele: sed etiam circa Norvegiam apparent, interdum ad centum, ducentos, etiam trecentos longi pedes, tranquillo mari nautis infesti, adeò ut hominem quandoque ex navi abripiant. Navim ab eis involvi tradunt tantam, quantæ ferè in Europæis fluviis aut lacubus majores fieri solent, quæ mercium vecturæ destinantur, & involutam subverti. Spiras supra mare tantas aliquando erigere, ut navis per unam transire possit, refert Olaus Magnus.

Varia eorum genera esse, nemo dubitat; Raudeletius unum ita describit: Terreno vel fluviatili simillimus est, ad trium vel quatuor cubitorum longitudinem accedit: corpore rotundiore est quàm anguilla, capite Congro similis, maxilla superior inferiore longior est, dentes habet in maxillis & in pallato, Murenæ modo, sed rariores pinnulas duas ad branchias veluti anguilla. Colore est fulvo, venter & rostrum cinereo, oculi flavescunt. Internis partibus à Muræna non differt. Nullus est omni-

omninò, qui primò aspectu hunc serpentem esse non judicet.

Si captus dimittatur foràs, in arenam rostro quamprimū adacto terebrat, subitque totus, mirâ celeritate.

Schiltbergerus, Bavarus Monacensis libro de peregrinationibus suis, quas captivus à Turcis obivit, ista refert: In regno Genyk vocato urbs est nomine Sampson. Eam, quo tempore ego apud Vueiasitam Turcarum regem eram, colubri aquatiles, & serpentes terrestres innumeri circumquaque per milliaris ferè spacium circumdabant. Venerant autem hi è sylvis, quæ multæ sunt in vicina regione, Trieusik dicta, illi verò è mari. Hi dum colliguntur, per novem dies nemo præ metu ex urbe egredi audebat, quamvis nec hominem, nec alia animalia læderent. Quamobrem urbis aut regionis princeps, ne quisquam etiam hominum eos læderent, edicebat: non sine jussu divino rem adeò mirabilem & magnæ alicujus mutationis signum evenire interpretatus.

Decimo die duo hęc serpentium genera inchoatum diluculo conflictum ad Solis

lis usque occasum perduxerunt; quo animadverso, princeps cum paucis equitibus urbem egressus, pugnam spectare voluit. Cedebant autem aquatiles terrestribus. Reversus in urbem, ac postridie summo mane denuò egressus; nullos amplius vivos, sed occisorum tantum serpentium octo millia reperit, quos omnes scrobe defossa, humo tegi curavit, & Vueiatitæ regi, nuper eâ urbe potito, rem omnẽ literis renuntiavit, qui hoc ostento, tanquam prospero sibi, & felicia portendente gavisus est.

Conger, vel Congrus, etiam Gongrus serpentinæ speciei piscis vel Aristotele teste, est vel albus & pelagius, vel nigricans: longus est & lubricus, binas utrinque habet branchias, alteras simplices, alteras duplices, Gula ei exigua, contra aliorum ferè piscium morem. Habent Congri fæturam, sed non in omnibus locis æquè conspicuam; neque enim ob pinguedinem apparet. Est autem in longum protensa, quemadmodum in serpentibus, verùm in ignẽ conjecta manifesta fit. Quod enim pingue, liquitur, & in vaporem abit;

ovo verò exiliunt, & ab igne elisa crepitant. Præterea si digitis contrectes & teras, subesse pinguedinem levem, ova crassicula sentias. Congri itaque alii pinguedinem solùm habent; ovum nullum; alii contra, pinguedinem nullam, ovum autem, quale modò exposui. Postremò binas tantùm pinnas habet.

His adde similitudinem cum anguillâ, quæ apud Athenæum ipsi tribuitur: imitatur enim eam tum corporis formâ, tum etiam colore, unde est, cur nonnulli anguillam marinam nuncupent, facilè tamen ab hac internoscitur: oculos enim habet longè quàm Anguilla majores, amplis item & candidis in lateribus, & dorso maculis variat, quibus anguilla caret. Est item linea nigra in exteriore parte membranaceæ pinnæ, quæ per dorsum extenditur conspicua. Habet denique duo brevia cutacea cornicula in extremo rostro: dentes parvi sunt, pectinatim coëuntes. Sæpè in quatuor aut quinque cubitorum longitudinem excrescit: imò Athenæus loquitur de palustralib. Sunt triginta, sunt sexaginta librarum Europæi, toto dorso rubent,

rubent, ventre & lateribus pallent: pinnæ branchiarum & os ipſum rubent.

Conger apud Gallos & Romanos in nullo, apud Hiſpanos in aliquo eſt pretio, quē Græci Deorū putabant menſis dignū. Anheſtratus pipino ingenioſiſſimus, teſtatur in Italiâ capi optimum, tantumque cęteris præcellere, quantum pinguis thynnus viliſſimis Coracinis, referente Athenæo. Antagoras poëta, inquit Plutarchus, Congrum coquebat, & ollam ipſe movebat: Antigonus rex à tergo aſſiſtens, putasne ait Antagora, Homerum Agamemnonis geſta deſcribentem, Congrum elixâſſe? cui ille, Tune verò putas, ô rex, Agamemnonem tantis rebus intentum, adeò curioſum fuiſſe, ut, quiſnam in caſtris Congrum coqueret, non ignorare voluerit?

Reperio denique tanti fuiſſe æſtimatum hunc piſcem, ut obſonium Diis immortalibus condignum fuerit habitus, poſtquam Euphron in Adelphis Nireum quendam Chium Diis Congrum elixâſſe ſcripſit: licet & aſſus quàm jucundiſſimè ſapiat, adeò ut coquus quidam apud Phi-

lemonem, referente Athenæo, in hæc verba prorumperet: Invasit me terra cæloque narrare, quantam voluptatem ceperim ex egregio illo Congro, quem paravi nullis condîtum caseis, nec ullis denique floribus aspersum; sed qualis vivus, talis assus erat, tener omninò & molli igne tostus &c. & sicuti gallinæ prosequuntur sui generis avem, cùm cibum ore tenet majorem, quàm devorare queat; sic illum, qui primus Congrũ ex olla arripuit, cùm, quàm delicatus esset hic piscis primùm cognovisset, alii convivæ persecuti sunt, quod si illi qui vilioribus vescuntur, piscibus, scarum haberent &c. aut è Sicyone Congrum, quem Neptunus ipse Diis affert, omnes sanè eo gustato, facti fuissent Dii; nam si vel mortui hunc odorentur, reviviscunt.

Apparet autem asso elixum prælatum fuisse: nam Diocles interrogatus Conger an Lupus præstaret, hic assus respondit, ille elixus: Et Antiphanes Anguillam in aqua sale & origano condita elixari jubet, similiterque Congrum. Majores quoque parvis præferebant, sic enim Terentius:

Dro-

Dromo, Congrum istum maximum in aqua sinito ludere paulisper; ubi ego venero, exossabitur: prius nolo. Quod Plautus fortasse dixit exdorsuare. Solebant enim antiqui spinas & ossa eximere, ut carnes expeditæ gratiores redderentur, idque fiebat binis bacillis utraque manu comprehensis, ut medius piscis astringeretur, detergeretur. Hinc Platina, Coquitur murena ex ossata, more majorum, ut anguilla, sublato corio, capite & cauda. Commendabatur tamen Congri caput, adeo ut Archedicus coquus sese illud emisse quinque drachmis profiteatur. Mirum verò etiam est, quod narratur à Nicandro, de piscis audacia, sæpius nimirum prodeuntem è vivario, laboriosos piscatores in solum fugientes, mordere, & è navibus in mare pronos dejicere, rursus ferox & immanis fit, mirum tamen, quantum mitescat, feritatemq; exuat. id quod illius Murænæ exemplo inprimis constat, quam L. Crassus, qui cum Cn. Domitio censor fuit, in auribus & gemmis distincto monili, tanquam sanè eximiam formæ pulchritudine puellam exornasse Macro-

bius & alii prodiderunt. Hæc enim appellantis vocem crati cognoſcebat, & ad eum adnatabat, cùmque quippiam ei porrigebat gaudio exiliens, promto paratoque accipiebat animo; ideóque ſic ab eo amata fuit, ut mortem fleverit uberius, atque honore ſepulturæ affecerit. Et cùm aliquando Domitius in eum acerbius dixiſſet, Stulte Craſſe, muranam flèviſti mortuam, reſpondiſſe fertur Equidem ego de beſtiæ morte flèvi, tu verò nullos, ne ex trium quidem uxorum interitu, quas ad ſepulturam dediſti, luctus percepiſti. Et Hortenſius ſuam muranam exanimatam eſt lacrymis proſecutus.

Varro ſcribit: C. Hirtius, circum piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia ſeſtertia capiebat: eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. non mirum, uno enim tempore memini hunc Cæſari ſex millia muranarum mutuo dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertio villam veniſſe: erant autem Cœnæ triumphales Cæſaris Dictatoris, ubi nec pretium, nec aliam mercem accipere voluit. Idem Varro dicit,

dicit, Vivaria ædificari magno, impleri magno. M. Tullius, ut suam in cibo modestiam atque temperantiam Gallo indicaret, ait de seipso, qui me ostreis atque murænis facilè abstineam. Contrà Heliogabalus, qui in eo totus erat, ut totum perderet Romanum imperium, murænarum lactibus, referente Lampridio, & luporum, in locis mediterraneis pavit rusticos. In convivio Attico, quod Matron Parodus descripsit, opponitur muræna tàm grandis, ut mensam operiret. Sed redimus ad serpentes.

Commemorantur quamplurima prudentiæ, solertiæ, astutiæ & calliditatis serpentinæ testimonia, quæ sunt duorum generum: nam alia indicant prudentiam & astutiam serpentis in procuranda & tuenda salute sua; ut quòd singulis annis tempore veris, veterem pellem exuat, per foramen angustum penetrando, & novam induat: quòd visum hebetem ex diuturna obscuritate loci, in quo hyeme latet, renovet, & perspicaciorem efficiat, oculos ad marathrum seu fæniculum admovendo: quòd cùm se exosum esse sentiat, sollicitè de-

declinet & refugiat homines ſibi adverſos: quod fugiat vocem pavonum, & afflatum cervorum, qui, ut teſtatur Solinus, ſpiritu narium ſerpentes extrahunt de latebris cavernarum , & eos abſorbent: quòd, dum caput ipſius petitur, totum corpus in gyros involvit, totumque corpus plagæ ſolvicit, tantum ut caput, in quo incolumitatem ſuam conſiſtere novit, occultet, & ab ictibus tueatur: ſcit enim, ſe capite contrito vivere non poſſe, imò capite læſum non poſſe ſanari, cùm reliquas corporis partes facilè ſanet; quòd totius corporis venenum in collum colligat, ut, ſi neceſſitas exigat, habeat in promtu, quo ſe defendat: quòd in aquam deſcendens, venenum in tuto loco reponat, ut inde ab aquis recedens reſumat.

Alia verò indicant prudentiam & aſtutiam ſerpentis in inſidiando ac nocendo aliis, ut, quòd occultè, callidè atque inſidioſè hominem mordere ſolet, & quidem morſu lethali: idque hominis odio, & nocendi ſtudio: quòd homini nociturus inſidietur ei non juxta foramen ſuum, aut in deſerto loco, ſed juxta viam, ſcilicet in lo-

æco frequenti, ubi non futurus esse putatur.

De primâ specie intelligi potest Christi admonitio, Estote prudentes sicut serpentes; sunt autem inter hominem & serpentem à Deo ipso grandes inimicitiæ positæ. nam homines oderunt serpentes, & fugiunt metu eorum: ac vicissim serpentes fugiunt homines, & hominis saliva sibi fovens eorum penetraverit, moriuntur, teste Plinio. & dicuntur inimiciores esse fœminis, quàm manibus: nam in magno hominum conventu, si unica adsit fœmina, eam primò lædere conabitur serpens.

Bodinus quærit in theatro, cur serpentes fœminæ sæviores sint, ac majores, adeoque vivaciores, quàm mares? Respondet: Id non modò in serpentibus conspicimus, verum etiam in omni genere piscium & insectorum, atque etiam rapacium avium ac ferarum immaniorum, cujusmodi est visa, panthera, tigris, corpore a-vis minor est in maribus, quàm in fœminis. nam fœmina maris percussorem in turbâ confertissimâ unum consectatur, ac

ſæpia quoque fœmina marem percuſſum ulciſcitur; mas verò percuſſa fœmina fugam arripit. quod in tota natura fecit ſapiens opifex, ut in iis, quæ noxia videntur, nocendi vis imbecillior eſſet: at in hominum, pecorum & jumentorum generibus, quæ cæteris præſtant, mares fœminis grandiores ſunt ac robuſtiores, & formæ dignitate præſtant, ut ab iis utilitas uberior, & adjumenta majora hominum generi tribuerentur.

Quia autem hîc jam agimus de ſerpentis calliditate, operæ pretium erit, breviter examinare, An incantatio vim habeat impediendi morſum ſerpentum? Sic enim legimus in Pſalmo ſeptuageſimo octavo Venenum ipſis ſecundum ſimilitudinem veneni ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, quæ obturat aurem ſuam: quæ non odit ad vocem incantantium; conjurantis conjurationes periti, ſcilicet incantationum, vel ut alii reddunt adverbialiter, peritè, ſcienter. Et Jeremiæ octavo. Nam ecce, immiſſurus ſum ſerpentes hæmorrhoidas, contra quos nullæ prodeſt muſſitatio, ſive incantatio, ut mordeant vos, dictum Jehovæ.

væ. Et Eccles. c. 10. si momorderit serpens nondum adhibita in cantatione, tum nullum est emolumentum incantationis, tenenti verba ejus.

Nunquam potui mihi persuadere, per se, ac sua natura ullam vim inesse herbis, aut vocum mussitationi, characteribus, delineationibus &c. ad nocendum, aut etiam juvandum, aut impediendum. Sed respondet Calvinus, Si quis interroget, an possint serpentes incantationibus abigi? Responsio in promtu est, Prophetam hîc non respicere quid verum sit, sed loqui ex communi hominum sensu. fuit autem hoc seculis omnibus receptum, serpentes posse abigi incantationibus, vel occidi, vel spoliari nocendi virtute. Virgilius:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quod dixit profanus poëta, etiam ab aliis gentibus fuit creditum. Cùm ergò hoc vulgò persuasum esset, propheta dicit, Si putatis, serpentes istos posse averti, & noxa quæ ab illis prodeunt, fallit vos hæc fiducia; neque enim erit illis incantatio. Imò propheta perstringit obliquè Judæos,

& comparat ipſorum fallacias incantationibus: quaſi diceret, Putatis poſſe hoſtes blanditiis, vel aliquo pretio mulceri, ut minus vobis noceant: putatis etiam, vos habere ad manus varias rationes, quibus liceat avertere, quæ vobis impendent mala: fruſtra inquit, ſpes iſtæ vos decipiunt. nam omnes incantationes erunt frivolæ, & nullius momenti apud iſtos ſerpentes. Nunc ergò tenemus conſilium prophetæ, & videmus ironicè ſub hoc figurâ rideri ab ipſo aſtutias populi, & alia remedia, quæ putabat ſibi fore in promtu, ſi hoſtes propius urgerent. Atque hactenus Calvinus.

Eſt itaque ſimilitudo ſive locutio parabolica, à vulgi opinione deſumta. refert tamen Geſnerus ex Auguſtino, Hieronymo, Iſidoro, Caſſiodoro, aliiſque, Aſpidem, cùm incantationibus ſe acceſſeri ſentit, ſtatim unâ in terram aure defoſsâ, alteram cauda obturare, ne carminum vocem exaudiat.

Movet hîc Auguſtinus aliam quæſtionem, an ſcilicet in citatis locis incantationes approbentur. Et rectè quidem reſpon-

spondet, Non; undecumque datur similitudo à scriptura, laudatur res ipsa: Sed tantùm similitudo indetrahitur. Non enim laudavit iniquum judicem Luc.18. qui nolebat audire illam viduam, quique, ut ibi dicitur, nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Tale est & illud de dispensatore iniquo Luc.16. & tamen inde similitudinem Dominus traxit. Ergò de rebus non laudandis trahuntur secundum quendam modum similitudines. Aut si propterea putatis esse eundum ad Marsos, quia hoc audistis in sacra scriptura Dei; eundum est & ad spectacula theatri, quia dicit Apostolus Non sic pugillor, quasi aërem cædens &c.

Nos itaque existimamus, vanam esse artem omnem incantandi, ut & medicinam eorum, qui ut pharmacis, ita etiam verbis quibusdam, ad morbos quosdam uti jubent; neque verbis solùm prolatis, sed & scriptis ægro alligatis, aut suspensis.

Non nego tamen, aliquando levissimis hominibus, & qui admittunt incantatores, utilem esse quodammodo suam credulitatem, quia (ut inquit author libelli

de incantatione, qui est inter Galeno-adscriptos) quando mens humana, ut authoris verba ipsissima referamus, rem amat aliquam, licet naturaliter non juvativam, sibi eam prodesse certificat: ex sola autem mentis intentione corpus res illa juvat: verbi gratia, si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscunque sit, cum tamen juvat.

Hæc ille: quibus verbis innuit, incantationes aliquando prodesse ad pellendos morbos, ob confidentiam infirmi. Nimirum ut timore & desperatio ac mæstitia plurimos morbos augent, & ægrotos lædunt; ita confidentia, gaudium, animi alacritas plurimos sublevant, & ipsa imaginatio per eos animi motus, morbos tollit, aut saltem minuit, aut cùm minimè, in iis qui vehementissimè confidunt, opinionem efficit sanitatis; verùm hanc incantationum utilitatem, constat ex accidenti esse, ob affectus animi ejus, qui curatur, non per naturalem verborum potentiam.

Sic decumbebat Coloniæ Agrippinæ vir multi æstimii ex nimio fluxu sanguinis

per

per nares, cui nullum par inveniebatur remedium. Ad extrema pro labentem considerant familiares, & extrema audenda consulunt, nihil morati Medicorum gratiam, empiricum plurimæ in vulgus famæ accersendum censent: is admissus, spargit continuò panicum terrorem; conclamatum esse, scriberentur tabulæ extremæ voluntatis, paucula momenta vicissitudinem nunquam redimendam allatura, sua exilia post tot & tam exquisita remedia nihili fore: itaque recedit paululum. Consternatur ægrotus, coit formidine sanguis, & succedit salus.

Tum verò alius, rus vocatur ad virum & corpore & animo ægrotum: condicit horam vespertinam ejusdem diei, non prodit: ipsum diluculum negligit, adventat tanquam cochlea surrepens ponè meridiem, per summos ægroti languores, & familiarium querelas. Excusat ille tenuiter moram, solatur ex urina à sanitate non prorsus declinata; & cùm sospitatori modestè esset omninò occurrendum, ne spes undiquoq; decollaret, si ipsus ex minimo fastidio ægrotum destitueret; poscit ille

fon-

fontanam recentem , expedit ex pyxide contusum saccharum, immittit in cochleare, circumagit, hauriendum præbet, & ægrotus convaluit propediem. Qui aliquid incantationum addidisset, quod desiderii erat proprium inflammatissimi, tribuisset carmini.

Et ut rem paucis expediamus, nullum verbum est efficax, nisi Creatoris; nullum verbum incantat, id est, immutat, nisi Creatoris; Idem permittit Satanæ fræna aliquando, reductis repagulis, ut suum agat opus in filiis Belial, quibus verbum & desiderium permittit, sibi servans operandi modum per occæcationem, sub legibus utique divinis. Sit igitur incantatio; sed cooperante Satanâ: sit nulla incantatio, quia omnes creaturæ ita sunt in potestate Supremi nominis, ut sine ipsius nutu ac paternâ voluntate, neque regere sese, nedum subsistere queant.

Sed quæritur porrò: an serpens ante maledictionem erectas incesserit? Affirmatur sanè id, ex ipso Mose, quin serpentem censet non inter jumenta, primum genus animantium; nec inter reptilia, alterum

terum genus; sed inter bestias terræ, adeóque ultimum genus animantium: ita eundem tangit maledictio inter jumenta & bestias agri. Verùm existimant alii, Deum serpenti de priori incessum bit mutasse, sed naturam converti se in pœnam, sicut homini nuditatem, mulieri conceptum & partum liberorum: quia non est verisimile, Deum post lapsum immutasse animalium naturas. Unde etiam statuunt, non modò post lapsum hominum, verùm etiam ante eum tribulos spinosque terram protulisse, sed fortè non in agris cultis, nec tàm frequentes, nec noxias futuras frugibus aut homini. Dicit quoque Moses, non modò post peccatum, sed & antè, Adamum ipsum hortum colere, & custodire debuisse. Sunt etiam, quibus eadem ferè rerum natura fuisse videtur ante ac post lapsum; qui Deus certò prævidens hominis lapsum, eam fecit rerum conditionem & statum, quam postea extare voluit, & futurum destinaverat.

Sed portò quæri potest, quo sensu dicatur pulverem comedens omnibus diebus vitæ tuæ? Respondeo; sensus est, coge-

ris

ris pronus ita reptare per terram, ut pulvis terræ tibi ingeratur ori, quà gradiendo elevare te non poteris, ſed reptando per ſinuoſos inceſſus terram movebis, quæ tibi os & nares implebit. Alioqui novimus, ſerpentes aliis veſci cibis, neque terrâ nutriri; quia etiam herbas, & alia animalcula devorant ac deglutiunt. Non itaque refertur eſus terræ ad Alimentum; ſed ad incommodam, & velut coactam in os receptionem; ob concitatum rependo pulverem præſertim additis per peccatum inimicitiis inter hominem & ſerpentem; quibus fit, ut ſerpens aſpectum hominis fugiens, in terræ cavernis & meatibus delitescat, & ſi quando egrediatur, perpetuò pavidus, dum fugere tentat, cogitur ſe in pulvere volutare.

Exiſtimat Rivetus, ante maledictionem ſerpenti occurſum hominis non fuiſſe terrori, itaque nec pavorem nec metum, ut ſeſe ſubduceret, ingruiſſe. Addit quoque, ſummam ſeu anteriorem corporis ſerpentini partem, quicquid ſit de aliâ, terram, ante maledictionem divinam, non contigiſſe, dum ſe commoveret; ut ſi nihil fue-

fuerit mutatum in corporis forma & figura, tamen hoc certum sit, de agilitate & incessus decore fuisse ei aliquid ademtum; atque hoc ad maledictionem pertinere, quòd terram lingat, & in pulvere voluret se, atque adeò in eo singulare Dei judicium ponendum esse, quòd nunc serpentes humi repentes, pulvere & sordibus velut saginentur & à locis cultis & amænis ita arceantur, ut inter omnia animalia vitam degant miserrimam.

Ex hac serpentis maledictione proverbium ortum habet, Lingent puluerem sicut serpentes. Mich. 7. de suma & extrema abjectione ac habitu eorum, qui se victos fatentur, & à se verbera, plagas, aut gravem aliquam ignominiam supplices deprecantur, aut humillimum aliis & abjectissimum deferunt obsequium. Hi enim abjiciunt se quàm maximè possunt, ita ut humi strati toto corpore contingant terram. Isai. 29. vultu in terram dimisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Thren. 3. ponent in pulvere os suum, si forte sit spes.

Serpentes quia natura frigidi sunt, de-

lectantur locis calidis; unde plures reperiuntur in India, Africa, & in locis quibusdam Asiæ: qua in re consideranda est sapientia Dei, quæ hæc animalia perniciosa voluit esse frequentia in illis locis, ubi pretiosi fructus & aromata proveniunt, quibus uti possent homines contra venena serpentum. In locis frigidis, ut fermè in totâ Europâ, minus terribiles serpentes gignuntur, siquidem etiam in his non tam præstantia aromata, & alia remedia progignuntur, quàm in locis calidioribus.

In hyeme abscondunt sese serpentes in suas cavernas, ibique per quatuor menses frigidissimos habitant, veluti semi mortui, & expectant vernum tempus, & tunc à suis cavernis, quæ sunt sub terra, sub saxis & cavitatibus arborum, egrediuntur. Pedibus caret, inquit Franzius omne genus serpentum: unde fabulosum est, quod affertur de quadrupedibus serpentibus inprimis de draconibus, nisi quis ex imperitia crocodilum vel lacertam, vel simile quippiam appellârit serpentem. Unicum caput, & unica lingua singulis serpentibus data est, adeòque fabulosum est inveniri

ser-

ſerpentes bicipites, aut bilingues. Amphiſbæna enim, quia prorſum & antrorſum ſerpere ſolet, & utroque eſt extremo obtuſo, factum eſt ut biceps eſſe quibusdam videretur: vel figmento occaſionem præbuit, coitus per omnes partes corporis arctiſſimus.

Lingua quoque ſerpentum valde tenuis & longa, & quæ plurimum poteſt protendi, vibratur tenuiſſimis quaſi discreta quibuſdam capillamentis, unde videtur eſſe bifida. Similiter fabuloſa videtur Bodino narratio de ſerpentibus alatis & volantibus; quia licet ex Arabia & Africa, ubi eſſe dicuntur, mercium omne genus & beſtiarum cadavera in Europam advehantur, nemini tamen alatus ſerpens, aut vivus aut mortuus, ac ne exuvium quidem uſquam viſum à noſtris memoratur. Attamen expreſſa fit mentio draconum volantium apud Iſaiam cc. 14. & 30. quales ajunt paſſim reperiri in Ægypto, Lybia &c. ſolent autem Dracones inter ſerpentes numerari.

Et Philo in vitâ Moſis deſcribit inſignem illam expeditionem, cui Moſes fuerit

rit præpositus, ut ignominiam susciperet, & gratiâ regis excideret: ille verò Ibin, ciconiæ persimilem avem, & Ægypti propriam, conquirit, domunculas ex papyro conficit, hastilibus imponendas, & hostes inopinatissimos aggressus à tergo, desertũ ingreditur, in serpentes alatos incidit, & primã ab illis victoriam per Ibes immissas reportat; alteram de hostibus aliud quidvis cogitantibus; itaque ovans revertitur in Ægyptum.

Alia oritur quæstio, An magi Pharaonis veros serpentes produxerint? Quidam existimant, quæcunque magi fecerunt, meras fuisse illusiones. Alii dicunt, magos illos maximâ celeritate fuisse usos, & virgas oculis spectantium ita subtraxisse, ut serpentes aliunde allatos, vel ad id paratos substituerint in eorum locum. Nonnulli statuunt veram ac realem fuisse conversionem virgarum, quas in cantatores tenebant, in veros serpentes. Sed conversionem illam non fuisse supra naturam, quia operâ dæmonum facta fuerit per causas naturales, applicando, ut loquuntur, acti-

va

va passivis, cum ea promtitudine, ut quæcunque necessaria sunt ad alterationem, & ad generationem animalis ex præjacente materia, ea omnia in nictu oculi fuerint facta, ita ut projectis virgis, statim ex iis veri serpentes facti fuerint: quod quidem hominibus mirum fuit, qui causas non videbant, nec videre poterant; verum autem effectum oculis cernebant. Credunt autem, imperfecta illa animalia potuisse dæmonem brevi tempore, ex putrefactis virgis producere; neque id vires ejus superare. Quod enim Sol & aqua possunt aliquibus diebus efficere, potuisse illum citius præstare mediis, quæ novit in tota rerum natura, efficacissimis adhibitis.

Tertia opinio est eorum, qui volunt, Deum etiam aliquid extra ordinem operatum fuisse in actu eo, non quidem ad mendacii confirmationem, sed quemadmodum aliquando miracula fecit per mala instrumenta, ad promovendam gloriam suam, sic etiam per magos istos, non in eum, quem sibi proponebant finem, sed in eum, quem sibi proposuerat, quo ju-

stam

ſtam Pharaonis punitionem voluerit procurare.

Accedit Riveti ſententia, Non fuiſſe ſcilicet meram illuſionem & ſpectrum, ex turbatâ phantaſiâ, quod fecerunt magi; ſed dæmonem ex virgis illis ſubito mutatis, efformâſſe corpora ſimilia corporibus ſerpentum, quæ quidem vera fuerũt corpora, ſed inanimata, defectum autem illum ſuppleviſſe dæmonem, illa movendo, ac ſi veri fuiſſent ſerpentes.

At objicitur, quòd magi dicantur ſic feciſſe, nempè quemadmodum Moſes fecerat; at Moſes verè creditur virgas mutâſſe in ſerpentes vivos. Deinde ſi magi non mutaverint virgas in ſerpentes, cur Moſes fraudem non detexit? non eſt enim probabile, Deum voluiſſe permittere, ut in re tàm gravi falleretur. Denique cur magi non æque, atque eodem modo, aut ſimili, potuerunt producere ſciniphes, quo dicuntur ſerpentes & ranas produxiſſe.

Ad prius reſpondemus, ſic quidem feciſſe magos, ſed illud ſic referri tantùm ad res productas, quia ſimilia produxerunt iis

iis quæ à Mose facta fuerant; non autem respicere modum faciendi. Nam alioquin statuendum esset, æquè verè ac divinum miraculum, à Magis, quàm à Mose perpetratum fuisse, & quidem per vim soli Deo propriam. Adque adeò quod fecerunt magi, fuisse opus ipsius Dei, quemadmodum ea, quæ divina virtute per Mosen acta sunt.

Ad secundum dici potest, Mosen satis detexisse fraudem, cùm serpens Mosis devoravit Ægyptiorum serpentes: tum enim patebat, prævalere miracula divina: & id potius demonstrandum fuisse effectu, quàm verbis, quibus Ægyptii non adhibuissent fidem.

Ad tertium, quòd Deus inhibuit Majorum conatus, ut tandem impotentiæ arguerentur, & notum fieret, nihil illos posse sine divina promissione; ita ut ne in parvis quidem nocere possint, nisi quatenus eis laxare voluerit habenas.

Nos rem accuratius expendentes, asserimus, unum esse Deum omnipotentem, patratorum miraculorum: magos dæmoniorum servos, habere à magistro præeun-

te ſpeciem miraculorum , vera miracula non habere, ita ſcilicet, ut è naturalibus efficere poſſint, quæ noſtrum captum ſuperant, dæmonis vires non ſuperant: quin imò Dæmonem præſtare ad ipſorum muſſitationes mira quædam ſive vera, ſive ficta, deluſis ſenſibus, quæ ipſi magi non poſſunt adſcribere carmini, ſed potentiæ humanâ majori. Permittit Deus, ut ſeſe in angelum lucis transformet, teſte Apoſtolo; quidni permiſerit aliquo uſque conformitatem miraculorum? idque pronius eſt credere, quòd nos noſtri ingenii vires, & quæ habet artium ſemina non intelligimus, angelicâ exiſtentiâ longiſſimè inferiores. Ubi dæmon mentem occupavit, hominem ad quævis ſceleroſa impellit, ut patrentur: ſi nequit eò uſque eum propulſare, deſiderium ſceleris ſuſcitat, ut homo aſſentiatur, & turbata credat phantaſia ſibi peracta, quæ ſomniavit. Cùm ſenſus pervertat, inſinuet in animum, rebus aliam faciem circumdet, tumultuetur, ædes turbine corripiat, ignem è nubibus immittat, quidni & corpora transferat viventium, & dilatet, redigatque quæ opifex multo

labo-

labore & tempore confecit? Vel hinc elucet, in quantis periculis versemur, nisi fide custodiremur ad salutem.

CAP. XL.

QVADRVPEDIA.

O*Ves* per Sinam multæ, quales in Perside ac Tartariâ, oblongam & crassam trahentes caudam, cujus caro præ reliquâ suavissima.

Tieki urbs militaris, optimas alit *vaccas*, uti sunt Tibetanæ, quæ caudas habent longissimas & crassiores, cincinnatis pilis: eas ad signa militaria exornanda expetunt Sinæ.

Sub Cingcheu & Tengcheu urbibus, *lapis è vaccarum stomacho* educitur, dictus Nieuhoang vaccarum luteum, quia nimirum lutei plerunque coloris est, magnitudine varia, subinde ovum anserinum æquat, non tàm solidus, ut lapis Bezoar, adeoque multo levior præ illo à Sinensibus medicis commendatur expetiturque. Dicas, ex Cretâ molliori, sed lutea siccaque

constare. Frigidissimæ qualitatis eum esse volunt Sinæ, & ad catharros deprimendos apprimè conducere: ajunt, ejus pulverem in ebullientem aquam conjectum, eam mox sistere, ac quietam reddere. Præterea si vel pauxillum frigidæ aquæ super imponas, exhalationem emittere, & quàm celerrimè aquam descensu suo penetrare. Fortè fuerit Arabum Haraczy.

In Quangtung, ad Luicheu est animal, quod Sinæ *velocem vaccam* vocant, & in vertice capitis, à fronte, oblongo ac tereti armatur cornu, tantæ velocitatis, ut trecenta stadia facilè uno die superet.

In Cincheu animal est *cornutum*, *vacca* non absimile, cujus cornua candidissima ipsum ebur superant: salis alioqui amantissimum, unde venatores illi saccos salis plenos objiciũt, quos ita amat, ut sui quasi immemor, ligari se permittat potius, quam salem, saccis contentum, lambere desinat; atque ita capitur, necaturque.

Est & *vacca marina*: de qua vide Amphibia.

In Kiangsi, maximè ad Nanchang, *porcos* ubique intra & extra mænia, summa dili-

diligentia alunt, adeoque frequentes sunt intra ipsam urbem, ut sæpè per plateas vix transitus pateat, tanta undique occurrit porcorum multitudo: inde tamen plateæ minimè sordidæ sunt, omnia enim, porcorum etiam, excrementa Sinæ accuratissimè colligunt ac pro agrorum stercoratione divendunt. Vide mores.

Kinhoa sub Chekiang præstantissimos præbet petasones, qui toto hoc in imperio maximo habentur in pretio.

Peking *feles* habet omninò albas, longioribus pilis, protensisque auriculis, quæ canum Melitensium habentur loco: matronarumque sunt delitiæ: at mures minimè capiunt, fortè quia delicatè nimis nutriuntur. Haud tamen desunt etiam aliæ, murium egregiæ venatrices, licet minus lautè habitæ, eoque fortè meliores.

Junnan alit *equos*: & Xensi in monte Holan, qui 300 occupat stadia complures sylvestres: generosissimos habet Po civitas militaris in Suchuen.

Siven munimentum flavis scatet *muribus*, iisque majusculis, quorum pelles expetuntur à Sinis.

Xensi habet animal *Xe*, unde Xe hiung, hoc est, animalis Xe odor seu fragrantia, quod muschum significat. Tuber seu exuperantia quædam ad umbilicum animalis est parvum marsupium referens subtili pelliculâ, ac subtilissimis pilis vestita, constans. Quadrupes est, exili cervalo haud absimile, pila paulò magis nigrescente, cornuum omninò expers. Caro occisi etiam pro cibo adhibetur à Sinis. In provinciis Xensi, Suchuen, Junnan locisque illîc ad occasum vicinioribus, ingens muschi reperitur copia. Tubera illa seu marsupia, si sincera sunt, minimèque adulterata, præstantissima sunt, adeoque vehementis odoris, ut organum ipsum, sicut & Zibetus pura (omnisque lux aut sonus æquo vehementior, aures aut oculos) odoratum offendant. At versipelles Mercatores, ex sanguine, pellibus, aliisque animalis exuviis muscho additis, marsupia, quæ pellis animalis subministrat, infarciunt, ac tanquam vera & genuina venditant. Sanyuen Civitas eo maximè nobilitatur. Si ipsum animal ex regno Lu in vicinum Laos transferatur, brevi emoritur, ut

piscis.

piſcis extra aquam. Invenitur & in Suchuen, in montibus urbis Paoning.

Cervi, lepores, damæ, ſimilesq; feræ paſſim vagantur, maximè in Xantung, adeò ut non rarò in ipſis viis occurrant earum greges.

In Xantung ſunt *lupi*, multum regioni hominibusque infeſti.

In Xenſi inveniuntur *urſi* non pauci, quorum pedes anteriores magno apud Sinas in pretio ac delitiis ſunt.

Linyao urbs habet tractum montoſum, qui *uros*, ſive boves ſylveſtres alit, & animalia *tigribus ſimillima*, vulgò Pau dicta, quorum pelles pro veſtibus expetuntur à Sinis.

Xanſi & Xenſi habent pelles animalium pretioſiores præcipuè Zibellinas quas cum aliis provinciis communicant.

Po Civitas militaris in Suchuen, habet *Rhinocerotes*.

Per Chekiang ſunt *tigres*, ſed in monte Cutien, ſub Kiucheu, minime noxiæ, quæ tamen in vicinis regionibus ſunt ferociſſimæ; ſed hîc omninò manſueſcunt, ut nulli omninò noceant.

In Nanning primi reperiuntur *Elephantes* per hanc extremam Aſiam, quos ad pugnam ac equitationem incolæ adhibent: Junnan eosdem alit, eosque optimos.

In Chinyuen, ſub Junnan eſt mons Nalo, tigribus & *leopardis* infeſtus. In monte Xepao ad Gucheu urbem, ſub Quangſi tigres ſunt crudeliſſimæ. In Quangſi ſunt *hyſtrices* majores, quarum ſpinæ ad cubiti ſæpè eriguntur altitudinem, quas, contra quos volunt, evibrare norunt, corporis adhibitâ concuſſione, non absque noxa eorum, quos petunt.

Univerſum terrarum orbem confecerunt argonautæ & Luſitani & Angli & Belgæ; unicornem non invenerunt, quam indagine jam perveſtigare lubet. Septem animalia monocerota, ſive unum tantum cornu habentia, viri eruditi obſervârunt, præ aliis Dalechampius in animadverſionibus Plinianis. Rhinoceros piſcis plerunque in mari rubro capitur, & vix aliud tributi genus ab incolis illius tractus Abyſſinorum regi penditur, referente Alvaro Bermudeſio. Martinus Forbiſſerus, ſuſceptâ in Americam peregrinatione, ſub annum

num ſalutis 1576. cùm Oceanum Septentrionalem menſe Julio, glacie conſtrictum, & tranſitu perdifficilem inveniſſet, ibi conſiſtere coactus, multos piſces frigore, ut putatur, enectos reperit, & in his Rhinocerotem ingentem, inter ingentes glaciei mõtes fluctuantẽ, rotundum inſtar hiſtricis, duodecim pedes longum, cornu duabus ulnis extenſo, minus duob. digitis, è naſo exuberante, quod rectiſſimũ iis viſum eſt, qui viderunt, eodemque modo, ac penè formâ pari cum iis, quæ Venetiis, ac Divi Dionyſii ſpectantur, pars ſumma reſecta, aut fracta erat, cui araneæ impoſitæ, ſtatim expirârũt: Id Angliæ reges Vindſoræ inter pretioſiſſima aſſervandum collocârunt: id quod refert Caſpar Enſius Luſitanus.

Relatum eſt à rerum Britannicarum ſcriptoribus, ſub annum 1588. inventum hujusmodi cornu in littore Sudovolgio ab imperita muliercula, divenditumque exiguo pretio, poſtea uſui magno fuiſſe. Quæ in terra viridi, in novo orbe cornua ſunt, longè figurâ diſſident ab illis, quæ in

mari rubro frequenter visuntur. Nuper Thomas Button & Frobertus Baffin in Insula Fæminea, in Atlantica deprehenderunt totam incolarum opulentiam cōsistere in istiusmodi carnibus, quibus maxima virtus adversus quælibet venena.

Cardanus scribit Unicornem esse animal rarum, equi magnitudine, pilo mustellæ simillimo, capite cervino, in cujus fronte cornu crescit unicum, cubitorum trium longitudine, erectum, in imo autem amplum, tendens in aciem: collum illi breve, juba rarissima, & in alteram tantum partem tendens, crura veluti capreolo, tenuia; posteriorum tenuior pars multo pilo villosa, ungulæ bifidæ. Ludovicus Vartomannus duos Sultano ex Æthiopiâ missos, Mechæ ad Mohammedis sepulchrum se vidisse ait cancellis obseptos, minimè feroces, fortè longo jam carcere domitos. Idaich Aga, orator Solimanni apud Maximilianum Imperatorem, Marcus Scherer ante abjuratam religionem Christianam dictus, Viennæ, frequenti primariorum virorum corona, ausus est proloqui; se in Arabia deserta vidisse gregatim obversantes,

tes, ut armẽta, rhinocerotes. Diluvio universali animalia periisse, nunc terrâ erui ossa fabulantur plurimi, cùm majori ex parte terræ visceribus recondita exhumari cernant.

Ad Dionysii fanum, prope Lutetiam integrum extat eximiæ proceritatis, magni ponderis, ampliori base in comum progrediens, ambitum striatum sub ara quadam abscondita fornice, aquæ extrema sui parte immersum. Solennibus Venetorum feriis, Samnarciano delubro, quæ publicè spectanda proponuntur, & magnitudine & figurâ sunt dissimilima. Kereczenio, baroni ad Niclespyrgum, brachii crassitie, ingentis molis erat os, è Pannonum, ut credi volebat, regis Matthiæ thesauris asservatum, quod balænarum potius fuerit, ipso ringente. Fucus fit facile, cùm in littora ejecti Cetacei pisces, salo arenas propellente, sæpè obruantur, post multa demum secula cariosa, seu teredine erosa, rursus ex imis terræ visceribus, cornu falsa simulachra referentia, eruantur, persuasis spectatoribus credulis, diluvio submersa animalia, ossibus super-

ſtitibus, nulla viribus derogata facultate, in medicum uſum trahi poſſe: fidem facit & ebur foſſile & mumia vulgaris.

Ut maximè ſint cornua quadrupedum, valde differunt: Pliniani Monocerotis cornu eſt longum binos cubitos, colore nigro: Solini quatuor pedes, & admirandi ſplendoris, quo ab illo potiſſimùm differt, etſi eandem interim feram uterque delineet. Cornu aſini Indici Sylveſtris ſecundum Ælianum triplici colore variat, & tantæ eſt craſſitudinis, ut ex eo crateres fieri poſſent, quod & Philoſtratos meminit. Monocerotis verò ejuſdem Æliani cornu nigrum eſt, qui color & à Plinio minoceroti attribuitur, ſed addit Ælianus, ſuum naturaliter anfractuoſum eſſe, & ſpiris convolutum, cujus rei Plinius non meminit, Rarum illud ac pretioſum in fano D. Dionyſii juxta Pariſios cum nullo ſuperiorum ullam habet ſimilitudinem, non enim nigrum eſt, ſed ejuſdem ferè cùm cervino coloris, longum prope ſex cubitos, tam contrà exile, ut fabricandis poculis prorſus ſit in idoneum, cùm craſſiorem ejus partem binis anterioribus digitu-

gitulis liceat circumdare: ad hæc quinque illæ versuræ, quibus mirabiliter distinguitur ab imo ad summum usque, multos viros doctos, judicioque præstantes impulêre, ut crederent, non naturale cornu esse, sed arte effictum à peritissimo aliquo mangone, & ex aptâ quâdam mixturâ ad descriptionem Æliani efformatum, excepto colore, cujus nimirum, vel non meminerit, vel temporis injuria immutaverit.

Huic simillimum est, quod Argentorati, item quod Metis asservatur: visum etiam est tale Francofurti ad Mœnum, quod octingentis veniit imperialibus, satis tempestivè, antequam intelligeretur ex pisce marinum. Quæ in gazâ D. Marci ostenduntur, prorsus differunt: longiora enim sunt, iis, quæ ab antiquis describuntur, versurisque, quos suo monoceroti tribuit Ælianus, carent suntque ex alia, & cyathi ex iis fieri nequeunt. Ajunt & illa, quæ penes Poloniæ regem sunt, omni ex parte his similia esse, præter crassitiem, utpote aliquanto majora. Quod describitur ab Alberto Magno, à cæteris omnibus variat.

maximum inquit, est & solidum, instar cervini, longum decem pedes, juxta radicem crassum sesqui dodrantem, quam longitudinem crassitudinemque nemo aliis vel ex visu, vel auditu memorat. Habent & Helvetii quoddam cornu, quod similiter monocerotis esse sibi persuadent, repertum aliquando in ripê Aruhe fluvii, juxta Brugo oppidum, album, sed in superficiè subflavum, duos cubitos longum, nullis tamen spirarum versuris, odoratum tum aliàs, tum accensum instar moschi ferè; estque celebre propter valorem.

Ex hac etiam cornuum varietate vel quilibet videat, incerta esse omnia, quæ de unicornu, cujus ubique terrarum tantum nomen est & fama, prædicantur; estque verisimile, nullum ex omnibus commemoratis, etsi millè miracula eis affingantur, verum ac genuinum esse, quandoquidem nullum eorum cum Indico illo Æliani asino similitudinem habet; in nullo enim tres illos distinctos colores reperias, album, nigrum & purpureum, qui verum sunt atque unicum veritatis signum, invalidum alias atque incertum ad inte-

gram

gram notitiam, cùm prætereà nihil authores addiderint. Neque enim affirmari potest, illorum aliquod equi Indici Monocerotis esse ab eodem Æliano celebrandi, iisdem viribus, quibus Indicus ille asinus, cùm ne exauditu quidem habeatur, qualis ille sit: sui aliquod autem eorum simile sit cornu monocerotis ejusdem authoris, quale est Gallicum, Argentoratense & Meticum, non cogimur propterea fateri, verum esse unicornu, quandoquidem vires eas ei non ascribit, adscripturus procul dubio, si iis præditum ejus cornu fuisset.

Augent dubitationem, nunquid fera illa, cujus miraculosæ facultates in ore sunt omnium, fuerit unquam alicui nota: cùm Romani, qui tàm longè lateque imperii sui pomeria extenderunt, & ex Indiâ aliisque remotissimis provinciis elephantes, rhinocerotes, similesque exoticas feras alias Romam deferri curaverunt, populoq; in suis ludicris spectandas exhibuerunt, hujusce animantis, quæ præ cæteris omnibus celebrabatur, nullam unquam notitiam acceperint. Haud possum itidem mihi per-

persuadere, principes, qui istiusmodi cornua possident, fidem adhibere, quæ de viribus eorum vulgò prædicantur: Regum enim Indiarum exemplo pocula sibi inde conficerent, ut à quocunque morborum genere sese præservarent, cùm tamen, ceu inutilia, ostentationis solummodò causa ea inter cæteram gazam reservent.

In opulentioribus nobilioribusq; Angliæ Ecclesiis, cùm id regnum S.R. Ecclesiæ adhuc obtemperabat, multa istiusmodi cornua ostendebantur, quæ si ex me quæratur, ad quod genus animantium pertineant, non erubescam dicere, diversorum; quia sibi invicem differunt, animantium esse; cæterùm tantæ feritatis, ut nunquam videnda se offerant, cornua verò in locis sylvisque desertissimis exuant, quod & cervos facere videmus, quæ postmodum reperientibus fiunt admirationi. Fieri item potest à mari, quod non pauca terrestrium similitudine animalia procreat, nonnulla ejusmodi cornua ejici, quale inprimis esse arbitror, quod tàm enormi longitudine ab Alberto describitur, cujus videlicet vastissimum Elephantis caput

mi-

minimè foret capax : quin rationi neutiquam fuerit dissonum, si arguamus omnia illa Anglorum cornua marinorum animantium esse, cùm in tota illa insulâ tales reperiri feras terrestres nulla unquã testata sit historia, diversisque temporibus in littora ab Oceano ejecta ; id quod indicat etiam soliditas, colorque & forma ipsa cornuum, quibus à cæteris enumeratis differunt.

Cæterùm si ipsa fera ignota nobis est, quomodo dabitur & cognoscetur ipsum cornu ? Dicet autem aliquis, nihil planè referre, etsi ignota sit ita fera, quando à doctis notæ sint præscriptæ, quibus unicornu inter cætera animantium cornu dignosci queat. Cui responsum esse volo, fallaces omninò esse istiusmodi notas, quandoquidem in paucis convolutiones illæ conspiciuntur ; & si quæ eas habent, artificiales esse suspicari licet. Imò disertè profitemur, quod ignarum vulgus jactitat, nugas aniles sapere, quarum ipsos Scriptores pœnitet : Terram Indicam, inquit Ælianus, equos & asinos uno cornu præditos procreare ferunt. Horum è cornibus pocula

cula conficiuntur, in quæ venenum mortiferum conjectum, si quis biberit, nihil grave perpetietur, quòd cornu utriusque horum vi veneno adversa polleat. Item, Indos potentiores, cùm tanquam armillum quibusdam brachia, sic cornua auro certis spatiis ornarunt, ex his bibere solere. Ex hoc cornu bibentem ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipsum convulsionibus corripi, neque sacro morbo tentari, neque venenis ullis ferri; quin etiam si quid pestilens prius biberit, tum id evomere, tumque ad sanitatem redire.

Et Philostratus in vitâ Apollonii: Asinos sylvestres in vicinis Hyphasidi fluvii paludibus multos capi dicunt, esse autem hujusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosè pugnant &c. Indos ex illis cornibus pocula conficere, asseruntque nullis morbis illo die affici, qui ex hujusmodi poculo potârint, neque si vulnerati fuerint, dolere, & per ignem etiam incolumes transire, neque ullis venenis lædi, quæcunq; nocendi gratiâ in potu dantur: idcircò regum esse eadem pocula,

nec

ne calii quàm regi ejusmodi feræ venationem permitti. Apollonium itaque feram aspexisse, ejusque naturam cum admiratione consideràsse ferunt: interroganti autem Damidi, an sermoni, qui de poculo jam dicto ferebatur, fidem adhiberet, Adhibeo, ait, si hujus regionis immortalem regem esse intellexero. Sola itaque illa, quæ semper fuit æstimatio, persuasit ignaris non solùm adversus innumeros affectus, sed & prorsus omnes remedio esse posse, adeoque hominem, revocare ab Orco. Manifestus est dolus, cùm nullum habeamus Scriptorem classicum, idoneumque ac fide dignum, qui feram ipsam viderit; cumque & inter eos, qui se ex vulgi opinione de eâ scribere non diffitentur, non benè conveniat; cùm denique incertæ sint ipsæ, per quas dignoscas, notæ.

Ambrosius Paræus, regis Francici primarius & Parisiensis Chirurgus, de venenis inquit: Permulti hodie sunt, qui egregiè se adversum venena veneficiaque omnia putant munitos, si cornu monocerotis pulvisculum, vel certè infusum, paratum.

tum & ad manum habeant. Tres mihi ſcopi, primus erit de ſignificatione vocabuli unicornis: ſecundus an aliquid ſit huic nomini ſubjectum, quod reverà exiſtat, an potius imaginarium ſit, & tanquam Chymera, aut Tragelaphus: Tertius, ſi id, quod animalis hujuſmodi dicitur eſſe cornu, aliquid virium aut facultatis habeat contra venena. Apud Latinos animal ſignificatur unico cornu inſtructum, quod idem apud Græcos pertenditur, dictione Monoceros.

Quod verò ad ſecundum ſcopum ſpectat, arbitror id animal, quod unicornis dicitur, & vulgò intelligitur, imaginarium potius eſſe, quàm in rerum naturâ exiſtẽs. In quam ſententiam his conjecturis potiſſimùm ducor, quòd ex his, qui terrarum orbem peragrarunt, nullus hodie ſit, qui profiteatur, viſum ſibi ejusmodi animal; neque Romani ſibi ejus copiam fecerunt, ſive in theatris, ſive in nummis aut armis inſculpendo. Plinius ſcribit, reliquo corpore equo ſimiles eſſe: Munſterus, qui, ut ludit Matthiolns, unicornes nunquam niſi pictas viderat, has contra non equinâ

ma-

magnitudine esse prædicat; sed trimestris hinnuli, non pedibus elephantinis, sed scissis caprinorum in modum, cornu non duum modo, & trium sæpe cubitorum altitudinis, colore mustelino; cervice non admodum procera, nec valdè crinita, rarioribus nempè & brevioribus pilis instructa, ex altero tantum lapide pendentibus, cruribus macilentis & tenuibus, naribus quidem arduis, & valdè pilosis,

Cardanus ab utroque dissentiens, scribit cornu illi in media fronte tres tantùm digitos longum prominere. Andreas Theuetus meminit unicornis, visi nobili cuidam Turcæ Sangeaco, quæ magnitudine semestrem aut quinquemestrem taurum æquaret, unico cornu, non in media fronte, sed in summo capitis vertice gestaret, at cruribus & pedibus asininis esset, pilo tamen longiore, & auribus rangifero animali, suppolaribus noto, haud absimilibus.

Tanta est de hujus feræ effigie varietas: sed non minor de moribus & ingenio: Plinius enim asperrimam esse feram mo-

no-

nocerotem, mugituque gravi ſcribit, itaq; vivam nunquam capi: Aſperitatis ejus rationem deſumit Cardanus ex Æthiopicæ regionis deſertis & virulentis locis. Alii contra ingenio illam mitiſſimo, omninòque amabili, & omnium facilimo, prædicant, modò ne quis ipſam data opera offendat & inclementius tractet. Nam cùm ex terra capite demiſſo paſtum non petat, quia cornu inde arcetur longitudine, neceſſe eſt, ut ex arboribus pendentes fructus decerpat, ex raſtris, è manu denique humanâ, è quâ profectò fructuum oblata omnia genera, herbas, ſpicarum faſciculos, poma, pyra, arantia legumina intrepidè & innoxiè legit. Eò verò uſque res proceſſit, ut fingant, eam virginum amore capi, ipſarum pulchritudine delinitam, in earum contemplatione defigi, & blandimentis allici, quo ſæpè compendio à venatoribus capiatur. In hac ſententia eſt Vartomannus, negans feroces eſſe unicornes. Theuetus eouſque peregrinando jactat, diligentiſſimè ab incolis quæſiviſſe, quid ſentirent de ejuſmodi fera, nunquã tamen de ea reſcire quicquam potuiſſe.

Et

Et censet, cornua nihil aliud esse, quàm elephantorum ossa, eo quod cernimus, artificio circinata & dolata: sic enim in Orientalibus regionibus ardeliones isti & circumforanei homines roharti piscis, mari rubro & æthiopico noti, dentes circumagunt, excavant, sequacesque arte redditos, arbitraria voluntate producunt, & pro cornu unicornis exponunt venduntque. Certè id quod dicitur cornu unicornis ustum similem ebori odorem spirat. Asserit verò Cardanus, elephantis dentes seu ossa arte mollita, quò & quantum voluerimus sequi & extendi, bubulorum cornuum instar.

At demus, unicornes esse, si experientia & rerum eventis agendum est, sanctè hoc affirmari potest, nunquam quicquam eorum ex cornu, quæ jactantur, adversum venena, feliciter ægris successisse. Audiamus testes, primus sit Rondeletius, qui hoc in genere astruit, cornua nullo neque sapore, neque odore esse prædita: itaque nihil virium in medicina possidere, nisi fortè ad desiccandum. Nec me latet, inquit, plures facultates illarum prædicari,

ab iis qui lucrum queſtumque de eis faciunt, ut & raſuræ unicornis, quam auro pendunt, propterea quòd veneno & vermibus ut plurimum adverſetur: quod non minus præſtare cornu cervi, raſuramque eboris exiſtimo: quod cauſæ eſt, cur ad eundem morbum pauperibus elephanti dentem, divitibus autem cornu unicornis, quod unum præ cæteris expetunt, pari ſucceſſu præſcribam.

Apud Hippocratem & Galenum de cornu unicornuis, ne verbum quidem unum, qui tamen tot ſententiis cornu cervinum commendârunt. Itaque Capellanus, primarius Caroli IX. regis Galliæ medicus, crebrò dicere ſolebat, ſe perlubenter eum morem ſublaturum, de cornu unicornis fruſto in patinam regiam demergendo, nî noſſet, eam opinionem tàm altè in hominum animis infixam eſſe, ut vereretur, ne non ratione expugnari poſſet. Adde quod, dicebat, ſi ſuperſtitioſum hujusmodi remedium non prodeſt, certè non admodum obeſt, niſi fortè eorum fortunis, qui id auro redimunt. Cùm aliquando ex Ludovico Dureto, regis medico,

dico, & professore, propter excellentem, quam jure de ejus doctrinâ docti omnes omnino conceptam habent opinionem, quæsivissem, quid de ejusmodi cornu sentiret, respondit ille, nihil se ei virium attribuere. In cujus rei confirmationem, rationes adductas pluribus ille & disertius exornavit: nec vereri se, in auditorio suo, doctorum hominum undique ad ipsum audiendum concurrentium theatro id alta voce & explanata oratione prædicare.

Sed cùm unicornis mentio vel in sacris literis fiat, dispiciamus, an in arcam Noæ ingredientem, aut inde egressam feram cum pueris, qui asse lavantur inveniamus. Reem, certi animalis nomen Hieronymus modò Rhinocerotem vertit, modò Unicornu id quod fecerunt etiam Cajetanus & Tigurini; Pagninus autem, cùm uno tantùm in loco Rhinocerotem, reliquis omnibus monocerotem transtulerit, in Dictionario contra in alteram partem magis propendet, ut Rhinocerotem potiùs, quàm unicornem hoc vocabulo significari existimet. Sed Græci majori con-

ſtantia Monocerotem ſemper interpretati ſunt, eosque hac in re ſequuntur recentiores interpretes. Et Rabbinorum eadem videtur eſſe ſententia, ideoque Kinchius in Radic. locum illum Deuter. 33. 17. ſicut cornua Reemi ſunt cornua ejus, qui videtur Reemo, non cornu tribuere, ſed cornua, ac proinde adverſari iſti opinioni, quæ Reemum facit Unicornem; intelligendum dicit per enallagen numeri, nempè pluralis pro ſingulari.

Huic interpretationi non parum favet, quòd pleraſque notas, quas in Reemo præcipuas obſervat Scriptura, ſummam feritatem, ſummumque robur, & ingentem ipſius cornu magnitudinem etiam Unicorni adſcribunt authores.

Cteſias: cum catulos ſuos parvulos (animal fortiſſimum) ad paſtum eduxerint, multo equitatu circumventi, nec aufugiunt tamen, catulis relictis, ſed pugnant cornibus calcibusque ac morſibus, multosque & equos & viros interimunt. Et Ælianus ex eodem. Et reliqui corporis maximo robore præditus eſt, & in cornu immenſas vires habet. Item, cùm Indi ipſos

ipsos venatu aggrediuntur, in adversos equites eunt, eosque cornibus impetunt; quorum tanta vis est, ut nihil ipsorum ictus sustinere valeat, sed omnia iis cedant ac perfringantur, & collisa perdantur. Sæpèque equorum lateribus incurrentes, ea dirumpunt, ita ut omnia intestina effundantur. Idcircò equites formidant ipsis appropinquare, cùm pœna propius accedenti sit mors miserrima, ipsique & equi pereant: sed & calcibus plurimum valent, & morsus eorum in tantum penetrant, ut quicquid comprehenderunt avellant. Item, quòd in desertissimis campis morari soleant. Item, pastibus desertis gaudet, ac solivagus est.

Hæc omnia videntur apprimè quadrare in Reemum, ac fortasse iis inducti fuerunt, ut id unicornem interpretarentur, qui primi sic fuerunt interpretati. Mihi tamen minus probabilis videtur hæc interpretatio, quia in India tantum reperiri Monocerotes affirmant, qui de iis scripserunt. Non est autem verisimile, voluisse Mosen, Davidem, aliosque prophetas toties verba facere, ac similitudines desu-

mere, ipſumque Deum ad Jobum tantum ſermonis inſumere de animali incognito in iſtis terris. Incognitum autem fuerit oportet, ſi nulla propior regio, quam India illud ferebat: neque enim Orbis mutuis commerciis tunc ita patebat, ut tùm animalia, tum alia regionibus propria, in diſſitis partibus valdè nota eſſent.

Hujus rei clarum præ cæteris exemplum habemus in elephanto, cujus tam inſignis animalis, tamque ad humanos quoque uſus, ac varias vitæ partes utilis, & in permultis Africæ Aſiæque locis copioſiſſimi, nullam tamen aut tenuiſſimam notitiam videntur habuiſſe Iſraëlitæ, uti conjectare licet ex profundo ſilentio, quod de eo agunt Scripturæ, in quibus nuſquam de eo verba fiunt, niſi in libro Jobi: ad quem Deus inter cætera operum ſuorum atque animalium miracula, multam de hac quoque bellua habet mentionem. Aſt Jobus non Iſraëlita fuit, nec Cananeæ incola, ſed Arabiæ; cujus vicini trans maris rubri fretum Æthiopes ac Troglodytæ ſcatent Elefantorum armẽtis. Et hoc quidem eò mirabilius, cùm

ebur,

ebur, quod nihil aliud, quàm Elephanti dens est, adeò fuerit in Judæâ notum ac familiare. Jam si Elephantus, cujus dentibus abundabant, quemque tanto propiores, quàm India, regiones gignebant numerosissimas, tam parum notus fuit Judæis, quis crediderit Unicornem, soli Indiæ peculiarem, iis notum fuisse?

Sed & aliud habemus validius contra istam interpretationem argumentum, quippe qui pro fabula ducimus Unicornem, neque ullum tale animal, ac ipse describitur, & vulgò creditur, extare usquam in mundo, aut unquam extitisse putamus. Ctesias enim, homo vanissimus, & qui sola mentiendi libidine plurima ac portentosissima figmenta in suos Indicorum libros intulit, pater est hujus historiæ, à quo hauserunt Plinius, Ælianus, & quicunque alii de eo scripserunt. Fuisse autem mentitum Ctesiam, uti in aliis quamplurimis, ita in hoc quoque, conjectare licet, quòd nunquam hoc animal visum fuit Romæ, in cujus spectaculis exhiberi solebant, quæcunque rariora animantia hic terrarum semi orbis, Asiam cum Europa

Africaque complexus, uſpiam producit, non modò intra Romanæ ditionis terminos, ſed & ex Parthorum imperio, atque ab ultima uſque India, & intima Æthiopia petita. Namque ut omittamus Chaos, Cephos, Tigrides, aliaque, quorum nullum in ſuis terris proveniebat Romanis, ipſos quoque Rhinocerotas, belluam ſolius Indiæ indigenam, ſæpius Roma vidit, ut non abſque vero dixerit Ariſtides in Romæ encomio: omnia huc concurrunt, quæcunque naſcuntur & fiunt. Quicquid autem hîc non cernitur, eſt inter ea, quæ neque extant, neque extiterunt unquam.

Atque in eandem ſententiam Salvianus libro 6. ubi ſpectacula beſtiariorum exagitat, cùm ſummam diligentiam, in conquirendis ad ea feris adhiberi ſolitam, ſic exponit: Atque ut hoc fiat, orbis impendium eſt. Magna enim cum curâ id agitur & elaboratur: adeuntur etiam loca abdita, luſtrantur nivei ſaltus, peragrantur ſylvæ explicabiles, conſcenduntur nubiferæ alpes, penetrantur nivi feræ valles, & concludit hiſce verbis, & ut devora-

ri

ri possint à feris viscera hominum, non licet Naturam rerum aliquid habere secretum.

Jam cùm toto illo aliquot seculorum spatio, quo mos ille duravit, ignotiora animalia undique conquirendi atque Romam deportandi, ibique in publico ostẽdendi, solus monoceros inter peregrinas bestias nunquam comparuerit, vehemens inde suspicio oritur, nullum tale animal in rerum natura extitisse. Sed & hisce temporibus, quibus nullus non orbis angulus peragratus est, tamque nota in iis omnia, quàm quæ domi nascuntur, nemo est, qui hoc animal sibi visum dicat, præter Ludovicum Vartomannum, qui sese duos vidisse scribit. Ast fidem ei in hoc negotio detrahit, tum quòd & aliis in rebus comperitur fabulosa pro veris prodidisse, & de Monocerote quoque pleraque tradit ab aliorum narrationibus discrepantia. Sanè Garcias ab Horto plurimis annis, quibus in India vixit pro regis medicus, multorumque de indigenis doctorum virorum, ac regum quoque amicitiâ & familiaritate usus, quanquam diligentissimus hujus-

modi rerum ſcrutator, non modò unicornem videre non potuit, ſed neque certi quicquam de ipſo addiſcere; niſi quòd nonnullos ſe conveniſſe ſcribit, qui in extrema Africæ ora exortui hyberno obverſa, animal quoddam unicorne ſe vidiſſe affirmarent. Sed ut iſti vera narraverint, nihil tamen hoc ad decantatum illum monocerotem; cum quo ex ipſorum notis parum omninò commune habet hoc animal, utpote & amphibium, & cornu præditum, duos tantùm palmos longo.

Et Johannes Hugon Linſchotius rerum naturalium veſtigator diligentiſſimus, qui integros duodecim annos commoratus in urbe Goa, Indiæ inter celeberrimus, & qno undique comportatur quicquid in illis terris rari eſt aut cari, nullum ibi vel aut opſia, vel certa fama unicornem unquam accepit, ac proinde eum pro mero figmento habet: additq; Rhinocerotē à multis pro monocerote haberi, quandoquidem nullus adhuc alius monoceros inventus ſit, aut cognitus, niſi rumore & picturis. Geſnerus ait: ex ipſa picturæ, quam ad vivum dedimus, proportione con-

convincemus, cornu breve esse; nam cùm supra nares incipiat, & multò infra aures desinat, longum esse non potest, illud scilicet Rhinocerotis, quo argumento & Bucerus in psalmum 22. utitur. Domituram Rhinoceros non penitus respuit, sicuti vel eorum Rhinocerotum historia, qui superiori seculo diversis temporibus in Portugalliam advecti fuerunt, cognoscere licet. Pausanias eos appellat boves Æthiopicos, Festus AEgyptios, cùm AEthiopia eos non ferat, & forma sit bovi dissimillima: siccine elephanti apud priscos Romanos ridiculè audiebant boves lucæ?

Et ut hoc obiter agamus, cùm ubique in Scripturâ Boves & Reem (unicornis) jungantur, cognationem generis licet arguere: Boves feri, inquit Aristoteles, à domesticis ad eum ferè modum differunt, ac sues feri à domesticis. fuerit tamen certa aliqua bubalorum species. Bonasus cornua habet, non uti bos, sed contorta, ac mucrone deorsum spectantia juxta aures: Bisantes ea habent in ipso quidem mucrone aliquantulum in curva, sed reliquo corpore nequaquam inflexa; neque vel

versus se mutuò, vel juxta aures deorsum intorta; sed patula ac supina, hinc læthiferos mucrones Oppianus eis tribuit, cùm bonasi calcibus pugnent. Feram naturam deponere, refert Pausanias. Sed Reem apud Jobum non mansuescit.

Itaque Reem fuerit Urus, de quo ita Cæsar: assuescere eos ad homines, & mansuefieri ne parvulos quidem exceptos posse; quare foveis capti interficiantur. Eos neque homini, neque feræ, quam conspexerint, parcere, quare horum venatione præcipuè se ad laborem durent adolescẽtes; & qui plurimos ex his interfecerint, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferre laudem. Item Cornuum amplitudinem, æquè ac figuram & speciem, multum à nostrorum boum cornibus differre: quæ studiosè conquisita, ab labris argento circumcludant Germani, iis in amplissimis epulis pro poculis utentes. Troglodyticam regionem Uros habuisse, licet ex Diodoro colligere, Quà intus recedit, plena est Elephantis, tauris sylvestribus, leonibus, aliisque trucibus animalibus. Deficere etiam aliquam spe-

ſpeciem alicubi, docet Europa, leonibus olim, ſicut Anglia lupis infeſta, nunc liberata.

Sed redimus ad unicornem: In Europa viginti integra inveniuntur, & totidem non integra, ſed confracta; Multis Pariſieſe naturale eſt, haud artificiale, in quo omnes totę, q̃ in alterius animalis cornu conveniunt, reperiuntur: & quoniam concavum, non poteſt eſſe deciduum, ut cervinum. Septem magnos pedes longum eſt: 13$\frac{1}{4}$. libras pendit, ſi quis ſublevet, plus 18. libr. tribuit. Figura recta eſt inſtar cerei, inferiore parte craſſa, deinde paulatim uſque ad mucronem gracileſcens: craſſitiem manus complecti nequit, cùm quinque: digitos in diametro habeat: inæquale nonnihil eſt, ubi capiti adhæſit, reliquâ parte leve & politum. levibus caniculis amatur cochleæ in morem: integro pede cavum eſt, ubi capiti inſertum fuit.

Cap. XLI.

A M P H I B I A.

SUb Huquang eſt Siangyang urbs. Siang flumen alit animal, equo non abſimile, niſi quòd ſquamoſum ſit, & angues, ut tigris habeat, ferox, quod & homines & cætera animalia aggreditur, id præcipuè autumni tempore tentat, quo frequentius ex aquis egreſſum, terram pervagatur.

Sub Quangtung, in Hoeicheu, Eſt Hoangcioya, id eſt, croceus piſcis, nec piſcis, nec avis tantùm, ſed utrumque; per æſtatem ſcilicet totam avis eſt crocei coloris, per montes volitans; autumno ferè abſoluto mare petit, ac rurſum piſcis evadit, quem hyberno tantùm tempore capiunt; & ſuaviſſimi ſaporis Sinis eſſe ſcribitur.

Ad Chaocheu in amne Ço degunt crocodyli, etiam hîc hominibus infeſti Chaoking: flumen piſcem fert, quem natantem vaccam vocant Sinæ. Hic in terram exit, & ſæpè cum vaccis domeſticis pugnat, ac cornu petit, at ſi diutius extra a-

quas

quas perstiterit, cornu mollescit ac flaccescit, omnemque amittit, duritiem: unde in aquas redire coactus, piscis denuò evadit, priscinamque duritiem in aquis recuperat.

Sub Kaocheu in mari est animal, capite volucrem, caudâ piscem referens: quod pretiosos quosdam lapillos continet.

Sunt cancri marini quidam, qui capiuntur vivuntque in aquis, inter hanc urbem & Hainan Insulam: ambulant, formamq; habent ut cæteri, nihil admodum à reliquis discrepantes, nisi quòd, ubi ex aquâ educuntur, ac aërem sentiunt, continuò, servatâ tamen antiquâ figurâ ac lineamentis, lapidescant, durissimumque lapidem referant. Illis similes in lacu quodam Hainan insulæ sunt: Lusitani ac Sinæ eos contra calidas febres adhibent.

In Quangsi, ad Queilin, in monte Haiyang, caverna est aqueo, quæ quadrupedes ac cornupetas alit pisces.

In Xansi est vespertilionum genus, magnitudine gallinis nostratibus par: quorum caro à Sinis Gallinarum ferculis præfertur.

In Suchuen, ad civitatem Cungking, ſub metropoli Chingtu, mons eſt To-yung, in quo Simiæ reperiuntur, quæ omninò magnitudine ac figurâ quàm proximè ad hominem accedũt, ac mulieres deperéunt; easque ad libidinem, cùm facultas ſuppetit, abripere tentant.

In regnis Gannan eſt animal Fefe, humanâ penè figurâ præditum, longioribus brachiis, corpore nigro, ac villoſo, velociſſimi gradus, quod viſo homine effuſiſſimè ridet, riſum humanum exprimens & vocem, ſed devorat hominem.

In Jenping, per provinciam Chekiang, in territorio Xa, eſt ingens & præruptus mons Huon, in quo animal piloſum, homini omninò ſimile, reperiri ſcribunt.

In Honan, ad urbem Changte, piſcis eſt Hajul, hoc eſt, puerulus, quòd captus vocem pueri omninò lamentantis emittat figurâ ferè crocodilum refert, caudam trahit oblongam, quatuor incedit pedibus. ejus adeps ſemel accenſus, nullâ aquâ vel arte amplius extingui poteſt.

Sub urbe Tengcheu, in Xantung, oſtrea ſunt copioſa, helluonum delitiæ.

Ad Vencheu, in Chekiang, ostrea illa parva, quod alibi insolitum, aqueis in campis sata crescunt: nam hujus generis ostrea quædam contundunt, ac deinde guttatim per campos spargunt, veluti semina, ex quibus deinde ostrea suavis saporis nascuntur.

In Suchuen urbs Chunking, testudinibus præcipuè scatet; quæ ad Hoagcheu in Huquang per magnæ reperiuntur: sed & aliæ minores pulchræque sunt; quæ pro voluptate domi passim nutriuntur, & quãdoque magnitudinem aviculæ non superant, Loman dictæ.

In Quangtung ad Hoeicheu, mare testudines adeò magnas nutrit, ut à longè adspectantibus scopuli esse videantur, ac saxa: sunt qui scribant, visas quæ in dorso arbusta, atque herbas natas secum portarent.

Sub Kaocheu, in Quangtung piscis est exoticus, quatuor oculis præditus, ac sex pedibus, hepatis figuram utcumq; repræsentans. Ab hoc ipso pisce etiam uniones expui volunt Sinæ, præter eos, quos ex ostreis

ſtreis colligunt: fortaſsè expuunt, quos ante cum ipſis oſtreis vorârunt.

Sub Kiucheu parvus eſt lacus, Pehiai dictus, ab albis cancris.

Inter aves amphibias locat Oppianus Haliætum: eſt autem magnitudine milui, capite albis & fuſcis diſtincto lineis, roſtro aquilino, oculis in medio nigris, in ambitu aureis, linguâ ferè humanâ, niſi quòd ad ejus radicem utrinque appendicem cæterarum more habet, colore per ſumma aſturis, per ima albo, gutture maculis notato ruffis, ut & ventre, pectore purè condido. Supra magnitudinem corporis longitudo alarum eſt, quæ ad pedes Romanos duos, & digitos undecim extenditur, crure craſſo & ſquammoſo, pede hamato, & colore cæruleo, digitis quatuor per ſuperna ad dimidiam longitudinem etiam ſquammoſis, ad reliquam inciſis per inferna aſperis & aculeatis, tenacitatis causâ: & his tàm validis, ut flexos vix ullâ vi diſtendas. pedum digitos non, ut ſteganopodibus, cute craſſiore nexos, ſed fiſſos, ut cæteræ aquilæ obtinet.

Alia eſt ſpecies hujus ovis, & hoc habet

pe-

peculiare, maculam ſcilicet, & teſtas in cruribus, cùm cæteræ tabellas habeant: deniq́ue ungues habet omninò rotundos, quæ aliis aquilis cum quodam planitie ſunt. Hîc oritur controverſia, de pedibus Haliæti; Albertus piſcium aquilam germanico vocat idiomate, quæ in pectore alba, dorſo nigra, ſtrumâ nigras habeat maculas, & piſcibus ſuper flumina ac ſtagna, arboribus inſidens inſidietur: pedem unum anſerinis ſimilem tribuit, nempè digitis, membranâ conjunctis planum; alterum accipitrinum, aduncis unguibus & fiſſis digitis: gyro multiplici uſa in aëre, nunc more ludentis, nunc more inſidiantis, tandem præda in aquis viſæ, impetu maximo deſcendit, altero quidem pede prædam rapiens, altero verò natans. Enim & Angli queruntur, piſces ſibi ex vivariis ſic diſperire, brevi tempore, per Haliætum, pede uno anſerem, altero milvum: pectore eſſe albo, piſces capere maximos, adipem in caudâ pretioſum continere, volant per aërem, & in eo veluti pendere, tũ adipis aliquid in aquam dimittere, unde piſces attoniti, quaſi & torpeſcentes vertan-

tantur supini, super quos mox rectâ sese præcipitem dejiciat instar jaculi, & pede altero, nempe adunco venari. Burgundis eadem sedet opinio, qui prædâ onustus altero pede, quo palmipes est, ad ripam usq; remiget: attestatur id Albertus Magnus. Gallinulas aquaticas istiusmodi Colonia Agrippina vidit, asservant medici exuvias.

Vespertilionem dubiæ sortis faciunt multa: nam volat per aërem, & caret pennis, in cæteris vel quadrupedi non impar. Monachi cujusdam, desperato morbo laborantis, atque eventu insolenti ac mirabili à vespertilione fortè sanati, historia digna relata videtur. Solent vespertiliones, instar culicum, noctu dormientes aggredi, & quam partem detectam repererint, ausu imperterrito mordicus impetere, sanguinemque exugere. Accidit itaque, ut de vitâ periclitans æger decumberet cænobita, pleuritide, quæ cum febre ardentissima erat conjuncta. Quare cùm phlebotomiâ, tanquam unico præsidio summopere egeret, chirurgus bis terve scalpello ictâ venâ ne tantillum quidem san-

ſanguinis extraxit; unde pro jamjam morituro deſertus erat à reliquis monachis, qui extremo ei valedicto, curaturi ſepulcrum abierunt.

Ad deploratum & quem jam è vivis exceſſiſſe rebantur, poſtridie mane revertuntur, hominemque vivum, & alacriorem ſolito, ac propè incolumem offendunt. Miratis, ac cauſam ſciſcitantibus hanc refert, Veſpertilionem noctu detectum pedem mordicus arripuiſſe, venam aperuiſſe, ſanguinem ad ſatiem uſque & copioſum exuxiſſe, ſaturum avolaſſe, venâ relictâ apertâ: brevi itaque cænobita cænobita ſanitati reſtitutus ad munia cõſueta rediit.

Sed quem locum dabimus Gryphi? Ex veteribus Græcis gryphes eſſe volunt Herodotus, Pauſanias, Cteſius, Ælianus; ex Latinis Pomponius Mela, Solinus, Apuleius, Servius, aves quadrupedes majori ex parte, & aurum Scythicum ſive Indicum effoſſum cuſtodire, tanquam rem veram & compertam, etſi interim diverſam eis magnitudinem tribuant. Hiſce è diametro ſe opponunt non minus gra-

ves;

ves ex antiquis, Herodotus, Origenes, Plinius. Atque hic quidem ita gryphos negare solet, ut non solùm fabulosos esse existimet, verùm etiam ut levissimos, & penè phreneticos appellet, qui eos in rerum naturâ ponant. Herodotus: ad septẽtrionem Europæ, quamplurimam auri vim esse constat, sed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo; dicuntur tamen id à gryphis auferre Arimaspi unoculi, quod nec ipsum crediderim, ut viri nascantur unoculi, cætera naturam habentes hominibus parem. Origenes verò Adamantius in Mosen invehitur: Gryphum, quem nullus unquam meminit, vel audivit humanis animis succumbere, manducari prohibet Moses in Levitico.

Matthias Michovius, ad extremum septentrionem Riphæos & Hyperboreos montes aliqui posuerunt, quos illic nullos esse experientiâ constat. Quin etiam in Juhra monte, & locis septentrionis non effoditur aurum, argentum, nec alia metalla, nec inveniuntur illi Gryphi, & ma-

gnæ

gnæ aves prohibentes effodere & efferre aurum: Ego ſanè contra veteres authores Gryphos nec in illâ ſeptentrionis, nec in aliis orbis partibus inveniri affirmârim. Sed quid cenſeas? magno ſe quiſque authore tuetur. Rectè Plinius negat avem, uti pingitur, inquit Goropius: quod enim avem faciunt quadrupedem, capite aquilino, aurito, cætera leoni ſimilem, alatam, id monſtri & Chimeræ ſimile eſt, atque à pueris ipſis ac mulierculis exploſum.

Sed ſi gryphos fabuloſos credimus, cur ſacra ſcriotura inter immunda animalia eos recenſet? Verùm in textu Hebraico vox Peres variè poteſt accipi, vel pro Haliæto, accipitre, aut aliâ ave rapaciſſima, etſi ſeptuaginta gryphem dixerint. Unde immeritò Origenes in Moſen invehitur, utpote qui rem nuſquam extantem Judæis in cibum venire fruſtra, ut ipſe autumabat, vetuerit. Non enim Moſes, ſed ſeptuaginta interpretes tantùm Gryphẽ habent, ubi Moſes rapacem quampiam, & præſertim ex majoribus, aut aquilam aut vulturem intellexerit. Quamobrem profectò

fectò si avem ullam in rerum naturâ, quæ hoc nomine digna sit, aut venire debeat, ponendam ducimus, eam aquilæ aut vulturis maximum quoddam & rarum genus esse judicârim, quæ ob inusitatam magnitudinem, ob inauditum robur, vana multa & absurda de se fabulandi veræ naturalis historiæ ignaris occasionem dederit.

Gryphes enim quadrupedes, ut Albertus quoque advertit, ab historicis potius & poëtis, quàm philosophis & rerum naturalium peritis memorantur. Avorum nostrorum memoriâ, imò patrum ætate & penè nostrâ, rex Æthiopum literas Hebraicè scriptas ad summum Pontificem dedit, quarum etiam copia apud historicos quosdam extat, quibus præter cætera refert, aves in suâ Æthiopia tantæ magnitudinis reperiri, ut pedibus bovem, vel equum integrum abreptum cibandis pullis deferant. In hanc sententiam ita Paulus Venetus: Ultra Madaigascar, maximam & ditissimam insulam, aliæ quædam insulæ sunt, quæ propter velocissimum maris cursum difficillimè adiri possunt. In his certo anni tempore apparet mirabilis species

cies avis, quæ *Ruc* appellatur, aquilæ quidem effigie, sed magnitudine immensa. Ajunt, qui illas viderunt aves, plerasque alarum pennas longas esse passus duodecim, eâ crassitie, quæ longitudinis mensuræ conveniat. Avem tanti roboris esse, ut sola, sine aliquo adminiculo elephantem capiat, & in sublime raptum, rursum ad terram labi sinat, quò carnibus ejus vesci possit. Ego cùm primùm hæc de illâ ave audissem, putabam esse gryphum, qui pennatus & quadrupes esse fertur, leoni omni ex parte similis, nisi quòd aquilæ faciem haberet similem. Sed hi, qui illas viderunt, constanter asserebant, nihil illis commune esse cum ullâ bestia, & quòd duobus, ut reliquæ aves, incederent pedibus. Hæc Venetus, quæ tamẽ à nostris Argonautis non confirmantur, præter Boterum, qui in Peru Vultures ea magnitudine reperiri refert, ut alis expansis decem & octo dodrantes latitudine expleant.

Sunt per Moscoviam aquilæ, quæ avibus omnibus corporis immanitate, audacia, feritate, terrorem incutiant. Refert Goropius, reginam Hungariæ Mariam, Caroli V. Cæsaris sororem, cujus ipse Me-

Medicus fuit , inter pocula ſua habuiſſe cornu quoddam , nigredine ſplendens, dodrante longius, quod ajebant unguem eſſe gryphis, quamvis ipſe ex cornu aliquo fictitium fuiſſe exiſtimet. Ita apud auri fabrum Tiguri cornu nigrum , leve,& in ſummo aduncum , ferè ut in rupi capris, triplo fortè craſſius, cujus labris argentum introducturus erat, ut pro poculo menſis adhiberetur , dicens , ſe illud pro ungue gryphis accepiſſe. Verùm id fortè bovis alicujus peregrini, ut quem Indicum vocant, aut bubali cornu fuiſſe idem judicare licet.

Lutetiæ Pariſiorum , in ſacello palatii regii videre eſt pedem ingentem , ex altisſima fornice ſuſpenſum, tanta magnitudine, ut ſi animal pro ratione ejus fingeretur, facilè poſſet credi, quod dici ſolet, vel maximum equum ab eo ſublimem rapi. Verùm eum quidam falſum eſſe ſuſpiciantur, & ex ligno artificioſè confectum : Sacerdotes ejus ſacelli è Rhodo allatum aſſerũt à quodam Rhodio equite. Quòd autem quadrupedem pingunt corpore poſtico leonino, id nec cum hoc pede, nec cum re-
rum

rum natura consentit, uti nec illud, quòd extremis aquilonaris oræ montibus aurũ effossum summa cura observare eos comminiscuntur. Montevillanus octo leonibus majorem, alii vel lupo parem faciunt gryphem.

Jam Benjaminem Tudelensem, ex itinerario referentem audiamus: Ab insulis Chenerag quadraginta dierum navigatio suscipitur, transire volentibus in regionem Sin, quæ pars Orientalis est. Sunt verò qui dicunt mare illud, quo iter suscipitur, esse mare excisum, seu fretum interdum æstuosissimum, astro Chesil subjectum, quod Orion est Europæis, cujus vi tantus nonnunquam excitatur ventus, ut nulli mortalium navigando superari possit, aut effugi. Intrudit enim navigia in ipsas maris angustias, unde extricari & effugere non possunt, hærentas diutius, quoad commeatu omni absumto homines pereant; neque verò raro hoc modo naves periclitantur: Verùm huic incommodo hominum industriâ prospectum est, atque evadendi ratio est invenat,

quam agnoſcere non fuerit injucundum.

Sic autem res habet: Boum coria integra quam plurima in navibus imponunt, navigantium hominum numero paria, qui cum vento acti in illas anguſtias intruduntur, ſinguli ſingula ſubeunt, atque collo introrſum complicato ita colligant, ut aquæ aditus obcludatur, tum ſeſe rotantes & moventes in mare è navigio dejiciunt: quos cùm maximæ aquilæ illis regionibus familiares, gryphes dictæ, proſpiciunt, boves aut animalia eſſe putantes, advolantes eripiunt, atque in aridam aſportant; tum verò depoſitis in valle vel monte incumbunt, ut ipſis diſruptis paſcantur. Verùm opportuna celeritate uſus, qui intra corium includitur homo, feram ipſam gladio confoſſo vulnerat, atq; occidit: & hoc pacto complures evadũt. Plaudite.

Harpyias poëtis relinquimus, Sirenes tamen prænavigare non licet: Moraliter ſignificare videntur illam philoſophiæ partem, quæ contemplationi rerum incum-

cumbit cùm aliarum, tum naturalium, & historiæ & matheseos cognitioni, quieta & ab actionibus remota. Itaque canunt apud Homerum, omnia se nosse, & historiam belli Trajani, & quæcunque in terra evenerint; & quisquis ipsas audierit, illum tum lætiorem ex voluptate percepta, cum cognitione sapientiorem abire. Quanquam autem hæc Philosophiæ pars & voluptatis & eruditionis multum habeat, ita ut hominem vix à se dimittat, & ad officia actionesque humanæ vitæ necessarias, ut circa res in familia aut republica gerendas progredi vix patiatur (unde etiam ligatus fingitur Ulysses, tanquam ad omnem actionem impeditus) philosophum tamen, qui per Ulyssem indicetur, non nimium his studiis immorari decet, sed contentum, hanc voluptate se degustâsse, nec omninò talium rerum cognitionis se expertem esse, ad ea, quæ in hominum utilitate administranda, & prudenter gerenda sunt, pergere, vinculis, quibus agere prohibebatur, solutis: ut non solùm sibi, sed aliis quoque videretur, & perfectus esset philosophus, cum parte illâ, quæ contem-

platur, tum altera quæ agit, ac mores & virtutes officiaque exercet.

Sunt qui credant, fuisse loca cava, è quibus continuus quidam spiritus emitteretur, qui per fistulas quasdam ab incolis appositas sonum tam suavem ediderit, ut prætereuntes ad se alliceret, & in admirationem aliquamdiu immorantes traheret. Et sanè constat, hujusmodi velut cantum sponte naturæ multis in locis edi, non modò cavis ore angusto, sed & littoribus etiam modicè cavis, ad quæ undæ per motus diversos allisæ, sonum non ingratum eliciunt.

Athenæus coqui cujusdam facetè per Sirenum fabulam jocantis, hæc ferè verba recitat: Si semel culinam meam arte instituero, id planè futurum videbis, quod olim circa Sirenes contigit. Præ suavitate enim nidoris nullus per proximum vicum transire poterit, sed accedens quivis hians ad fores tanquam affix⁹ stabit, donec alius quispiam, naribus obturatis adcurrens eũ abstraxerit.

Quòd verò Sirenas res fuisse fingunt, tribus etiam modis homines in amoris illece-

lecebras (nam & psaltriæ & meretriculæ fuerint) pertrahi significârunt, cantu scilicet, visu & consuetudine, quæ extremâ docet amare lineâ apud Terentium. Idem numerus rectè sentientibus significat mũdum, carnem & humani generis hostem, quorum cantus sunt suggestiones, instrumenta sunt præsentes delitiæ, divitiæ & honores.

Constitueramus ex amphibiis adducere genus vocalissimum ranarum, & alterum æterno silentio damnatum, cancrorum: sed obstat ciconia, avis familiarissima, adeoque æstiva; tum cygnus ejusdem cæli perpetuus hospes. Et quis negabit abyssum aquarum fuisse sive semen sive matricem alituum pisciumque gregibus? unde citra vituperium aves dixerimus piscium cognatos, & terrestrium affines; tum etiam pisces non paucos avium sodales, qui velis antennisque instructi aëris impetu valent, vigore extra suum elementum non longè valent, uti mergorum quædam species urinatores nostros docuêre sub undis ambulare & spiritum continere.

De Ciconiâ per pauca dicere convenit, quòd rarius aquis, iisque paluſtribus gaudeat; eâ veſci nefas ferè ubique, niſi ubi Apicis imperat, tùm propter pietatem in decrepitos parentes, tum propter ſtudium venandi inſecta. Neque enim hirundines inquit Varro, & ciconiæ, quæ in Italiâ pariunt, in omnibus terris pariunt. In Britannia ſunt ignotæ, niſi aliunde inferantur: ajunt, defugere regna, quòd magna ſint latrocinia. Plinius ait: Ciconiæ, quo nã è loco veniant, aut quo ſe referant, incompertum adhuc eſt. Bellanius verò, oculatus teſtis, hyeme in Ægypto, & in Africa vivere certiſſimum eſſe tradit, quin & alios poteſt appellare teſtes oculatos, qui ſimul obſervârunt, ſeptembri & octobri menſibus, totam Ægypti planiciem infinitum harum volucrum numerum alere.

Verùm videndum eſſet, numquid omnes ex Europâ abeant: nam Gervaſius Tebellotius in Lario lacu, qui nunc Comenſis appellatur, & ad quem Plinius Ciconias permeare negat, piſcatores per hyemem multas veluti extinctas, reti in ſic-

cum

cum trahere, easque ſimul junctas mutuò, ſimul roſtra in ano inſerta habere, & thermis calefactas reviviſcere tradit. Iterum Bellonius: Cùm circa Abydum eſſem, 24. die Auguſti, ingentem Ciconiarum vim conſpexi; quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbantur. Volabant illæ à Ruſſiâ Tartariâ, & Helleſpontum agmine decuſſato transverſum trajiciebant. Et cùm ſupra Tenedum inſulam eſſent, longo per anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur. Inde priusquam longius à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant, & ſe invicem verſus meridiem conſequebantur. De Comitiis earum fidem non facero: quicquid ſit, ad nos accedunt, quando in iis locis, ubi hybernarunt, intolerabilem æſtum ferre nequeunt, tunc enim Europa ipſis temperata apparet, quemadmodum contra hyems intemperata: ſic piſces prolis ſuſcipiendæ cauſa petunt loca commodiora.

Medetur ſibi læſa origano: platani foliis arcet veſpertiliones à nido: Tarentinæ

viduæ castissimæ, teste Æliano, cui nomen Heracleis, quòd violare discenti, crus fractum restituerit cum libertate, gemmam postero vere evomuerit, quâ domus de nocte illucesceret. Sic alia in Vesaliâ inferiori radicem Zinziberis, si avi vera suggessêre nepotibus, recentem retulit, referente Justino Goblero Jurisconsulto. Quin & Guilielmus Parisiensis docet, mares vel decem diebus præcedere fœminas, ut nidum rectè curent: sed & adulteriis pollui, mare ad pastum profecto, & vitium abluere fonte, ne odore prodatur (id quod & de leænis tradunt) unde mas ex Zelotipiâ complures advocet, ream peragat, & neci dedat. Omnes authores, præter Aristotelem, qui id vulgò credi ait, referunt amorem & antitrepteria in parentes senes. Sed missa Ciconia, cygnum imus contemplatum.

Olor, sive Cygnus, & mole sua & colore, figuraque maximè speciosus inter alias dotes habet cantus suavitatem, solus, teste Alberto Magno, inter magnas & aquaticas aves Musicus. à coitu fonte abluitur. Cur Horatius purpureos dicat, non est cur nos

cor-

torqueamus: ſic Sol, ver, flores, brachia, & verborum elegantiã, dicuntur purpurea, id eſt elegantiſſima & ſplendidiſſima. D. Ambroſius de collo: Cygnus quoque, cur proceriore collo utatur, in promtu eſt, ut quia eſt paulò ſegnior corpore, nec facile poteſt aquarum inferiora penetrare, cervicem extendit ad prædam, quæ quaſi per brevia totius corporis eſcam, quam invenerit, rapiat, atque eruat è profundo. Adde & illud, quia ſuavior, & magis canorus per procera modulus colla diſtinguitur, & longiore exercitatione purior longè reſultat.

Alfonſus Cataneus, Medicinæ profeſſor Ferrariæ eum ita deſcribit: Corpus totum undiquaque uniformes cinerei coloris plumæ obtegebant: erat enim annicula, aut natu minor. Primo enim anno, teſte Alberto, coloris eſt cinerei; elapſo verò anno candidiſſimus evadit. Pendebat libros viginti quatuor, dodrantes octo erat longus, ſtatua in humanam æquans. Collum enim totius reliqui corporis longitudine explet menſuram dodrantum quatuor, quo tanquam piſcatoria linea uſus, è

fundo commodè paululum haurire possit. Rostrum habebat sex digitos longum, à narium foraminibus supernè ad finem usque nigrum, cætera cartilagine carnis colore vestitum. Inferior mandibula tota nigrescebat frontis fine, & rostri principio utrimque masculam nigram, quæ in triangulum summi rostri depressa, ac æquali superficie coëunt, est videre inter quas fulvi coloris plumulæ frontem insigniunt. Latera utriusque rostri interius serrata, palatum quoque medium denticulorum in longum positorum ordine asperum, reliqua etiam scabrum. Linguam mediam sulcus denticulis, palatium medium secantibus respondens dividit, & ipse prope radicem scaber. Pedes dodrantem & palmum longi, nigri sunt, sed notis maculisque partim cæruleis, partim rubicundis & albicantibus distincti. Membranæ digitis interjectæ squamulis minimis rotundis sunt inæquales. Digitos verò, velut annuli quidam in latum intersecant: eorum medius omnium, & crassissimus & maximus est, longus digitos decem: internus novem, externus septem, omnes autẽ, quàm in

in Onocrotalo majores, plumæ desinunt paulò supra genu, inde ad dextremos digitos tres palmæ restant longitudinis. Alarum ambitus superior quatuor palmorum est: longissimæ alarum pennæ palmos septem cum dimidio æquant: cauda circiter tres palmas longa est, collum circiter octo. Vitam ducit olor ancipitem, tùm in aquis tum in terris, maximè in lacubus paludibus, stagnis & perennibus fluviis, quorum confluens moderatè & sedatè fertur, inquit Plinius.

An verò Cygnus cantet morti proximus, disceptatur inter doctos: canere plurimi scripserunt, Socrates, Aristoteles, Cicero, præter poëtas Callimachum, Æschylum, Theocritum, Lucretium, Virgilium & alios. Negat Lucianus, à quo nautæ quæsiti, an Cygni cantibus & modulis indulgeant, respondent, paucos nonnunquam conspexisse in Eridani paludibus, qui in canitam & inamænam vocem, & sonum parum firmum edere solebant, ita ut corvos & graculos illis collatos Sirenas esse confirmare possis: cæterum dulce quiddã & optabile, ut tu dicis, ne in somno

quidem audivimus. Et Alexander Myndius apud Athenæum profitetur, plures ſeſe cygnos moribundos perſecutum, cantum verò eorum nullum audiviſſe. Et Plinius Olorem morte narratur flebilis cantus falſis, ut arbitror aliquot experimentis. Tum Julius Cæſar Scaliger, in Cardanum invectus: De Cygni verò cantu ſuaviſſimo, quem cum mendaciorum parente Græcia jactare auſus es, ad Luciani tribunal, apud quem aliquid novi dicas, ſtatuo te. Multitudo ingẽs ad Caratonum fluvium. Quid dicam tibi? anſeres ſunt.

Attamen Oppianus, qui in obſervando & deſcribendo harum alitum cantu diligentiſſimus fuit, à Favonio ad cantum invitari author eſt, cùm decrepiti jam viribus deſtituuntur: Diluculo, inquit, canunt ante Solis ortum, tanquam in aëre vacuo, per id tempus audiendi clarius. Canunt etiam in maris littoribus, niſi tempeſtas, & procellarum ſonus diſſuadeant: hoc enim vigente, ne ſuis quidem ipſi cantilenis ſatis perfrui poſſent. Sed ne in ſenecta quidem morti vicina cantus obliviſcũtur, qui tamen eis in illâ ætate remiſſior eſt,

quàm

quàm in juventa, cum neque cervicem amplius erigere, neque pennas extendere queant. Favonium tunc ad canendum observant ignavi jam cruribus & membrorum viribus defecti. Moriturus secedit aliquò, ubi nulla avis canentem audiat, nec olores alii luctuosè interpellent, si qui fortè adessent, qui similem vitæ exitum sibi imminere intelligerent.

Cùm jam paribus ferè rationibus ab utraque parte hactenus sit certatum, affirmanti sentiæ non modicam fidem facit præclara illa, & suspicienda arteriæ asperæ structura; quæ cum duplici reflexione tubæ bellicæ figuram exactissimè repræsentet, qua quamlibet, tàm acutorum, quàm gravium tonorum varietatem modolantes tubicines effingere solent, natura nihil frustra facere, neque etiam actionem ullam sine idoneis functionique accommodatis instrumentis obire soleat, minimè vulgari organi argumento facilè inducor, ut vero similiorem eorum esse credam sententiam, qui dulce melos, præsertim morti vicinos, contare dicunt. Accedunt Ægyptii huic sententiæ, quibus vel ipsi

Græci philoſophiam acceptam referebant, qui cygnum Muſicæ ſignum eſſe voluerunt.

Federicus Pendaſius, philoſophiæ profeſſor celeberrimus, ait, ſe cygnos frequenter cantantes ſuaviter in lacu Mantuano cymba vectum audiviſſe aſſerit, cui tanquam fide digniſſimo nemo facilè fidem negârit; adeò ut Scaliger ex fervore contradicendi potius, quàm ex veritate rei ſcripſiſſe videatur. Sed & Georgius Braun Cygnos teſtatur apud Londinum Angliæ emporium in mari agminatim læto occurſu, & feſtivis cantibus ſubeuntes claſſes excipere. Accedit ei Albertus, qui ſe hujuſmodi voces lugubres in qualibet triſtitiâ ab eis edi animadvertiſſe aſſeverat. Et Antonius Muſa Brajavolus cygnos ſub vitæ exitum canere, ſeſe obſervâſſe teſtatur, ſed omnes id facere negat: hinc apud Plinium pro falſis, ſubſtituendum putat factis, quòd mirum ſibi videretur, adeò vulgatam ſententiam falsò undiquaque pronuntiari.

Sed ſi olor rectius inter aves recenſeatur, rectiſſimè polypus inter piſces; amphi-

phibium tamen esse docebunt sequentia: Verum enimverò polypus atque Loligo, apud Aristotelem, atramentum præ metu mittunt, sed illud accrescit denuò, postquam miserunt, ut nunquam materia desit. Is mutatione coloris facilè venatur pisces: trahit enim colorem similem iis, quibus appropinquavit saxis, id quod & Solinus affirmat, quæ Plinius ita auget: Cùm polypus alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet, colorem mutat ad similitudinem loci, & maximè in metu: brachia illi eduntur à conchis, & renascuntur, sicut lacertis cauda: quæ eadem Basilius & Olaus confirmant. Trebius Niger ei & hunc astum tribuit: avidissimus est concharum; verùm quia dum se occludendo conchæ polypi brachia proscindere posse putant, unde piscator ipse captus expiscatus esset; ut sibi caveat polypus, apertis conchis lapillum lignumve injicit, unde rursum occludi nequeat concha, ipse verò carnes devoret. Imò tradit Albert. etiam homines rapere de nave, & sponte

ſponte ſuâ ſibi brachia edere, quæ tamen renaſcantur.

Mirum aliud addit Ariſtoteles: locuſtis marinis tanto terrori eſſe, ut cùm eodem reti locuſta perſenſerit adeſſe polypum, ſtatim moriatur. Contigit aliquando, refert Ælianus, eum colorem mutâſſe (non mutat, ſi nolit) atque aquilam ſumma impetu devolâſſe; at ipſe circumplicatâ aquilâ, pertinacibus brachiis & cirris aquilam interfecit, trahens illam in pelagus. accedat iſtis Plinius, cui is & natantem hominem bracchiis circumplicâſſe memoratur, interemiſſeq; ſanguinis à pectore ſuctu.

Dicitur ſanè in tantam aliquando amplitudinem creviſſe, ut cæto æquari potuerit. Fulgoſus: Cùm in Hiſpaniâ piſcatores, qui tynnos condiunt, ſingulis noctibus aliquid iis, quæ jam paraverant, ſubtrahi animadverterent, & propterea diligentius rem obſervarent, non ſine ingenti formidine cùm latratu ſuo canes ad rem inſpiciendum invitarent, proſpexerunt vaſtam terribilemque belluam, ingenti ſpiritu, brachiisque canes à ſe abigentem,

ad

ad quos defendendos accurrentes ; qui aderant, variis instructi armis, magno labore tandem feram confecerunt, cognoveruntque polypum esse, qui ejusmodi cibi avidissimus, superioribus noctibus, quod piscatores deesse sibi querebantur, rapuerat.

Hujus belluæ caput immensum horrendumque fuit, quod Lucius Licullus, qui illud inspexit, putavit quindecim amphorarum, quæ in nauticis rebus bottæ dicuntur, mensuram continere : brachia autem ingentia, adeò ut vix hominis complexu cingi possent, interrodiaq; crurum magnæ ollæ amplitudinem complere. Ejus autem reliquiæ in miraculi testimonium sepositæ fuerunt, septingentarumque librarim pondus excesserunt. Mutuatus videtur Fulgosus hæc ex Plinio, qui Carteiæ hoc contigisse narrat, & bestiæ brachia ad pedes triginta longitudine fuisse porrecta, Trebio Nigro, qui ea scripsit teste oculato.

Aliam non minus jucundam historiam refert Ælianus: Puteolis, oppido Italiæ auditum est, polypum, cum inusitatâ ad

cor-

corporis molem facta progressione , ad maximam pervenisset magnitudinem , egregio spreto & neglecto maritimo victu in continentem processisse, & terrena pleraque vastasse: tum per subterraneum specum, Puteolanas sordes in mare transmittentem, in maritimam domum ascendisse, ubi mercatorum res salsamentaq; in magnis vasis essent, brachiorum primùm circumplexione vasa strictè comprimente corrupisse, ac depopulatum fuisse. Stupentibus mercatoribus, unde tanta salsamentorum jactura fieret , consilium captum est , prædonem nocturnum observandi : repente igitur consueto ad pabula polypo, accurrit magna hominum multitudo, à qua vix interemptus est. Atque ita contigit novum quid commemorandum, ut in terra piscis fuerit captus, non in mari. Testatur autem Ælianus, se ejusdem corium vidisse. Cæterùm tantæ est pertinaciæ, ubi adhæsit saxo, ut si quis revellere velit , carnis partem amittat , aut saxi partem trahat, Gregorio Nazianzeno referente.

Si

Si quæras, cur hodie ea monſtra neque appareant, neque capiantur, dixerim tormentorum bellicorum mugitibus percelli piſces, ut littora defugiant, uti notum eſt, ab Hafniâ & Stocolmia receſſiſſe, quæ ibidem capi ſolebant, agmina halecum, poſtquam diræ illæ machinæ obſidionibus fuerunt adhibitæ; quarum uſus etiam frequentiſſimus in excipiendis aut dimittendis, adeòque ſalutandis hoſpitibus.

Narrat Vives ætate ſuâ apud Batavos marinum hominem viſum à plurimis, & ſupra duos annos ibi detentum mutum fuiſſe, incepiſſe tamen fari, ſed in mare reſiliiſſe gaudentem; ex eo fortè genere, de quo Alexander ab Alexandro in genialibus libris recitat, In Siciliæ regno hominem compertum, tantâ à puero natandi conſuetudine, mari adſuetum diu noctuque, ut ſi aliqua elaberetur dies, quâ natando non fuiſſet exercitatus, corde plurimum angeretur, & ſimul animo, unde illi piſcis Calanus nomen. Hoc igitur quotidiano exercitamento tantam vim roburque fuerat aſſecutus, ut quingenta &

eò amplius ſtadia perpetua natatione præter flueret, dies ac noctes integras ſemper maritimos fluctus obverſans, procellis contemptis: occurſabat navibus, ibique per benignè ac comiter convivans redibat ad fluctus: tandem ab Alphonſo rege, aureo cratere urinatoribus propoſito, certaturus infelix Calanus hic maris ima petens, ulterius non eſt viſus, lapſus fortè in antrum aliquod ſub imo mari, aut alio quopiam diſcrimine obiiſſe putatur.

Eugenio IV. Pontifice, apud urbem Sibinicum in Illyrico captus memoratur marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is ab accurrentibus, qui rem inſpexerant, lapidibus fuſtibusque vulneratus, in ſolū retractus eſt, ejus effigies penè humana, niſi ꝙ cutis anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parva habebat cornua; manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant, pedes autem in duas veluti caudas deſinebant, à quibus ad brachia alæ, ut in veſpertilione extenuabantur. Fulgos. In Ægypto quoque in Nilo, Mena præfecto unà cum populo deam-

deambulante in loco qui dicitur Delta, sole orto, animalia humanæ formæ per similia apparuêre, in fluminis medio, vir scilicet & mulier visebantur; vir quidem pectore ingenti, vultuque terribilis, rufa coma, usque ad lumbos denudatus; mulieri mammillæ erant, cum fæmineo prorsus vultu, ac cæsarie prolixa, visa feruntur usque ad horam nonam ab omni populo: de quâ re scripsit ad Imperatorem Mauritium Menas, ut Theophilus Isaurus Abbas illi tempori nonnullis seculis inferior scriptum reliquit in Chronologia, interprete Anastasio, Bibliothecario Romano, anno D. 592.

Anno D. 1403. captain Hollandiæ lacu marina mulier fuit, eò è mari rejecta. In Harlemum igitur urbem delata, cùm nuda esset, passa est se vestibus indui; panis, lactis ac cæterorum usum admisit, didicit fila è colo deducere, & obsequi rebus multis muliebri more, simul & Christo crucifixo genua flectens venerabunda, docilis ad omnia, quæ mandaret patrona, nunquam tamen locuta, annos multos ibi vixit.

Anno

Anno D. 1526. in Frisia captus vir, barbatus ac capillatus, pilis valde setosis, paucos annos vixit, semper mutus, tãdem peste abreptus.

In Balthico mari anno D. 1531. prope Elepochum, Norvegiæ oppidum, captus est vir marinus, qui Episcopum infulis ornatum corporis habitu penitus exprimebat: dono datus Sigismundo, Poloniæ Regi, & triduo tantùm vixit, de quo Gilbertus, Horstius & Cornelius Amstelrodam' Romam scriplêre.

De hisce Tritonibus plura scribit Damianus Goës in Olyssiponis enarratione, & non procul à Lunæ promontorio Ferdinandus Alvarus domus Indicæ Scriba, visum adolescentem marinum, in littus prodeuntem, piscatorumque pisces furantem & crudos edentem narrat. Et quoniam res tanta in Hispania illustris erat, habebaturque copia illo mari Sirenũ ac Tritonum, adhibita est fides. Nam comperiuntur in antiquis Lusitaniæ regni archivis de eâ re monumenta, cùm ea monstra ad se pertinere, tum rex, tum magnus Magister S. Jacobi contenderent; trans-

translatione autem lis illa diremta est, decretumque, non magistro Ordinis, sed regibus deberi vectigal Sirenum, aliarumque belluarum marinarum, quæ in littoribus Magistri caperentur. De his plura Damianus: & Georgius Bruni in Harlemo.

Cap. XLII.

PISCES.

IN Xantung, piscium in lacubus, fluminibus ac mari tanta vis est, ut teruntio Europæo facilè decem piscium illîc comparentur libræ.

In Cingcheu piscium est multitudo tanta, ut vel solis squartiarum (segrin vulgò vocant) pellibus magnum lucrum fiat.

Ad Taicheu, in mari vicino squartiarum pelles colligunt, quas in Japoniam, pro acinacum vaginis conficiendis, atque in totam Sinam magno quæstu transmittunt.

In Kiangsi piscium vis ingens, præcipuè Sal-

Salmonum , trutarum & acipenſerum: quorum unus centum ſexaginta libras pē-dens ; ſex Juliis ſeu regalibus Hiſpanicis quandoque emtus ; & truta decem librarum triario, ſeu tribus aſſibus.

Kieukyang urbs in Kiangſi, licet à mari plus minus leucis abſit, multi tamen ad illam marini capiuntur piſces, acipenſeres, delphini, & Salmones.

Lampretulæ præſtantiſſimæ capiuntur circa Xeu civitatem , in flumine Loſeu, provinciæ Huquang.

In Croceo flumine, præter cæteros, certum genus piſcium naſcitur, Xehoa , à lapideis ſcilicet in cute maculis; & nuſquam reperitur, niſi ad Paőte civitatem, magnoque apud epulones in pretio eſt.

In Fokien, ad Hinghoa, mugiles capiuntur, totâ Sinâ optimi.

Ad Ningpo itidem toto anno ; æſtate autem ineunte piſcem Hoang, hoc eſt, luteum, à colore dictum; is adeo tenellus eſt, ut extra aquam ne ad horam quidem maneat incorruptus. Cùm verò ob ſaporis ſuavitatem ac delitias ubique expetatur, glacie eum involvere, atque ita divendere

ſolent;

ſolent; in quem uſum etiam glacies hyberna aſſervatur.

Sub Kiagan eſt lacus Mie, ita dictus, à ſuaviſſimis quos alit piſcibus, quaſi melle dulciores.

In Chekiang ſub Hangcheu (Quinſai) eſt mons Cienking, prope Changhoa, in quo lacus ducentorum jugerum, ob aureolos piſces celebris: fulvi ſunt coloris, & per certa intervalla aureis quodammodo lineis interſecta micat cutis, totumque dorſum aureo veluti pulvere inſperſum eſt. Eorum magnitudo digitum non excedit, & tamen trifurcata, bifurcata, ſubinde etiam ſimplici & latiori cauda armati ſunt, unde jucundi amænique ſunt aſpectu, magno apud Sinas in pretio, quos ſtudiosè domi, aut in viridariis alunt, pulcherrimis ad id adornatis vaſis; iis ſubinde Magnates manu ſua cibum porrigere ſolent. tum quaſi noſſent, cui domino ſerviant, quamque ſuo aſpectu voluptatem illi concilient, ſæpè cùm adeſt, colludunt. Cùm ex omnibus partibus, quas Sinæ expetunt, perfecti ſunt, unius pretium

ad duos tresve aureos quandoque aſcendit.

Ad Namyang urbem in Honan , eſt Tan amnis , in quo rubri omninò reperiuntur piſces; idque tantummodò ſub initium æſtatis : nam reliquo anni tempore deliteſcunt.

Ad Changxa urbem , in Huquang , & ad Nanking , ex magno fluvio Kiang, urbi vicino, ineunte Aprili ac Majo menſe, piſces admodum copioſos capiunt, quos Sinæ Xiyu , Luſitani Sauel vocant. Quo tempore magnus quidam Eunuchus ab Imperatore conſtitutus eſt , qui captos piſces vivos , glacieque in navibus deſtinatis quodammodo ſepultos (quam glaciem per hyemem , uti apud quoſdam Europæos mos eſt, collectam , totâ ad id æſtate ſervant) magnâ curâ ad ipſum Imperatorem, Pekinum uſque mittit.

In Xenſi, ad Pingyang civitatem piſcis reperitur , quem Sinæ lapidem vocant : is exiccatus , ac in pulverem redactus , ſericisque pannis aſperſus , eos à tineis omninò intactos, incolumesque ſervat.

In

In Kiungcheu, ad Insulam Hainan balenas capiunt *Sinæ* eo plane modo, quo Batavi in mari Baltico, haud procul à Groenlandiâ; ex quibus etiam oleum ad varios usus dein exhibendum excoquunt.

In Junnan, ad Chinkiang quoddam piscium genus est celebre, ex quo Medici contra quamcunque scabiem præsens remedium eliciunt.

Ibidem lacus Ming inter cætera habet unum genus piscium, coloris nigricantis, quem multis morbis prodesse volunt.

Cùm Balænarum fiat proximè mentio, & nautæ quidam Sacræ Scripturæ ludibrium impingant, quasi gula angusta tanti piscis non potuerit transmittere Jonam prophetam, hinc mihi principium jure sumitur. Nearchus, scriptor antiquus tradit, à se visum in Persico littore cæte, longitudine cubitorum quinquaginta, squāmis obtecta cute, crassitudine cubitali, conchis, ostreis, herbisque marinis desuper enatis. Per similis quoque piscis Strabo meminit, quem ad mare rubrum, quinquagenum cubitorum viderit. Plinius &

Solinus dicunt, aliquando quaternum jugerum fuisse. Juba ait, cæte sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in flumen Arabiæ intrâsse. Et Basilius refert, cæte aliquando montibus æquales fieri. Ælianus hæc: In mari Indico cæte, cujus costæ viginti cubitorum longitudine procedunt, & quintuplo est Elephantis major. Theocles, Cæte procreari triremibus majores. Onesicratus & Orthagoras, fecêre longitudine dimidii stadii, & latitudine pro rata longitudinis portione augeri. Sæpè insularum magnitudinem exhibere, si quando in aquæ superficiem enatârit, tradit Ambrosius. Et Augustinus meminit suo tempore in publico Carthaginis foro admirandæ amplitudinis cæte ossa miraculi causa prostitisse. Hinc ait, ossa costarum ubi visa sunt tanta amplitudine ut crura equestrem hominem pertranseuntem admittant.

Zonaras in Justiniano hæc admiranda narrat: Hoc Imperatore Cæte ille captus est, qui Byzantiis ultra quinquaginta annos molestus fuit, quem Torphirium appella-

pellabant, non ille quidem ſemper apparens, ſed ex intervallis. Cæterum quoties appareat, cùm multas naves demergebat, tum multis hominibus exitium afferebat: qui cùm multis machinis peteretur, eæque omnes eſſent irritæ, tandem in proſequendis delphinis captus eſt, qui cùm propè terram confugiſſent, ille impetum non inhibuit, donec proximè terram provectus in uliginem & profundum lutum incidiſſet, unde emergere non potuit, quo accolæ cognito marinam illam belluam ſecuribus & bipennibus confecerunt, & funibus, quâ craſſior, alligatis boum jugis in terram pertraxerunt. Ejus longitudo triginta cubitorum fuit, latitudo decem.

Et Olaus ait, circa Norvvegiæ litora conſpici balenas, quarum vel ſolus intuitus ingentem hominibus pavorem incutiat: quadratum illis caput eſt, undique ſpinis refertum, cornibus peracutis ac longis, radicum ingentis arboris modo: ſingula enim cornua denos atque duodenos cubitos excedunt, oculi ſinguli ambitu cubitis decem ſunt ampliores. Noctu ii

coruſcant, ingentium flammarum modo: procul enim viſi à piſcatoribus ignes eſſe grandes putantur. Superciliorum pili, atque etiam menti ad barbam frequentiſſimi, ſunt nihilo minores calamis anſerinis. Tanta illis eſt vis, ut naves evertant; idque teſtatur ex epiſtola Archiepiſcopi Nidroſienſis, qui hujuſmodi bellua Leonem Decimum Romanum Pontificem reddiderat certiorem anno D. 1520.

Eodem etiam libro memorat, viſum fuiſſe cæte, cujus hiatus pateret ad pedes duodecim, dentibus hinc inde diſpoſitis, aprorum elephantorumque per ſimilibus; tàm vaſtis oculis, ut intra ſingulorum ambitum viginti homines percommodè inſidere poſſent: circumcirca oculos ac ſupercilia pro pilis cornua numerabantur ducenta quinquaginta, eaque obdura, proinde ac reliquorum animantium cornua porrigebantur ſingula ad longitudinem pedum ſeptem: reliquum corpus ab hoc capitis vaſtitate deprehendi poteſt. Idem alibi narrat, cæte viſum trecentorum pedum longum. Tantam ei vim ineſſe tradit Albertus, ut in Friſiâ, cùm in arenam, in-

insequens alios irruisset , funibusque ac palis ibi affixus ligatusque fuisset, redeuntibus fluctibus sese extricaverit in altum relapsus.

Tum autem plura accidunt memoratu digna; primùm quidem circa formam capitis; nam Plinio videtur, balenæ ac cæti os esse in fronte, ideoque summa aquâ natantes in sublime nimbos efflare. Deinde circa vitæ progressum cùm plurimum adoleverit, ob ingentem supervacaneamque pinguedinem hebetantur illi oculi, ut etiam cæcutire videatur, quamobrem ductore eget. Sic Ælianus: Omne fere cætarium genus duce ad sibi moderandum eget, illisque ducibus ad videndum utitur. is autem dux est, quemadmodum harum rerum periti testantur, longus piscis, colore albo, capite prælongo, angusta cauda: nam hic separatim nunquam ab illo navigat, sed ante hujus caput antecedens, ipsius dux, ac quasi temo existit. Etenim cuncta illi & providet, & præsentit, caudaque extrema præmonstrat singula , tum horribilia formidolosaque inhibet, tum cibaria conciliat, insidiasque à piscatori-

bus positas signo quodam ostendit, atque quem locum propter magnitudinem illum adire non oporteat, præsignificat: ob nimiam enim pinguitudinem cæti oculus efficitur ad videndum ineptus: quòd si is pisciculus, quo ad necessaria utitur, perit, illi quoque pereundum est.

Quin illud quoque accidit balenis memorabile, ut prolem suam, cùm pavor aliquis supervenerit, ore excipiant, ob nimiam erga illam benevolentiam, ait Olaus. Cæterum omnium maxima, & veluti cæterorum rex ac princeps Balæna ab omnibus memoratur: balænæ enim nomen pro peculiari specie balænæ Ceti cum veteribus accipere licet, quod nunc vulgus, atque piscatores pro genere velut usurpant, nosque vulgò rem aliquam gravem difficilemque exaggeraturi, balænæ assimilare solemus. Græci Phalainan dicunt, unde balæna, auctore Festo, sicut pyxon buxum dicebant.

Notæ specificæ, quibus exactè balæna cognosci queat, apud veteres non inveniuntur, unde factum, ut alii alios Cetos pro balenis prodant, Cùm Plinio balæna jugerum

gerum quaternũ, Pristes ducentorum cubitorum dicatur, Massarius quatuor jugera interpretatur nongentorum sexaginta pedum longitudinem: Neorchus ex insulis ante Euphratem Cetum mari ejectum centum & quinquaginta cubitorum se vidisse refert. Sunt & prægrandes in mari Britannico, unde Juvenalis

Quantum Delphinis balæna Britannica major.

addit alias notas Plinius: Branchiæ non sunt Balænis, nec Delphinis: hæc duo genera fistulis spirant, quæ ad pulmonem pertinent, Balænis à fronte, Delphinis à tergo. Quibus quidem verbis Balænas à Delphinis distinguit manifestissimè. Plinius vocat ora fistulas in fronte, quibus nimbos in sublime efflant. Bellonius suam balænam per insignem denominationem Cete quibusdam dici tradit: maximæ molis piscis, vivi parus rostratus, pulmone præditus: branchiarum loco prægrandem fistulam in fronte gerens, haud exertam tamen, ut vulgò depingi solet, per quam humorem ore exceptum, magno impetu effundit ac rejicit, ut eo vel onerarias in-

terdum naves submergere dicatur. Pinnas habet utrinque unam, ac præter has tertiam in dorso, veluti alam, qua totum corpus dirigit, caudamque lunatam, qua temonis vice huc atque illuc corpus inflectit: corio glabro ac spisso integitur, nigro, duro, firmo ac solido, squamis ac villis carente, cui pinguedo nonnunquam pedis altitudine subest, nostratibus, præsertim verna jejunio, sale condita, eduliis apta, laridum quadragesimale appellant.

Quin etiam balænæ lingua multarum est librarum pondo, nobis in maximis delitiis haberi solita: reliquas ejus piscis carnes, etiam bubularum instar salitas, audio vel numerosum exercitum per integrum diem alere posse. Prætenturas ante oculos habet, ob id appellatas, quòd his sibi prætendat iter. Sunt autem tenues quædam assulæ, quaternis ulnis longæ, ac sex quipedem latæ, extrema in fastigium acuminatæ, longissimis villis ad latera præditæ (setas aut barbam per me licet appelles) vulgus falsò interdum caudam, interdum costam balænæ nominat: cujus perpolitis

tis ac benè exiccatis frustulis politiores mulierculæ sua pectoralia communire, vestimque fibras rigidiores ac rotundiores continere, atque apparitores publici virgularum ac fascium loco gestare solent.

Cætera quæ ad interiorem ingentis animalis structuram pertinent, puto æquè ad Orcam & Delphinum referri posse, cùm hoc viviparum cetacei genus exteriore forma illis respondeat, & ab illis incredibili tantùm mole discrepet. Hujus rei testes sunt ossa tàm vasta, tamque numerosa in plerisque regionibus conspici solita, ut iis rustici apud Britannos, Armoricos ac Scotos, quorum more magna harum piscium copia abundat, tanquam polis suos hortos, prædiaq; obsepire consueverint.

Gesnerus pro cæto phocænam dat, in cujus ventriculo reperta sit ingens copia piscium non concultorum, & inter alios Salmo vivus, ulnæ longitudine: qui rarò copiatur in Germaniâ inferiore, ut prodigii ferè loco sit, sed circa Frisiam & in mari Baltico multus. genitale illi ulnæ seu

brachii longitudine, crassitie femoris virilis.

Anno D. 1577. die 2. Julii, capta est hæc balæna in Scaldi, decem ab Antuerpia milliaribus: colore erat ex cæruleo nigricante, fistulam in vertice habebat, quâ aquam eructabat magnâ vi. longitudo ejus erat pedum octo & quinquaginta, altitudo autem sex decim, cauda quatuordecim pedes lata, ab oculo ad extremum rostrum intervallum sexdecim pedum: maxilla inferior senum in singulis lateribus pedum erat, viginti quinque dentibus armata, qui totidem foraminibus, in superiore, dentibus omninò carente, excavatis, recondi poterant: quo vel uno nomine monstrosa hæc balæna censeri debebat, quòd balænæ natura dentes negaverit, & quòd in animalibus minimè cornutis ita sit natura comparatum, ut cùm dentes subsunt in ore inferiori, eorum ordini superior ex opposito ad conterendos intercurrentes cibos respondeat: tot dentium longissimus sex pollices non excedebat.

Maris loca amant balænæ longè à terra remota. In Taprobanæ insulæ mari per-

mul-

multas esse ajunt, teste Æliano, Delphinis insidiantes. Plinius in Gaditano Oceano non ante brumam conspici eas tradit, cõdi autem statis temporibus in quodam sinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere. Dormiunti editâ per summa æquoris, fistulâ, teste Aristotele; Plinius & stertentes audiri asserit. Oppianus & Ælianus in siccum exiræ tradunt, ut à Solis radiis calescant. Vivos excludit, eorum more, quæ pilo vestiuntur, bivos uberibus nutrit, aliquando tamen unum tantùm, ut Aristoteles testatur, parit. Sunt qui comedere negent eo modo, quo alii pisces solent, masticando nempe, cibumque dentibus comminuẽdo, sed tantummodo quos venatur, *pisces deglutire integros, hosq; nisi parvos, propter internam gutturis membranam, quæ nihil magnum ingredi ventrem sinat.*

Gladium insuper, tanquam hostem capitalem metuere quidam arbitrãtur. Nos verò ex Oppiani paraphraste Gladium scripsimus, ubi balænam conspicatur, usq; adeò metu consterni, ut gladium suum in terram aut saxum, aut obvium alium

quemcunque fundi locum impingat, atq; ita infixo capite se continere, donec balæna cæcutiens, truncum, aut aliud quippiam esse putans, negligens prænataret.

Rondeletius Vulgarem ita describit: Bellua hæc plurimùm triginta sex cubitos longa est, octo alta. Oris scissura ad duo de viginti pedes porrigitur, dentes in eo nulli; sed horum loco in utraque maxillâ corneæ sunt laminæ nigræ, sensim in pilos suillis similes desinentes, quæ in anteriore & posteriore sine interiore oris parte breviores sunt, in media longiores. Ab interioribus lingua intus continetur & coërcetur; inde educta & rescissa ita diffunditur, ut in eumdem locum recipi postea non possit. maximâ enim est, & laxâ admodum substantiâ. Sale conditur, & à plurimis in maximis habetur delitiis: est enim omnium corporis partium tenerrima, ex quâ viginti tria vasa implentur, cujusmodi sunt ea, quibus in Gallia salsumenta condiuntur, ut huc & illuc divehantur.

Oculo quatuor ulnarum spatio à se invicem distant, forisque parvi apparent,

sed

ſed intus capitis humani magnitudinem ſuperant: quamobrem felluntur ii, qui bubulis majores eſſe negant. Piunas duas in lateribus maximas habet, quibus natat, & catulos in metu occultat, in dorſo prima nulla. Cauda ſitu caudis Delphinorum ſimilis eſt, figura non multum abſimilis, quam cum movet, ita mare agitat, ut naviculas ſubmergat; vel ſi cymbam attingat, evertat. roſtro eſt brevi, fiſtulâ caret, corio duro, nigro integitur, ſine pilis, cui lepades & oſtrea hærentia aliquando reperiuntur.

Internæ partes, veluti in Delphino, pulmones, renes, veſica, teſtes, pudendum. In hujus belluæ ventriculo mucus, ſpuma, aqua, alga fœtida inveniuntur, ſine ullis piſcium fruſtis; ut inde appareat, carnivoram non eſſe. In quarundam ventriculo ambra viſa eſt, (non illîc nata, ſed deglutita) vivos catulos parit; id quod ex diſſentione certiſſimum id. Illud verò non ſine causâ quis miretur, quòd bellua iſta pulmonibus ſpirans, fiſtula careat, quam habet balæna vera, Phyſeter, Orca: quæ fiſtula cùm non ſolùm ad rejiciendam a-

quam,

quam, sed & ad respirandum data sit, hujus vice musculus rimas seu foramina habet, quòd rostro non sit oblongo, sed obtusiore, quàm cæteræ belluæ, quemadmodum testudines & vituli marini. Gesnerus cum hac bellua eandem existimat Britannicum quendam cetum, cujus effigies publicata est: ei sunt duo in capite foramina, per qua veluti per fistulas aquam putabatur plurimam rejectasse. Caro nullo est in pretio: lingua sola commendatur.

De Orca Plinius: Orca in portu Ostiensi visa est, oppugnata à Claudio principe. Venerat tunc exædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum è Gallia, satiansque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat, accumulata fluctibus in tantùm, ut circumagi nullo modo posset; & dum saginam persequitur, in littus fluctibus propulsa, eminente dorso multum super aquos, carinæ vice inversæ. Prætendi jussit Cæsar plagas multiplices inter ora portus, profectusque ipse cum Prætorianis cohortibus populo Romano spectaculum præbuit, lanceas congerente milite, è navigiis assultantibus,

bus, quorum unum mergi vidimus, re flatu belluæ oppletum nudo.

Sed tandem aliquando ſatisfaciendum nautis, & eradicanda ipſorum inſcitia, itaque ſic habe: Cettum eſt ex textu & Jonæ & Matthæi, fuiſſe cetum magnum ; ſed cùm & hi non unius omninò ſint generis, hin curiosè quæritur, ad quam claſſem, ſeu ſpeciem catorum piſcis Jonæ ſit referendus? Septuaginta, quos ſequitur S. Matthæus, cetum vocant. Ceti verò nomen commune eſt ad balænas, Phyſiteres, orcas, priſtas, lamias, thinnos, omnesque piſces prægrandes & cetaceos. Cetus enim ex Ariſtotele eſt propriè omne genus piſcium, quod absque vivificatione vivos excludit fœtus, & verè reſpirat, vero reſpirationis inſtrumento, pulmone inquam præditum. Imò à Galeno & vulgo quilibet piſces prægrandes cetis accenſentur; non quòd ceti ſint, ſed quòd ad eorum magnitudiem excreſcant.

Unde licet Carcharias pulmonem non habeat, atque ova intra ſe concipiat, ſed ita ea intra ſeſe vivificet, vivosque fœtus excludat: à Galeno tamen & Æliano & Op-

Oppiano inter Cete recensetur. Licet ergò vulgus putet piscem hunc, qui glutivit Jonam fuisse balænam, negant tamen id Rondeletius & Ulysses Aldrovandus, atque ex eis Pineda à Castro & alii: eò, quòd balæna arctiori sit gutture & ventriculo, nec facilè hominem integrum ac illæsum glutire atque continere possit. Quod intellige de parvis & communibus balænis. Nam majores sunt instar montium, quæ facilè homines & boves integros glutiunt.

Censent ergò ipsi, piscem hunc fuisse illum, qui Carcharias & Canis, atque ab aliis vocatur Lamia, qui ingens est voracissimus & anthropophagus, rictumque oris ac guttur habet immane. Carcharias enim sive canis est galeonũ omnium maximus, magnitudine thinnos ipsos vincens, & in tantum aliquando excrescens, teste Rondeletio, ut currui impositus vix à duobus equis vehi possit. Quare eviſceratus, & in frusta dissectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit Rondeletius, vidisse se mediocrem, qui mille libras ponderabat: hac de causa Carcharias à non-

nonnullis vocatur Lamia, à gula & gutture, eò quòd magnum & quasi immane guttur habeat & sit voracissimus. Aquâ ingluvie similiter lamiæ vocantur maleficæ illæ, quæ pueros & juvenes ad se sua forma alliciunt, allectosque devorant.

Verè Augustinus, agens de ore ceti qui deglutivit Jonam, Quis, ait, non conjiciat, quanto hiatu patebat os illud, quod veluti janua speluncæ illius fuit. Erat enim philosophorum non postremus Porphyrius, qui hinc inde carpebat sacram scripturam, ut authoritatem illius convelleret, adeoque hîc fabulam irrideret. Atque sufficit hoc loco, ad externum saltem fidei assensum historicum scire tum ex scriptura sacra tum ex profanis historiis, esse nonnullos pisces, tantæ magnitudinis, qui non tantùm hominem deglutire, sed & longè majora opera efficere possint, sicuti Jobi c.41. Leviathan dicitur. Et de ejusmodi monstrosis piscibus agunt Josephus, Aristoteles, Gesnerus, alii.

Descendamus ex montibus ad valles, à ceto ad halecem. Arengi piscis intelligitur, argenteo quodam squamarum fulgore,

re, noctu præsertim lucentes, dodrante vix majores, quos & Thrissarum genere statuit Rondeletius gravissimus piscariæ rei judex, Leucomenidas Franciscus Massaruis vocat, & cum gerribus Plinii confundit. Ego insistens Cæsaris judicio, & cum multis loquendum cunsens, aleces nomino, cum Prisciano & Sosipatro, inquit Junius, nobilissimis Grammaticis ita placere approbarique video, qui alecem pro pisce muriâ condiri solito, accipiunt. Sunt autem ex iis, quos agelæos Aristoteles, gregales nostri nominant, quòd agminatim per Oceanum ferantur palabundi, tantâ interdum multitudine, ut oppositis retibus sisti nequeat impetus, quin illa rapiantur, ac liquidi æquoris faciem obfuscent. Quæ causa est, cur tam copiosa sit illorum in retia infusorum captura.

Nam postquam ex Arctoi maris latebris discedentes, id quod præcipitante jam vere solet fieri, velut commutatis natalibus, in æstiva contendunt: tum verò classes variæ, inter quas Hollandica, Selandica, Frisica, Flandrica, Gallica, Britannica, & Scotica, quasi ex condicto, ad evitandas simul-

ſimultates & contentiones, partitæ inter ſe certas ac definitas ſtationes ſub Britanniâ, Scotiæ orâ & Orcadibus, ſingulæ pro viribus iſti piſcium generi inſidiantur navigiis rotundis, alvo pandâ, obtuſa prora, buſas nuncupant, quas rectius domicilia maris, cum vulgo, quàm pelagi vehicula cum Æſchylo vocare liceat.

Hi piſces vivi, quoad ejus fieri poteſt; (nam ſimul cum deſerto ſalo vitam quoque protinus expirat) per jugulatorem eundem & eviſceratorem, cui præ cæteris omnibus liberaliſſima merces datur, aperto prius jugulo exenterantur, dein per ſalitorem condiuntur, feſtinatis operis: inde conduntur ſalſumentariis cadis, quos latini Orcas dicunt, poſtea venditi per alecarios cupariosque, de integro ſtipantur, inani turba quæ lactibus ac ovis caret, numero ſubmotâ, nova muria obruuntur. Poſtremò per delectos juratosque arbitros bonitatis exploratur fides, ſigilloque addito obſtringitur, non abſimili religione vetere, quâ Dianæ ſacerdos Lemniam rubricam, quam minii glebam Celſus vocat, probatæ notæ ſigillo impreſſo inſignie-

gniebat, uti teſtimonio Galeni conſtat.

Atque id quidem primum genus alecum eſt conditaneum, ſeu muriaticum nominandum cum Plauto, alterum eſt, quod leviter ſalitum in fumario fumo duratur, ubi auri, vel æris potius colorem ducit, unde Soretum voce Gothica Galli id genus nuncupant, quòd ſubruffus ad atrum accedens color eâ lingua Sorus vocitetur. Iſta alecum piſcatio, quãtum operæ pretium, quantam Reipublicæ Hollandicæ utilitatem præſtet, quo ore efferam ignoro, quando non unius, ſed plurium civitatum ſalus & fortunæ inde pendere propemodum, videantur, inde plebs urbana pariter ac ruſtica victum quærunt, æs alienum diſſolvunt, familias ſuſtentant, opes qualeſcunque conquirunt, aut partas tuentur.

Conſtat namque, Oudewatenum, Wordeum, Roterodamum, Sciedamum, Brielam, neque ignobilia, neque exilia oppida, ut de aliis taceam, præcipuas inde fortunas traxiſſe, plebem omnem propemodum in texendis tragulis, everriculis, ſage-

sagenis, reliquoque instrumento omni reticulato, quo piscatio instituitur; item in torquendis restibus, unde retia plectũtur, toto anno occupatam habere. Ex quo facilè æstimare potest quivis, quantum momenti ad omnia positum sit in hujus piscationis fausta, vel adversa captura, de qua dici potest, quod de fortuna extulit Plinius, quòd utramque paginam faciat. Nam cum secunda piscatione decrescit minuiturque rerum omnium fermè edulium pretium, adversa augescit atque intenditur: neque sola hujusce tunc calamitatis vim regio illa experitur, quinimò & ad alias celeriter transit doloris sensus, eò quòd in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunque res ceciderint, vendibilis & expetita.

Jam si velim, postquam in piscario foro res vertitur, maris belgici delitias omnes recensere, tempus me deficiat. Neque verò obsoniorum (quo nomine dicebantur olim, qui piscibus delectabantur) convitium in Belgas distringi velim, aut Romanæ luxuriæ nota inuri, quam non veritus fuit attingere Cato, cùm nimium vero

elo-

elogio testatus est, pluris Romæ piscem vænire, quàm bovem, propterea quod piscibus luxum metirentur, cui rei attestatur ganeonum proverbium, quo se mutuò ad indulgendum commessationi provocantes, dictitabant, semeron actasomē, hodie littorisemus, volentes innuere, gulam cænâ è piscibus explendam, ut à Plutarcho relatum est.

Tolerabile tamen illud studium fuerat, nisi in peregrinis lautitiis propinares illi ac jurgites, quibus vitæ modulus culina erat, uti lepidè Varro dixit, ingluviem exatiandam duxissent, uti in Satyris author ille ostendit, quando è Lucrino lacu conchilia, è Benaco anguillas, alosas è Tiberi, asellos Pessinunte, Rhodo acipenserem, rhombos Ravenna accerserent, ut alia omittam infinita, cùm hæc omnia abunde delicatis palatis mare Belgicum unum suggerat.

Olaus magnus Archiepiscopus nos revocat, credique vult, sese oculis spectâsse, pulsante quodam è navi citharam, simulque etiam canente, accurrisse perplures Delphinos, stetisseque ad horæ intervallum

lum auditores immobiles, adjicitque ſeſe animadvertiſſe, non fuiſſe eos diſceſſuros, niſi æquoris procella fluctusque, qui jam invaleſcere cæperant, eos fremitu abegiſſent. Ita deprehendere licet, inde natam Arionis fabulam. Ut autem homini eſt ipſa natura benevolum animal delphinus, ita ex eventu fit acerrimus hoſtis: novit enim olfactu hominem, qui ex Delphini carne guſtarit; ubi id deprehendit, illum devorat, teſte Alberto Magno.

Plinius, ne Arionis fabulam penitus explodamus, ſic ſcribit: Eſt in Africa Hippomenis Colonia mari proxima: puer ibi quidam audentior cæteris, natandi peritiâ, in ulteriora maris tendebat: Delphinus aliquando incurrit, & nunc præcedere puerum, nunc ſequi, nunc circuire, poſtremò ſubire, deponere, iterum ſubire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus redditque terræ. Serpit per Coloniam fama, concurrere omnes, ipſum puerum, tanquam miraculum, aſpicere, interrogare, audire, narrare, reſpondere: poſtero die obſident littus, proſpectant mare, natant pueri, inter hos

ille,ſed cautius. Delphinus rurſus ad tempus,rurſum ad puerum fugit, venit puer, fugit ille cum cæteris delphinis, quaſi invitet & revocet:exiliunt,mergitur,variosque orbes implicat, expeditque hoc altero die,hoc tertio,hoc pluribus,donec homines innutritos mari ſubiret timendi pudor: accedunt, & alludunt & appellant, tangunt etiam tractantque præbentem: creſcit audacia, & experimento maximè.

Puer,qui primus expertus eſt,adnatanti inſilit: ergò fertur refertúrque. Pueri quoque dextra levaque ſimul eunt, hortantes monentesque ne timeat:id quoque mirum, Delphinus alius tantum ſpectator & comes: nihil enim ſimile aut faciebat, aut patiebatur, ſed alterum illum ducebat reducebatque, ut puerum cæteri pueri, Delphinus igitur geſtator colluſorque puerorum in terram extrahi ſolitus, arenaque exiccatus ubi incaluiſſet, in mare revolvebatur, placuit tandem ipſum occultè interfici.

Denuò ad minora recedimus: lupus piſcis notior eſt, quàm ut deſcribi pluribus

ſbus debeat, eum ſuo genere paſci ſæpiſſimè compertum: & cùm rictum pandat ſuo ipſius corpore majorem, captus eſt, qui alium piſcem ſeipſo craſſiorem deglutitum ſtomacho ingeſſiſſet medium, alterâ parte, eâque poſteriore extante, donec conſumto capite, reliqua moles paulatim ſuccederet. Longævum eum eſſe, docet monile, non quale Craſſus Romanus murenæ applicuerat, inauribus & gemmis diſtinctum, ſed argenteum, ſeu æreum cui inſcriptum nomen Imperatoris, & annus Salutis charactere græco. Nam Fridericus Imperator, ex Italiâ reverſus, ubi cum ſummo Pōtifice redierat in gratiam, Germaniam inviſit, & in ſtagnum Hailbrunnenſe Lupum piſcem cum multis aliis collocat, quibus omnibus annulos æreos inſcriptos induit. Horum unus capitur anno D. 1497. cùm vixiſſet in illo ſtagno annos 267. & pondere fuit 350. librarum, ut habent annales Sueviæ. Sed ille Cæſarea lautrenſis anno 1230. paratur, anno 1590. poſt 360. annos eſt inventus.

Singularem Seneca reprehendit luxuriam in Romanis: Quanta crudeliora ſunt

opera luxuriæ: quoties naturam aut mentitur, aut vincit? In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam. Parum videtur recens mullus, nisi qui in convivæ manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & observatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit. Alios necant in garo, & condiunt vivos. Hi sunt qui fabulas putant, piscem vivere posse sub terrâ, & effodi, non capi. Quàm incredibile illis videretur, si audirent, natura in garo, piscem, nec cœnæ causa occisum esse super cænam, cùm multum in delitiis fuit, & oculos, antequam aulam pavit. Permitte mihi, quæstione seposità castigare luxuriam.

Nihil est, inquis, mullo expirante formosius: ipsa colluctatione animam afficiente rubor, deinde pallor suffunditur, quàm æquè variatur, & in cæteras facies inter vitam, & mortem coloris est vagatio longa, somniculosæ inertisque luxuriæ. Quàm serò ex porrecta circumscribi se & fraudari tanto bone sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo, & tàm pulchro piscatores

res fruebantur, qui coctum piscem & exanimem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabimur tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captũ piscem, qui, ut ajunt, saperet ipsum mare. Ideo cursu advehebatur, ideò gerulis cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via.

Quò pervenêre delitiæ? pro putrido jam piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magnâ tibi credere: ipse oportet mihi credam; huc afferatur, coram me animam agat, ad hunc fastum pervenêre ventres delicatorum, ut gustare non possint piscem, nisi quem in ipso convivio natantem, palpitantemque viderint. Quantò ad solertiam luxuriæ plures eunt, tantò subtilius quotidie, & elegantius excogitat furor, usitata contemnens. illa, audiebamus, nihil esse melius saxatili mullo; at nunc audimus, Nihil esse moriente formosius. Da mihi in manus vos vitreum, in quo exultat, in quo trepidet. Ubi multum diuque laudatus in illo pellucido vivario, extrahitur; tunc, ut quisque peritior est, mon-

 strat:

ſtrat: Vide quomodo exarſerit rubor, omni acrior minio. Vide quas per latera venas agat. Ecce ſanguinem putes ventrem, quàm lucidum quiddam, æruleumque ſub ipſo tempore effulſit. Jam porrigitur & pallet, & in unum colorem componitur.

Ex his nemo morienti amico aſſidet: nemo videre mortem patas ſui ſuſtinet, quam optavit. Quotusquisque funus domeſticum ad rogum proſequitur. Fratrum propinquorumque extrema hora deſeritur, ad mortem mulli concurritur: nihil enim eſt illo formoſius. non ſunt ad popinam dentibus & ore contenti, oculis quoque guloſi ſunt. hinc Martialis

Spirat in advecto, ſed jam piger æquore mullus,
Langueſcit; vivum da mare, fortis erit.

Quemadmodum verò mullus tàm inſanis emebatur pretiis, ita quoque qui benè parare illum noſſent, coci erant pretioſiſſimi.

Heliogabalus inter altiſſimos gurgites altiſſimum hîc non licet tacere; qui, ut omnes prodigos, ſuoque dilapidantes ſuperaſ-

peraſſe videretur, Palatinis ſuis inter alia quæ dedit prodigioſa ferula, non integros mullos appoſuit, ſed quod præcipuè ſtupendum eſſe Lampridius ſcribit, barbas eorum plenis diſcis. Quæ obſecrò in barbis illis voluptas?

CAP. XLIII.

ARTES.

IN Peking modus itineris faciendi, non infrequens, nec incommodus eſt. *Plauſtrum* adhibent cum unâ rotâ, ita conſtructum, ut uni illius medium occupandi, & quaſi equo niſidendi ſit locus; aliis duobus, ab utroque latere adſidentibus: auriga plauſtrum retrò ligneis vectibus urget, ac promovet, non ſecurè minus, quàm velociter.

Sub Chinting eſt mons Uma, à quinq; equis è ſolido marmore ſculptis dictus: quibus Sunga familia magnificentiſſimũ fanum, ſeu *ſtabulum* potius, quo conteguntur, ſuperimpoſuit.

Hîc fiunt *vaſa figlina*, ſed quæ non acce-

dant ad Porcellanam provinciæ Kiansi, uti & in provincia Xansi.

In Xansi, *fornaces* in hypocaustis Sinicis etiam plerunque uti in Germaniâ ex lateritio sunt opere, sed ad modum lectuli extructæ, adeò ut in cœnaculis non fornacem, sed lectulum vidente credas, & illis etiam ad incumbendum noctu sat commodè hybernis temporibus servit.

Ad Kiaoching civitatem mons est Hukive, ex quo vis ingens optimi ferri effoditur, ac ibidem, *arte fusoriâ*, quàm plurima ex eo fiunt instrumenta.

Ad metropolin Taiyuen est torrens Lieu, à salicibus, quibus utraque ripa abundat, dictus. *Salices* gens Sinica inter aspectu amamas arbores numerat, sed non illas, quarum rami rectà in cælum ascendunt, at eas potius, quæ ita emittunt ramos, ut ex alto inflexi, quasi funes foliis ornati essent, ad terram usque pertingant, quos arte ita efformant, ramo eminente rursum terrâ obruto, super eminẽte trunco, ramoque versus terram inflexo, qui cùm facilè radices agat, in arborem denuò excrescit, cujus rami omnes in contrari-

um

um versi, pulchro amœnoque aspectu recreant intuentes: id Sinis & in aliis arbusculis familiare est, quod nos in arborum sepibus atque pergulis subinde usurpamus.

In Fuencheu laudatissimus conficitur *potus ex oryza*, vino nostrate nihil inferior, maceratis in eo hædorum carnibus, nescio quâ arte medicatis. Maximè æstimatur à Sinis, optimæ est substantiæ, magnarum virium, & saporis suavis ac jucundi, Yangçieu vulgò, quasi vinum hædinum dicunt.

In fano Venchung ingens adservatur *Bibliotheca*, ad musæum regium, in quo multi ex vetustioribus regibus literis ac studiis dedêre operam.

In Xensi conficitur tum lanâ ovinâ, tum caprinis pilis, *pannus* vestisque delicatur, quæ Mediolanensium pannis, Sayettas vocant, aut nihil debet omninò, aut multis passibus superat. Tapetes illîc quoque pingunt haud contemnendos, aliaque similia; ac præcipuè pileolos illos acutos, nostris omninò modo efformant, sed sine alis ac margine, quibus apud Sinas. mili-

tes communiter utuntur, ac viri. Ex pilis autem caprinis tantùm adhibent exteriores, & hybernam lanuginem (hybernam vocavit Sinæ, quia hyeme illa animalibus ſubnaſcitur, naturâ ipsâ frigus arcente) qua planè nihil mollius aut ſubtilius.

Mons Xecu, ſive decem lapideorum *tympanorum*; quod ea rex Sivenus in eo collocavit, ut venatores, feris viſis, ſigna illis darent, aliosque manerent.

In Honan: ſub Caifung metropoli, ad Chin civitatem, viridarium eſt, ſeu nemus muro cinctum, in quo *palatia*, aulæ, aliaq; ad oculorum animique oblectationem ſpectantia. Inibi *cubiculum* eſt arte factum, quod adſcititio frigore calores omnes æſtivos facilè eludit.

Sub Honan urbe, in Tengfung civitate, ipſiſſimo mundi centro, ex Sinarum opinione, ſpectatur ingens *regula*, ſupra æneum planum, ad perpendiculum erecta, in certas diviſa partes: uti & in ipſa plani ſuperficie linea extenſa, in ſuas etiam partes diſtributa: quo inſtrumento Cheucungus, magnus ille apud Sinas Aſtrologus & mathematicus, ſummusque totius

olim

olim Imperii præfectus, umbram meridianam obſervabat; atque inde altitudinem poli, cæteraque, quæ ex ea colligi poſſunt, venabatur. Vixit is ante Chriſtum natum annis 1120. Ibidem viſitur turris, in quâ ſolitus ſiderum notare curſus ac converſiones, Quonſing tali, aſpiciendorum ſiderum turris. Hîc idem Cheucungus acus pixidisque magneticæ uſum jam tum habuit familiarem.

Prope Xeu Civitatem, in magno quodam fano, duodecim ſtatuæ, ſuis Baſibus innixæ conſpiciuntur, jam inde à Xio Imperatore, mirando ac planè raro fuſæ artificio.

Circa Hiang Civitatem montes ſunt, ex quibus cuprum effoditur: & ſcribunt, ex eodem loco Hoangtium Imperatorem cuprum accepiſſe, ad inſtrumenta domeſtica ac militaria conficienda; quæ antiqua eſt fodinarum memoria.

In Suchuen eſt copia ſuccini: ex pice pineâ ſeu reſinâ, per decoctionem *ſuccinum* arte fit, divenditurque à Sinis ita egregiè effictum, ut vero invidiam facere poſſet. Neque attractio paleæ, aut rei alte-

rius levioris ac ſiccæ, certum veri ac genuini ſuccini experimentum eſt: nam illud fictitium quoque, & arte factum, ſi confricetur, vim habet electrinam ſeu attractivam.

Hîc *putei ſalis* in montibus, ex quibus toti provinciæ de ſale proſpicitur, magna divinæ in eos homines providentiæ argumento, cùm hæc Sinæ pars longiſſimè à mari diſtet, nec niſi ſummo ſuo incommodo aliunde ſalem petere poſſet. Sunt autem putei iſti ſæpè ſupra centum paſſus alti, in montibus cultis, dulcisque ſoli: Os putei vix tres quatuorve palmos æquat, quos ferreâ manu effodiunt, quæ in terram demiſſa, pondere ſuo ac digitis eam penetrat, mox fune attrahunt, ſingulariq; artificio manus ſeipſam claudit, ac terram ſtringit, quam è puteo extrahunt, donec ſalſam terram & aquam inveniant. Hanc deinde vaſe immiſſo accipiunt, quod vas in fundo foramen ac animulam habet, quæ ab aqua ingrediẽte aperitur, cùm vos liberum dependet, at cùm plenum eſt, & fune elevatur, tum animula foramen claudit, & aqua ſalſa educitur, quæ cocta

igne

igne vapores aqueos emittit , ſalemque candidiſſimum fundo adhærentem relinquit, marino tamen aliquantulo dulciorem.

In Chunking fiunt elegantiſſimæ *arcæ* ex verſi coloribus cannis contextæ.

Ho Civitas proximum habet montem, Lungmuen , in quo Idolorum magnificentiſſimum fuit fanum , cum additâ *bibliothecâ* , quæ conſtitit triginta millibus Sinenſium librorum : dicta eſt Siyuli bibliotheca , quòd præfectus ille eam inchoârit.

Aquæ ad Mahu urbem multæ ſunt, ſed omnes, præter lacum , magno aquarum impetu profluunt , adeò ut ſi in Europâ forent , minimè *navigabiles* cenſerentur, quod tamen Sinica induſtria, atq; improbus labor facilè evincit ac ſuperat.

In Yotan, parvo lacu ad Pukiang Hoangtius arti *Chemicæ* , vulgò Alchimiam vocant, operam dedit , idque 2500. eoque amplius annis ante Chriſti nativitatem.

In Civitatibus militaribus *tapetes* contexuntur, ex animalium pilis, & inprimis

ex vaccarum caudis, etiam vestes contra pluviam præstantissimas.

In Vuchang metropoli conficitur maxima *papyri* copia ex nascentibus ibi cannis, illarumque foliis.

Si Chang Xa urbi desunt pluviæ, vel ex fluminibus aquas intra campos deducunt, vel ex lacubus; *machinis* summa arte adhibitis attollunt agricolæ.

Gu amnis, in montibus Vuchang Civitatis, sub Paoking urbe, originem habet; inde per saxa & præcipitia devolvitur, octo & quadraginta locis navigata difficillimis, quæ tamen omnia superat locus unus ad urbem, qui adeò præruptus ac præceps est, ut coacti sint, æneam ingentem *columnam* ibi erigere, ad quam naves alligant, donec necessaria ad ascensum parata habeant: nullus enim erat alius modus, navim inter asperrimos montes sistendi.

Sub Xincheu urbe est Siaoye mons, in quo mille *volumina* inventa sunt, quæ creduntur ibi abscondita, quando Xius Imperator in librorum exitium & incendium conjurârat.

Sub

Sub Chingyang : prope Choxan in monte Çanglo ſcribunt ruſticum quendam per annos aliquot collegiſſe *caſtaneas*, ſervâſſe in futurum , ad occurrendum fami, quam inſtare præviderat; atque ita ruſticis ſuis, ne fame perirent , auxilio fuiſſe.

In Kiangſi, ad Quangſin, magna ubique fit optimæ *papyri* copia; candelæ ex bavino ſebo nuſquam fiunt meliores.

Nankang producit *Cannabim*, ex qua veſtes æſtivas, contra calorem ac ſudorem aptiſſimas texunt.

In Kienchang optimus conficitur *potus* ex oryza, ipſo ferè vino Europæo præſtantior, Macu vocant , & inter Sinenſes delitias haud immerito cenſeri poteſt. Sed potus in Kinhoa, ſub Chekiang omne genus ſuperat.

Ibidem præſtantiſſimi omnis generis texuntur panni.

Ad Cancheu ſunt in flumine egregia *molendina* , ad eum ferè modum , quo in Italia ac Germania conſtructa ſunt : iiſq; etiam ad aquas ex fluminibus , ad orizæ campos deducendas utuntur, ingentibus

nimi-

nimirum atque altiſſimis rotis, unà cum vaſculis annexis, quarum vi atque impetu elevatis, & circum axem agitatis, quæ molæ ut plurimum hîc non uni alicui affixæ loco ſunt, ſed mobiles, unà cum navibus circumferuntur, ac, quo volueris, pergũt, moluntque,

Sub Nanking eſt unica civitas Xanghai, cum ſubditis pagis, & continet ad ducenta *textorum* millia, ex iis pars maxima, imò turba tota, goſſipio texendo dat operam; quandoque magis mirum, maximè eo in opere excellunt mulieres, viri potiſſimum agris colendis, reliquisque obeundis negotiis occupantur. Sunt & ex iis, qui, impeditis goſſipina textura matribus, infantes ſuos veluti nutrices, ipſimet curant, educantque. Unde minus mirum, ſolam hanc civitatem ſolvere Imperatori, idque ex ſolo goſſipio, ducenta quinquaginta millia ducatorum. Quicquid autem in Nanking conficitur provincia, ita aliis, alibi factis rebus prȩſtare cenſetur, ut quaſi per Antonomaſiam res omnes meliores ex Nanking eſſe dicantur, adeò ut vel hoc

ipſum

ipſum ſolum additum nomen pretium augeat,ac valorem.

Suel piſces recentes & vivi perferuntur Pekinum, ultra ducenta milliaria Germanica, breviſſimo octo, decemve dierum ſpatio, in navibus glacie quodammodo ſepulti ſic: Diu noctuque trahuntur naves remulco à deſtinatis ad id hominibus novisque ſemper *defeſſis ſuccedentibus*, qui deſignatis ad id locis, ut veredi noſtrates, ubiq; præſto ſunt: tabella enim præmittitur, quæ horam diei, quâ appulſura eſt navis, edocet, atque hac in re errorem committere, etiam ipſis præfectis crimē, capitis periculo dignum cenſetur. Duæ naves quot hebdomatibus hoc modo ſubmittuntur, quamdiu piſcatio tenet, nec ſumtibus ullis parcitur, ut delicatiſſimis illis piſcibus paſci poſſit Imperator; quorum etiam copiam aliquam cum ipſis regiis præfectis communicat. Eodem modo ex hac urbe ſingulis trimeſtribus naves quinque amandantur, præclariſſimis ſericis voluminibus, ac pannis omnis generis onuſtæ, quæ in regiam ad Imperatorem ipſum deducuntur. Vocantur hæ naves Lun-

Lungychuen, quasi dicas, Draconis vestium naves; eò quòd ipsi Imperatori, cujus insigne dracones sunt, destinentur.

Sub Ganking, ad munimentum Haymuen, Tang familia ferream erexit *columnam*, tres perticas altam, debitaque proportione crassam ac solidam; nec ex diversis partibus, sed unâ tantùm constantem.

refer ad turres.

Hoeicheu urbs habet incolas industrios ac sagaces, præsertim in commerciis, adeò ut vix ullum emporium apud Sinas celebre sit, quod illi non frequentent; imò vix ulla domus *collybistica* aut pignoratitia, in qua hujus urbis cives primum ferè non occupent locum, ita ut ab usurariis expetantur, tum ob rerum ac mercium notitiam, tum ob industriam.

hæc ad mores.

In Hoeichen *atramentum* Sinicum fit præclarissimum, quod non, uti nostrum, liquidum, sed in massulas oblongas parallelograndicas coactum, easque solidas, veluti rubrica est, pulchris florum, animalium, larvarumque formis insignitum, li-

teris

teris etiam ornatum, quibus in atramenti laudem carmina quædam explicant, & artificis nomen inſcriptum eſt. Eſt enim atramenti conficiendi apud Sinas ſtudiorum amantes, ars liberalis, uti & reliquæ omnes, quæ ad ſtudia pertinent. Atramento hoc eodem ferè modo utuntur, quo noſtri pictores coloribus; ferunt enim in lapide lævigato, aquaque diligunt, ac penicillo intincto, characteres ſuos depingunt potiùs, quàm ſcribunt, magis ſcitè ac concinnè, quàm ſi calamo ſcribant.

In hac eadem urbe præclariſſimæ fiunt capſulæ, glutine illo Sinenſi illitæ, *quæ* cæteris alibi factis præferuntur.

Piſces alunt inter oryzæ campos, quos rivuli non pertranſeunt, ubi neceſſe eſt foſſas ac lacunas effodi, ad irrigandum, ne ex ſiccitate emoriatur ſeges: ibidem piſcibus cibum ſubminiſtrant, maximè lentem paluſtrem. Unde videre eſt quotannis menſe Mayo, quamplurimas per Sinam vagantes naves, quæ aquam & piſciculos devehant venales, nutricationi aptos. Majores è mari eductos, in onerarias conjici-

jiciunt , & glacie in eum uſum ſervata opertos, vel integrum menſem recentes cuſtodiunt; quos ſervare non poſſunt, muriâ ac ſalſamentis condiunt, plebeculæ ceſſuros in vilius alimentum.

Bombyces quotannis bis educantur, quorum culturam ante natum C. 2800. annis Sinas exercuiſſe docent Annales. Hinc ſerici uſus & ars, quin & tormenta currulia, pulvis pyrius, pyxis nautica, Magnes ac typographia à Sinis ad nos quin pervenerint, jam ferè nemo dubitat.

Numus & moneta hîc non eſt, ſed ne locus fraudibus ſit, argenti pondere omnia metiuntur, in quem uſum forfices & habilem trutinam ligneolæ incluſam thecæ, ad gen circumferunt. Teruntios ex ære publica forma percutiunt, quos pertuſos ſuſpenſosque funiculo geſtant, ſupplendis argenti pretiis, aut vilioribus mercibus coëmendis.

Cuprum conficiunt, inſtar argenti, candidum, quod nonnihil charius flavo ære. E lique facto ferro plura faciunt cum Europæis communia, tormenta bellica, campanas, ollas, mortaria, fornaces aliaq;

hujus-

hujuscemodi. Lignum ebenū, ebur, corallium, ſuccinum, Jaſpides, duriſſima marmora, aliosque lapides pretioſos, egregiè elaborant.

Vitrum conficiunt ex oryza mire perſpicuum, adeoque friabile. Multum nobis cedunt pingendi arte, quippe qui nec umbrarum rationes ac regulas, colorumque oleo temperandorum miſcendorumve uſum nec dū ſint aſſecuti. Aves autem floresque ita tum coloribus, tum filis ſericis, acu textis exprimunt, ut naturam proximè ſequantur. De mira piſcandi arte vide Piſces.

Serica auro, argento, avium diſcoloribus pennis, draconibusque rara arte intertextis, miraque colorum varietate conficiuntur; quorum uſus aliis inter dictus.

Sub Chekiang, in Hucheu urbe, præclariſſimi concinnantur penicilli, quibus tota Sina ad ſcribendum utitur.

In Xaohing urbe Cauſidici & cauſarum aſtutiſſimi patroni toti reliquæ Sinæ ſuppeditantur, adeò ut vix præfectus ſit ullus,

ullus, qui artium harum peritum ex hac urbe apud se non habeat.

In Fokien: literatorum eruditam locutionem, omnibus aliis communem, minus hîc quàm alibi notam aut in usu habent.

In Focheu metropolis territoria vis magna albi conficitur saccari, eaque est urbe, prima, in quâ illud fit, ex orientalibus provinciis.

Kienning urbs est, emporium minimè infrequens: merces enim omnes, quæ per fluvium ascendunt aut descendunt, hîc transeunt. Ubi ad Pucing linitatem pervenêre, exponuntur, ac à Bajulis usque Kiangxan Civitatis pagum Pinghu transferuntur, per altissimos montes ac valles, per quos triduì iter est; eodem modo, ex Pinghu ad Puching aliæ reportantur. Totum autem hoc iter, quandum humanitus fieri potuit, complanatum est, viæ omnes quadrato lapide stratæ sunt, ubique appida ac pagi constituti ad hospites excipiendos: merces cauponibus ante ponderatæ committuntur, illi accepto pretio per bajulos in aliam transmittunt partem, ubi

ubi ſine ullâ moleſtiâ, ſummâque fide, ſua mercator recipit, ſi quid deperditum fuerit, caupo omnia tenetur ſoluere. Vix credent Europæi, hîc ad decem millia bajulorum ſemper præſtò eſſe, ut onus excipiant, quod & auidè expectant, & aſſiduò ultro citraque per altiſſimos hoſce mantes eundo & redeundo vitam tolerant. Inferendis autem onerib. ſcientiſſimi ſunt Sinæ, ac ruſtici illîc non parvum ſanè ſtaticis noſtris ſpeculatoribus faceſſerent negotium, ad cauſas inveniendas ac rationes, ſi viderent, illos tormenta etiam maiora, ac ſimilia pondera ita vectibus utrinque ſuſpendentes, ut per arctiſſimas etiam montium fauces facillimè transferant: ac licet præcedant alii, alii ſubſequantur, multisq; paſſibus à pondere ſuſpenſo diſtent, ita tamen illud vectibus ac funibus ex æquo norunt dividere, ut quilibet æquale ferè ſentiat onus, ſeu paulò remotior ſit, ſive vicinior. Quæ pacto ingentia marmora, atque integras etiam arbores facilè videas humeris geſtare Sinas.

In Quangtung, vix quicquam in Europa rarum ad Luſitanos aliosque allatum

vident,

vident incolæ, quin citiſſimè aſſequantur artificium, ſive ex auro illud ſit, ſeu textum filis ſericis, ſeu alia qualibet materia; figuras floresque omnes facillimè exprimunt, modò etiam ex vitro ſuo ſpecilla quævis vitrea, etiam convexa & concava absque attritione in ſcutellis, imò & vitra trigona fundunt, quæ licet ad perfectionem Europæorum non accedant, proximè tamen ab iis abſunt, quam artem ante adventum Patrum Sinæ ignorâſſe putantur. Automata illa, quæ majoribus minoribusque rotis dentatis conſtant, etiam conficiunt, licet minora illa ſubtiliſſima horologia noſtra rotalia nō ita adhuc cupiant. Ex auro ductili rariſſimas, tenuiſſimasque miro artificio efformant catenulas, capſulas, aliaque hujuscemodi, quam artem alibi non videas. Ex glutine etiam ſuo ſexcentas rerum ſpecies efformant ſcitiſſimè ac nitidiſſimè, quodque mireris, viliſſimo omnia pretio veneunt, quòd victus & amictus facilè ſint parabiles, opifices etiam leviſſimo acquieſcant lucro.

Prope Ginhoa eſt rivus Kinxe, ubi arun-

rundinum abundantia, quas accolæ in fila adeò ſubtilia ſcindere norunt, ut ex iis etiam veſtes contexant.

Ex teſtudinum (vide piſces) domibus atque teſtis, variè ſciſſis, & in laminas redactis, cuilibet etiam figuræ aptis, multa eaque rariſſima utenſilia conficere norunt Sinæ.

Quangſi. Taiping. In Sinicis characteribus hoc omninò mirandum, quòd à circumjacentibus regnis omnibus intelligantur, licet alio atque alio ab iis legantur modo, uti fit à Japonibus.

Tungkinenſibus, Cochin Chinenſibus, Siamenſibus, Camboyanis, ſiccine numeri ubique intelliguntur, aliter efferuntur?

In Junnan, tapetes nullibi adornantur melius.

Ex ſimiarum ſanguine, per regna Gannan purpuram præclariſſimam confici volunt. Europæos in artibus excellere dederint Sinæ: jam non lubet milium terebrare, & nobis aſſerere tum typographiam, tum horrenda belli tormenta; quæ fortaſſis Sinæ ſibi finxerint dudum fuiſſe. Ma-

gnetis aliquem habuerint uſum, at tenuẽ. Itaque de eo nunc dicendum, quem alii notum fuiſſe affirmant, negant alii. Sed cùm ferrum omnium metallorum antiquiſſimum à primis mundi incunabulis notum fuerit, cùm vivente adhuc Adamo Tubal Kain malleatur & faber in cuncta opera æris & ferri fuiſſe dicantur, vena ferri, quæ penitus magnetica eſt, etiam extiterit, quæ aliquas partes verioris magnetis inter fodiendum exeruerit, cujus vim ferri attractivam primi homines, divini Numinis aſſiſtentia edocti, in rebus naturalibus cognitam habuerint.

Poſt diluvium ferrariæ artis ſcientia à Nöa filiis poſteriſque tradita, magnos ubique gentium fecit progreſſus. Dum igitur aſſiduo, tum neceſſitate, tum curioſitate incitati, viſcera terræ ad ferrum cæteraque metalla educenda ſcrutarentur, fieri non potuit, quin in tam frequentibus ferri fodinis, non ſubinde magnetis effectus eluceſceret. Magnetem Judæis in deſerto cognitum, & in Rationali inſertum aſſerunt Rabbinorum præcipui: Rabbi Iſaac Abarbanel tractatu Thorah ait, Et ter-

tertius ordo Lesem, Schabo & Achlamah, tres videlicet lapides pretiosi è regione tribuum Gad, Aser, & Issachar; quibus ex signis Zodiaci respondent Libra, Scorpius, Arcitenens, & ex mensibus Thisre, Marchesuan & Chaslen. Et lapis quidem Lesem nihil aliud est quàm Amethystus: & Schabo dicunt nihil aliud esse quam Magnetem, cujus ista virtus est, quod allicuit ferrum. Et Achlamah dicunt lapidem esse; cujus vis manu eum portantes mira somniare faciat, Ægyptiorum verò primævis Sapientibus notum fuisse Plutarchus manifestissimis verbis ostendit ex Manethone, antiquissimi rerum Ægypriarum Scriptore, qui inter cætera Ægyptiorum symbola, ossa Hori magnete, ossa verò Typhonis ferro symbolicè indigitata fuisse refert, imò de utraque potentiâ & attractivâ & repulsivâ mentionem facit, sic & Ruffinus Aquileiensis, & Prosper, & Cedrenus & Suidas & Clemens Alexandrinus.

Et tu, Serapi, ait Sibylla, lapides rudes interjacens multos, cades ruinâ maximâ in Ægypto miserrimâ. Hos Staplides Glycas exponit magnetes, ubi ait, plurimos lapi-

des magnetes in templo Serapidis Ferreæ Solis figuræ ita fuisse oppositos, ut à quatuor partibus pari vi attractam, in medio suspenderent.

Simile quid Bizantinos machinatos in æde Solis & Lunæ innuit Cedrenus: & Rabbi Moses filius Naymon in Doctore perplexorum scribit, Solis imaginem in templo Beli Babylonis simili mactu natione magneticâ in aërem suspensam refert & in Talmadicis Tractt. Senedrin dicitur Jeroboamum vitulis aureis, magnete suspensis in aëre, hoc inusitatato spectaculo homines ad Idololatriam excitâsse. Quidam volunt, celebrem illum Persarum candefactum lapidem mydron, quo nomine Solem vocant, nihil aliud nisi magnetem fuisse, aut Soleni magneticum illo indigitatum. Porrò & Apollinis in templo Hieropolitano Deæ Syriæ in aëre à sacerdotibus positum simulacrum, Lucianus de Deâ Syriâ testatur.

Nec aliter olim Mercurius Treviris in aëre suspensus est, quod è Galba Oratore recenset Abrahamus Ortelius, & Vivianus in itinerario Galliæ. Præterea lapidem illum

lum fatidicum, quo Helenus vates ſua ſolebat peragere vaticinia, nil niſi magnetem fuiſſe teſtatur Orpheus.

Memorant hiſtoriographi, Alexandriæ in templo Serapilis quadrigam ferream, nulla baſi ſuffultam, nullis uncis infixis parietibus, colligatam, in aëre ſuſpenſam, cunctis ſtuporem, ac veluti divinum prodigium, oculis mortalium obverſantem attuliſſe: quod cùm quidam Dei ſervus intellexiſſet, magnetem ſtatim à fornice ſubtrahi curaſſe, & protinus omne id oſtentum cadens, confractum comminutumque oſtendiſſe, divinum nō eſſe, quod mortalis homo firmaverat. Et Plinius refert, ex ſolido magnete Dinocratem Architectum Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaſſe, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro, in aëre pendulum videretur. Et Beda: Inter cætera dicta miracula equum Bellerophontis ferreum inter duos Magnetes eo artificio fuiſſe libratum, ut in medio aëre, ſine fulcro pendulus, expanſisque alis quaſi volitans videretur.

Verùm hujuſmodi hiſtorias falſas eſſe,

 & me-

& mera hominum figmenta, vel inde notatur, quia omne corpus verè magneticum duo motûs sui habet principia: unum, qua gravitate naturaliter sibi indita deorsum vergens centrum petit; alterum, qua naturali appetitu ad alterum corpus sibi simile fertur, quæ verbi gratia in ferro & magnete concurrunt. Deinde ut ferrum inter duos magnetes in aëre suspendatur, duo considerari possunt: vel enim vis tractiva in uno lapide est efficacior, quam in altero; & sic qui ferrum ad se trahat, veluti potentior victoriam ab eo reportabit, qui debilior est, & sic ob inæqualitatem motus suspensio ferri in aëre non succedet. Vel utriusque lapidis vis tractiva est æqualis, & unus lapis tantum trahit sursum, quem cum deorsum alter. Sed tum quæritur, an minutissima hujusmodi libratio ipsa praxi in opus deduci possit? Cùm autem hujusmodi libratio consistat in indivisibili, omnem humanā industriā meritò in eo librādo deficere; cùm mediū illud adeò exactè inveniri nequeat.

Cùm superius de Jona & cæto sit actum, abeamus Herbipolim, ut ibi spectemus quæ anno D. 1631. primùm spectare licuit.

cuit. Tantæ vas capacitatis præparatur, quantum historiæ exhibendæ repræsentatio postulabit, cujusmodi esse potest pelius ampla. Deinde ex charta, seu canabeis thirsis optimè exiccatis imagines conficiantur Jonæ & piscis; balæna quidem ore immane hiante, subereis pinnis atq; branchiis ita libretur, ut facilè & sine impedimentes aquis fluctuare possit. Jonæ verò statua ad hominis in mari fluctuantis, & aliquo usque submersi similitudinem conficitur, cujus manus vel caput optimo calybe instructum sit. In ventre piscis medio, magnes è filo æneo; quod superius eminebit, ut eo magnes pro arbitrio circumduci possit. Positis itaque statuis libratisque in aquæ superficie, obverte polum magnetis amicum versus partem statuæ Jonæ, & cum admiratione videtur statua Jonæ, magnetis præsentiam sentiens, per undas ferri, & summo impetu ventrem Cæti introire. Si verò desideres, eum à pisce denuò evomi, obverte polum adversum statuæ; atque hæc se inimico conjunctam consortio sentiens, ilicò relicto ventre profugiet foràs, vi magnetis repulsiva

ejecta. Quod spectaculum multoties iterari potest.

Notum fuisse magnetem priscis & posteris eorum, utique comprobant scripta omnium; verticitatem, ad dirigendas naves non noverant. nam Bembina tabula eam non decet, Quia Ægyptii inter hieroglyphica symbola eam nunquam retulêre: Quia Ægyptii pinguissima sua terra contenti, non enavigabant, quin potius omnes exteros ad se invitabant. Quia Pythagoras, sagax Ægypti discipulus, ejus nusquam meminit. Neque Salomon in Ophir navigans, novâ usus est navigatione. Nec Plinius eam nominat; & S. Augustinus eam tacet.

Notandum utique omnem veterum navigandi Oceanum solertiam in notitia stellarum, pro montoriorum, terrarum littorumq; diversitate fuisse positam. Qui si in alto mari, ubi præter aërem undamq; nihil pateret, aliquando sive fortuitò, sive tempestatis sævitia dispulsi corriperentur, navis dirigendæ gubernandæque disciplinam nullam tenuerunt aliam, quàm quæ astrorum, Solis nimirum & Lunæ, & ratio-

ne

ne ipsis commonstrabatur. Quid si cœlo nubiloso & obscuriore existente, astrorum institutione uti non possent, tunc aut ventorum naturam, impetumque sequi, aut itineris antea eo transitu confecti, aut imaginariam ejus loci, ad quem tendebant, conceptionem ducem quærere cogebantur. Quo ingenio vel ipsi Indi hodie immensa maris spatia percurrere norunt, vel deniq; volucrum ductu, uti Taprobanę populi, ad scopum itineris perveniebant.

Mirentur alii Archytæ columbam, alii Regiomontani aquilam; equidem mirabor in ævum usum pixidis nauticæ, qua iter panditur per universum terrarum orbem. Sunt qui, ut antiquis nauticum magnetis usum cognitum fuisse probent, nescio quid obscuri indicii ex bibliotheca Photii adferunt, ubi author, dum de Bætylo sacro lapide, ejusque fatidica vi sermocinatur, Eusebium quendam ait, cùm media nocte lapidem Bætylum nactus esset, eadem adhuc nocte iter confecisse decem omninò & ducentorum stadiorum. Sed cùm lapis nihil faciat ad concitandam

 navem,

navem, docetur saltem ibi, oraculum consultũ de prosperâ navigatione respõdisse, quam eventus comprobavit. Alii pyxidem hanc inveniunt in his Plauti versibus.

Hic secundus ventus nunc est, cape modò versoriam,

Hic favonius serenus est, hic auster imbric⁹.

Sed versoria ibi est temo seu velum. Ita idem author in Epidico: *Vtcumq; in alto ventus est Epidice, ex imo velum vertitur.* Adducitur quidem ab Alberto Magno & Vincentio Bellavacensi testimonium Aristotelicum, quod suppositititium esse & nomina Zoran, Ason, nec Arabica, nec Hebræa, Chaldæa aut græca satis indicant, & nemo genuinum hactenus agnovit. Inaudierit ergò aliquid de propensione ad polùm circa annum D. 1200. & transcripserit suo Aristoteli, quem nihil ignorâsse voluit.

Incolæ circa promentorium Bonæ Spei usum pyxidis dudum habuêre, ut & Chinenses; sed Belgæ, Angli, Lusitani & Hispani sibi inventionis gloriam tribuunt. Sed omnis laus ejus debetur Joanni Goiæ Amalphitano, circa annum D. 1302. de

quo

quo Panormitanus: *Prima dedit nobis usum magnetis Arnolphis.*

In superstitionem versus est Magnes, ut gratiam conciliaret, sub hoc vel illo signo sculptus. Sed Rabbi Hannase de lapidibus sic: Calamita, seu magnes trahens ferrum, efficit in homine multas & malas phantasias, medetur hydropisi: fugiunt quoque hunc lapidem mulieres. Si enim maritus quispiam, Zelotypia ductus uxoris suæ, timeat ne alter forsan ei commisceatur, tunc ponet lapidem super eam cùm dormierit; & si illa fuerit insons, à scelere, excitata à somno virum suum peramanter amplexabitur; si verò rea fuerit alicujus sceleris, decidens è lecto fugiet. Dicitur etiam, quòd fures domum spoliaturi, ponunt hunc lapidem super carbones in quatuor angulis domus. Hoc enim facto omnes in domo surgent attoniti, & stupefacti relicta domo fugient: ita furibus locus ad prædandum, quantum voluerint, dabitur.

Sed extra superstitionem videtur usus pyxidis antiquior Amalphitano, si Claudium Fauchettum, de origine linguæ &

poëſeos Gallicanæ audiamus. Is enim hæc adducit: Certum eſt, hunc poëtam, Guiot de Provives, vixiſſe & ſcripſiſſe poſt annum D. 1180. cùm mentionem faciat aulæ Moguntinæ, quando Imp. Fridericus, duo ipſius filii equites ibidē eſſent, & Abbas Ursbergenſis dicit eodem anno factū. Etiā plurimæ ſunt rationes, eum ſcripſiſſe ferè anno D. 1200. Ab eo didici verum nomen Gallicanum lapidis magnetis, quo utuntur nautæ in gubernandis navibus, cùm ſe mori committunt. Nam poſtquam locutus eſt de polo Arctico inſit:

Stella illa ſe non commovet,
Ars eſt mentiri neſcia,
Virtute talis Marinettæ,
Lapidis vetri & nigricantis,
Quo ferrum ſponte ſupplicat.

Apud Arabes quoque legas, anno 670. Hegiræ, Nautas Mechâ per mare rubrum in Herdi, ita Indiam vocant, proficiſcentes, magnetico quodam inſtrumento, quod Canopum ſemper oſtendebat, ſe direxiſſe. quis tamen author fuerit, aut unde inventionem hauſerint, altè ſiletur. Quicquid ſit, multa cognita fuiſſe aliis gen-

gentibus , antequam Europæis innotescerent, Typographia apud Sinas satis demonstrat. Certè fretum illud Magellanicum, quod vulgò fretum Jacobi de Maire, non ita pridem ab Hollandis detectum, Mexicanis cæterisque Americanis notum fuisse, retulit Didacus Babidillia, procurator Philippinarum Insularum. Imò retulit, se dum Mexicum transiret , ibidem mappam ante sexaginta annos in Belgio typis mandatam vidisse, in qua dictum fretum de Maire perfectens delineatum spectabatur, sed sine nomine ; unde multi suspicantur, dictũ Jacobum aliq̃ de hoc freto notitiam habuisse, atq; ope hujusmodi chartæ dictum mare tandem detexisse.

Refert præter ista sagacissimus Athanasius Kircherus, nauticæ pyxidis quadruplicem compositionem ; Pro mari mediterraneo, ubi nulla declinatio : pro mari Balthico : pro Russia, & pro Hispania ac Anglia ; unde Petri Nonii & Medinæ cõpositionem ingentium errorum arguit. Quanta vir tantus in Astrologicis, Sciatericis, geographicis, naturalibus denique opes magnetis præstiterit , adeò

quàm ſtupenda præſtare poſſit, illîc vide.

Sinæ Europæis etiam concedent laudem horologiorum, quæ aliquantillum attigimus, hîc Argentinenſe ad Rhenum ex Daſypodio damus. Ampliſſimus Senatus Reipublicæ Argentoratenſis anno D. 1571. decrevit, ut in locum veteris horologii, vetuſtate jam conſumpti, aliud ſingulari arte & induſtria elaboratum, ad tẽpli cathedralis, cujus ubique gentium celebratur nomen, magnificentiam eruandam: ad Senatus Populique Argentinenſis honorem, gloriam & dignitatem amplificandam, erigeretur, ac Cunrado Daſypodio, Academiæ ordinario mathematum profeſſori hoc impoſuerunt, & mandârunt negotium: de tàm magnifico & ſplẽdido ac artificioſo opere in eum finem extruendo, medulumque inprimis Ædilibus & officinatoribus proponeret, juxta quẽ machina talis affabrè ab opificibus formaretur & extrueretur.

Spatio itaque aliquot dierum ſumto, ichnographicam & orthographicam totius, quæ nunc oculis conſpicitur machinæ

næ delineationem Ædilibus is obtulit, quæ oblata placuit, literatis atque in mathematicis ſtudiis exercitatis doctoribus mõſtrata: nihil ei, quod inventione primâ ordinatum & diſpoſitum fuit, ad dendum vel demendum eſſe judicatum eſt. Tandem officinatores conducti, opus bonis auſpiciis eodem anno, menſe Junio cœptum & inchoatum; triennio poſt, anno 1574. eodem menſe, ad feſtum Johannis Baptiſtæ abſolutum fuit.

Sciebat Daſypodius, ad magnificentia operis non defuturos ſumtus, videbat quoque officinatores ſubtiles & peritos artifices, ac induſtrios operarios in promtu eſſe: ſed quia totum in ejuſmodi operibus negotium conſiſtit in eo, qui formam, qui venuſtatem, qui magnificentiam & ſplendorum operi dat, multum ſollicitus & anxius, quam potiſſimum eligeret formam, quâ ratione & proportione omnia & ſingula ordinaret & diſponeret, ut tàm in univerſo opere convenientia & concinnitas, quàm in partibus apta & erudita conſpiceretur diſtributio, ut ne quid in eo eſſet in tuperatione aut reprehenſione dignum,

gnum, non vulgi, ſed eruditorum judicio.

Etſi verò Mechanici logici, ac multò minus probati architecti nomen ſibi Daſypodius arrogaret, tamen quia ſtudio Ampliſſimi magiſtratus obſequi, & patriæ gratificari voluit, omnia, quæ ad ſplendorem, magnificentiam, venuſtatem, atque commoditatem operis ſpectare videbantur, priori adjecit modulo: uſus in ejuſmodi conſultatione, conſilio, opera & auxilio Ædilium & M. Davidis wolckenſteinii mathematici, collegæ: Tobiæ Stimmeri pictoris; fabrorum ferrariorum, Iſaci & Joſiæ Habrecht, & Statuariorum, aliorumque opificum.

Multa & varia ſunt aſtronomorum, quibus ad motus diſtantias & apparentias cæleſtium corporum utuntur inveſtigandas, inſtrumenta. Sunt enim Aſtrolabia, ſunt Regulæ, ſunt Radii, ſunt Quadrantes, ſunt Dioptræ, ſunt Torqueta, ſunt Coſmolabia, ſunt Globi, ſunt & alia, quorum in obſervationibus apparentiarum maximus eſt uſus. Ex omnibus tamen jam enumeratis, & ſimilibus Aſtronomicis Inſtru-

ſtrumentis, nullum eſt, quod & forma ipſa & uſu ſit his quotidianis apparentiarum veris & certis obſervationibus accommodatius, quàm Globus Aſtronomicus, hoc eſt, corpus ſolidum, rotundum, ad cæli formam efformatum: in quo omnes ſtellarum fixarum diſtantiæ, declinationes, longitudines, latitudines, magnitudines, ipſæ denique configurationes conſpiciuntur, cum omnibus, quos in ſphæricâ doctrinâ delineare ſolent, primi motus circulis.

Neque video, an poſſit in temporum diſtinctione, in motus primi inveſtigatione, in apparentiarum obſervatione, commodius inſtrumentum inveniri; quam quidam ex antiquis & probatis Scriptoribus volunt tantam eſſe debere, ut diameter ejus ad minimum trium ſit pedum, quanta Argentoratenſis Globi, qui ante machinam conſpicitur, magnitudo eſt: qui ita ad rotunditatem eſt formatus, & libratus, ut cùm centum libras pondus habeat, & diametrum trium pedum; atq; ex materia ſingulari arte præparata, quæ vetuſtatem ferre poſſit, confectus ſit. aptiſ-

aptissimus omnibus & singulis etiam accuratissimis esse possit observationibus: non quidem ob hæc, quæ nunc sunt recensita, sed maximè quòd omnes stellarum declinationes, longitudines, latitudines diligentissimè examinatæ, & juxta nostrorum calculum temporum inscriptæ & designatæ sint: quibus addita non solùm venustatis & ornatus, sed & commoditatis gratiâ alia complura: Ut Cometæ, qui anno 1572. apparuit, memoriaque dignus est, verum locum, ut circulos parallellos, ut climata, ut Zonas, ut umbrarum designationes, ut ventorum qualitates atque nomina, & alia hujus generis multa, quæ in sphærica traduntur doctrina.

Verùm hæc omnia quasi mortua, & instar alicujus picturæ essent, nec usum aliquem haberent, nisi attributus ei esset quidam motus, isque cælo, cujus imaginem repræsentat, conformis. Ideoque ei datus motus diurnus, seu motus primi mobilis, ad cujus imitationem hic globus viginti quatuor horis, suum perficit cursum. Simul etiam in hoc globoso corpore apparent Solis & Lunæ periodi, quas faciunt

ciunt mediis ſuis motibus, ſecundum longitudinem. Primum ergò automatum, & ſphæro poëticum opus eſt in hac machina hic globus aſtronomicus.

Pellicanus adhibitus eſt, ut eſſet loco Atlantis, & ut æternitatis referret ſymbolum, aut etiam Redemtoris noſtri ac Salvatoris. In inferiori machinæ contignatione tres conſpiciuntur diſtinctæ tabulæ, quarum duæ laterales, in ſe Eclipſium Solarium & Lunarium diagrammata ad 32. annos inſequentes continent; media verò Calendarium perpetuum, præceſſiones æquinoctiorum, feſtà mobilia, literam Dominicalem, annosque biſſextiles, omnia hæc ad annos centum ſequentes calculata complectitur. Hæ etiam varii generis emblematibus atque picturis ſunt exornatæ, nam in Ecclipſium tabulis cùm multa ſpatia eſſent vacua; præter ipſarum Eclipſium diagrammata, illa opticis & geometricis ac aſtronomicis figuris, variis quoque picturis exornata ſunt ut ob varietatem picturarum grata eſſent aſpectui.

Iſta etiam media tabula in quatuor angulis,

gulis, quatuor Monarchiarum picturis duabus etiam ſtatuis exornata eſt. Una enim Apollinis, telo ſingulos in calendario deſignatos dies currentes deſignat; altera Dianæ, è regione diem currenti oppoſitum monſtrat. Denique cùm in centro rotæ mediæ regula, quæ ſingula in rota 100. annorum deſcripta indicaret, erigenda eſſet, facta eſt latior; ornatusque gratiâ, Germaniæ, inprimis tamen Rheno adjacentium provinciarum, geographica adjecta eſt diligens deſcriptio: nec non Topographia urbis Argentoratenſis, tabellaque, in qua nomina eorum, qui machinam abſolverunt, continentur.

Verùm ut hæc melius percipiãtur, Calendarium, feſtaque mobilia, cæteraque his adjuncta, cum tabulis Eclipſium, ſicuti hæc omnia poſt aſtronomicum calculum ad Meridianum Argentoratenſem ſunt ex tabulis Prutenicis & Alphonſinis accõmodata, ſub finem ſubjunguntur. Supra mediam centum annorum rotam apparent ſtatuæ ſeptem Planetarum, eleganter ſculptæ, quarum unaquæque ſuo, unde hebdomadarum dies nomen habent, die

pro-

prodit;ex eo, ubi positæ sunt loco, ut die Saturni, foris conspicitur, cæteris absconditis, Saturnus; die Solis, Sol; & sic cæteri deinceps. Per quæ automata hebdomadarium tempus repræsentatur. Et quia ibidem vacuus relinquebatur locus, picturis elegantibus ille expletus est, in quibus à mundi creatione, usque ad ejusdem consummationem præcipua religionis Christianæ capita, depicta sunt, ut Mundi creatio peccatum originale, redemptio, resurrectio, & extremum judicium, in his enim consumitur temporis universalis descriptio.

In medio harum picturarum, supra planetarum orbem, parva est tabula, in qua horarum quartæ partes, & partium minuta monstrantur, assidentibus duobus pueris, quorum alter sceptro horas numerat: alter verò horologium arenarium, quod manu tenet, post tintinnabulorum horariorum sonitum, singulis vertit horis. Et ne anguli vacui relinquerentur, duo leones insignia urbis tenentes, eò positi fuerunt.

In media autem totius operis contignatione

tione ponitur Aſtrolabium, cum omnibus iis, qui ad aſtrolabii deſcriptionem pertinent. Cui non Solis tantùm, atque Lunæ indices, ſed & reliquorum Planetarum, Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii applicantur, qui ſingulis horarum momentis media planetarum in Zodiaco loca mónſtrant: neque enim alios, quàm medios motus in tali opere comprehendi potuerunt. In angulis, quatuor anni temporum, & quatuor ætatum picturæ, ornatus gratia poſitæ ſunt.

Eodem in loco ſupra Aſtrolabium Lunæ menſtruæ illuminationes artificiosè factæ conſpiciuntur, quæ motui Lunæ, in Aſtrolabio apparenti, correſpondent. Neque verò latera hujus tabulæ Lunaris illuminationis vacua ſunt, ſed ex una parte Eccleſiam triumphantem, ex altera Draconem, ſer perditionis ſerpentem pictum intuearis. Sic rurſus in his duabus partibus, Aſtrolabio & tabula Lunari, ſphæropoëtica apparent. Atque hæc omnia commemoratione digna ſunt, cùm in omnibus totius operis partibus eurythmia ſit & ſymmetria; adeò ut ſuperiora inferioribus,

bus, inferiora superioribus congruant; concinnitas etiam & convenientia in ſinſpiciatur, ut unum abſque altero quaſi eſſe non poſſe videatur. Nam æternitas per Pellicanum; ſæculum per rotam centum annorum; annus per Calendarium; anni tempora picturis; menſes motu, & phaſibus Lunæ; hebdomadæ planetarum ſtatuis; horæ & dimidiæ horarum partes limbo Aſtrolabii exteriore; partes horarum quartæ & minuta, parva tabella monſtrantur. His appoſita ſunt & automata & ſphæropoëtica: additi etiam ſunt, qui medios planetarum motus oſtendant, indices: ac ne in cælo tantùm verſari, & terræ obliti viderentur artifices, terrenum globum, cum omnibus provinciis & regionibus diligenter conſcriptum, tanquam in Centro aſtrolabii poſuêre, qui planetarũ indices, ne excidant, continet.

Quoniam verò operum mechanicorum magnificentia parerepis (ad rem tamẽ pertinentibus, non autem ab opere alienis) plurimum augetur, idcircò has quatuor ætatum ſtatuas ex automatopoëticis adjunctas vides. Nam quartas horarum ſin-

ſingulæ ætates ſono tintiñabulorum puer quidem uno, adoleſcens duobus, vir tribus quartam & ultimam horæ partem ſenex quatuor tactibus indicant. Tandem prodit mortis ſtatua, horam ipſam quoq; tintinnabulo pulſans. Salvatoris denique ſtatua, ſingulis ætatum ſtatuis egredientibus obviat, ad redemtionis ſignificationem: mortis verò, tanquam extrema vitæ linea, extremum ſuo edit tintinnabulo ſonitum.

Pneumatica hæc, atque automato poëtica magnam habent apud vulgus hominum admirationem, quando vel harmonias, ſive hominis alicujus operâ; vel galli gallinacei cantum audiunt, quæ ſanè ad operis conſummationem potius, quàm ad neceſſitatem ſpectare videntur. Sed architecti eſt, non ſolùm eurythmiam, & ſymmetriam in ſingulis obſervare partibus, verùm etiam decentem venuſtatem, & convenientem operi addere magnificentiam. Itaque melodiarum aliquot pſalmodicarum concentus eſt adhibitus, Galli gallinacei verò cantus admirationẽ inventionis & diſpoſitionis non ſolùm auget,

auget, ſed & venuſtatis & artis quoque conſiderationem habet. Siquidem ante 200. annos hic ipſe gallus gallinaceus affabrè factus fuit, & veteri horologio impoſitus, atque eo tempore, quo paſſionem Chriſti in Eccleſia Chriſtiana ſolitum fuerat commemorare, hic ſuo cantu abnegationis Petrinæ homines commonefecit.

Itaque repurgato, & denuò repurgato hoc gallo, & organis in ventre ipſius incluſis pneumaticis in integrum reſtitutis, ob has dignus judicatus eſt, qui novo etiam operi adhiberetur, atque ſupremæ capſulæ, ponderibus deſtinatæ, loco imponeretur. In eâdem etiam Uraniæ Coloſſi, & Nicolai Capernici picturas; ex altera parte trium Parcarum adjunctas habes, ne quid vacui relinqueretur, & temporis plena, quoad fieri poterat, eſſet deſcriptio, & rerum atque perſonarum memorabilium jugis recordatio.

Quoniam deſcriptio horologii eſt abſoluta, etiam exteriora ſunt inſpicienda, quæ ex parte ponderibus machinæ interioris reguntur; cujuſmodi eſt horologiũ,

in quo duodecim Zodiaci ſigna inciſa lapidi apparent. Et duo indices Solis atque Lunæ poſiti, motus luminarium indicant, quo in ſigno ſingulis menſibus ſit Sol & Luna: ſimul etiam illuminationes Lunæ, alio, quàm in ipſo opere, ſed conſimili modo demonſtrantur. Denique in ſummitate parietis, tria diſtincta ſolaria horologia conſpiciuntur depicta: in quibus præter horas vulgares, etiam inæquales, ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum numeratæ, cum cæli domiciliis & circulis verticalibus, aliisque ſimilibus accurate delineatis cernuntur.

Philo Architectus armamentarium Athenis extruxit, tanta arte, tanta venuſtate, elegantia ac magnificentia, ut omnes excellentiſſimi & probatiſſimi architecti ſagacitatem, ingenium, atque ſolertiam admirarentur, multisque laudibus machinamenta illa celebrarent: poſtea verò populo Athenienſi (cujus, ut Cicero inquit, ſemper fuit prudens ſincerumque judicium, nihil ut poſſet niſi incurruptum audire & elegans) ſuarum machinationum rationes ita reddidit, ut populus diſer-

ſertiſſimus dubitaret, machinationes ne illas, quas mirâ arte & induſtria affabrè fecerat, plus admiraretur & commendaret, an verò architecti eloquentiam inventis elaboratis anteferret machinis.

Magnum ſanè hoc fuit & rarum; nam in utroque dicendi agendique genere ſe excellentem præſtiterit, neceſſe eſt eum ex maximè raro hominum genere eſſe. Pauciſſimis hoc contigit; in fabricandis quidem machinis bellicis, aliisque artibus mechanicis, multi excellunt, plurimi etiam, multum ſine fabricatione & machinatione, eloquentia poſſunt. Sunt etiam, qui ſi incidant in homines artis alicujus imperitos, rectè opus perfeciſſe videantur; ſi ad artis peritos venerint, causâ cadant. Denique ii, qui excellenter opus perfecerunt aliquod, ſim muidorum aut malevolorum judicium incidant, nullo fuerint loco, ut probi ſint & periti architecti mechanici. Tum ergò omnia rectè ſi habent, ſi tales operis judices fuerint, quales Athenienſes.

Plebes ruſtica, tametſi vel ſingulis diebus, vel ſeptimanis ac menſibus ſit frequẽs

in urbe, vix præterit Basilicam, quin hiante ore spectet, & patulis auribus percipiat monstra hæc, spontè sese moventia, quasi anima agitarentur intelligente, quæ omnia ad numerum præstaret. Ita olim Paulus Melissus Francus, Poëta laureatus:

Quòd vivant hîc cuncta, quòd hîc & cuncta moventur,
Non opus hoc teretum præstitit artificum.
Inventer Cunradus & hos animavit & illa:
Vsus ad hos socia Davidis arte sui.
In quos grata cave minus Argentina feraris:
Nam meruit dignus præmia digna labor.
En rigidis telis, alioqui armatus & arcu,
Savior ingratis jactat Apollo minas.
Iactat & ipsa minas Diana. quid obsecrò præstat,
Iratos meritò pertinuisse Deos?

Hoc machinamentum imitatæ sunt urbes multæ, & inter cæteras Suolla Bataviæ, ubi singulis horis campanile dat psalmum Davidicum articulatissimè, ut volupe sit harmoniam subjicere & textum. Sic & instru-

ſtrumentum muſicum, ſpecialiter ita dictum cujus univerſum ſyſtema æneis chordis prætexitur, concinnant, ut reducto motus libramine unam atque alteram pſalmodiam præſtet, ubi volumen, unci nubis inſtructum chordas deſtinatas percellit, & ad finem decurrit: retractum ad principium pſalmodiam iterat. In quibus omnibus Sinæ Europæis multum cedent, tametſi & horologia portatilia, quæ vix ovum columbinum æquent, in ſumma habeant veneratione, propediem artificium aſſecuturi.

Vitrum tempore Tiberii viſum ductile, ſed authori pernicioſum, ne aurum præ vitro vileſceret, legimus: vitrum radio rotâve ſecari, in quaſvis ſpecies arborum, florum, artificiorum, quin & in ſpecularia, quæ cætera in eodem vitro ſculpta reddant perfectiſſimè, pavonis caudam oculatam repræſentent, vel Francofurti fieri, ſcimus.

Cap. XLIV.

VIRTVTES.

IN Xansi est Yenyang mons, ad Pu Civitatem, ex eo memorabilis, quòd duo illi philosophi, regio arti sanguine, ac regna contemnentes, se occultârint, ob imperatoris Chevi nequitiam, cui servire dedignabantur.

Fanum sumtu verè regio, propè Taiping, cuidam fidelissimo duci, ad reliquorum exemplum à Sungâ, Imperiali conditum familiâ.

In montibus ad Xaitung, unum ex quinque fanis cauponi dicatum, qui de mortui apud se hospitis magnam auri summam fidelissimè ejus filio, patrem quærenti, restituit: licet nec filius, nec alius quispiam de auro illo quicquam sciret. Raram hanc apud Sinas virtutem tanti æstimârunt, ut inde & civitati Hoaigin (quod amplectens pietatem sonat) nomen sit factum, & viro illi templum erexerunt, in gratæ memoriæ argumentum: voca-

vocaturque templum ipſum Changgin, hoc eſt, continuè pium.

In Xantung eſt Tienheng inſula, in mari, propè Caomie, ex qua quingenti philoſophi, ob Xii Imperatoris in literas odium, in mare ſe dedêre præcipites.

In Honan, Uüus Imperator occidit in urbe Gueihoei nequiſſimum Imperatorem Kieo, hîc habitantem.

Hîc nobile ac magnificum cernitur ædificium, illo extructum loco, in quo Uviis Imperator Liuvangum, magnum philoſophum obvium habuit, cujus conſilio ac virtute adjutus, Sinicum obtinuit Imperium.

Sub Hoaiking urbe, eſt Ciyuen civitas, cujus foſſa variorum animalium vivarium eſt: Ibidem nobile ædificium, Yehiang, in memoriam viri illius, qui, cùm uxor ducenda eſſet, ita cœlum orâſſe fertur: non peto divitias, nec voluptates, neque idcircò uxorem ducere volo, ſed tantùm probos opto filios. Tresque ex ducta uxore ſuſcepit, qui omnes doctiſſimi evasêre philoſophi & præfecti.

In Huquang eſt Vuchang metropolis:

Cungfutius ait Reges, si pii esse velint, cum piis habitare debere, ut qui vult Çu linguam discere, Çu regnum ingredi, vel cum hominibus Çu regni vivere debet: nec fieri posse, ut bonus sit rex, qui malos habeat assistentes aulicos, uti nec fieri potest, ut linguam Çu discat, qui semper cum Sinis versatur.

Sub Changte urbe, Iling civitas est: postquam perfidus Hiangyvo regem Çu occidit, quia populus hujus urbis sortem sui regis miseratus, illi justa magno omnium ordinum luctu persolverat, tum familia Hana nomen dedit, extincto Hiangyuo.

In Nanking erat Yvus Imperator, quia sacrificulus ille Taimingæ familiæ author, civis erat urbis Fungyang, patriam suam maximè nobilitavit, & extenso longè latèque pomærio, nova condidit mœnia, quæ quinquaginta stadia suo ambitu complét; obscura hactenus, ignobiliaque avorum suorum, sepulcra mirè illustravit, apparatuque regio exornavit, magnis superbisque ædificiis civitatem auxit, auctam urbis titulo donavit, pro regem illi suum dedit,

dit, duo de viginti civitatibus ut jura daret, voluit, primusque eam Fungyang, quod Phœnicis nobilitatem, ſonat, appellavit, demum poſt Regiam, nobiliſſimam inſtituit.

Fungyang territorium eò maximè celebre, quòd duos ex inquilinis, viliſſimo loco ac ſorte natos, ad ſummam extulerit dignitatem imperii. Primus eorum Lieupango, è latronum cœtu ac ſorte emergens, Cinam extinxit familiam, atque Hanan condidit. hic in Boreali hujus territorii parte natus, haud ita procul à civitate Poi. Alter fuit Chu, viliſſimus ſacrificulus, atque exinde latro, qui mox ejectis Tartaris, Sinarum audiit Imperator, ac Taimingam inſtituit familiam.

Fungyang & Philoſophorum auctorem Sinis protulit, Laon ſuum, qui ante Cungfutium vixit, & Epicuream ſectam, aut potius illi ſimillimam Sinas edocuit.

Yangcheu urbem fœdat infamatq; venalis ibi fœmineus ſexus: quam plurimi enim in illa degunt, qui puellas parvulas emunt, eas delicatè enutriunt, voce, ac in-

ſtrumentis, fidibus præſertim canere, carmina componere, ſcitè pingere, ac callidè latrunculis ludere, ſimilesque plures artes eas edocent; tum deinde, magno pretio venales, pro concubinis Magnatibus offerunt.

Per Chekiang: ſub Niencheu eſt mons Fuchung, in valle Kieuli, per quam fluvius tranſit. In eo celebris admodum philoſophi Niençulin fana ac aulæ conſpiciuntur, quæ omnia in tanti viri memoriam à præter navigantibus adiri ſolent. Ibi illum piſcationi operam dediſſe ſcribunt, còm ſe occultaret, ne oblatas ab Imperatore ſummas præfecturas cogeretur admittere, ad quas imperator demum ſponte ad eum veniens invitavit; ſimulque in eodem paupere lecto cum eo ſomnum cepit. Tanti olim etiam apud Sinas vel ſummi Imperatores probos doctosque æſtimabant viros.

Vencheu urbs infamis, ob impudens gentis vitium, & fœdæ ac nefandæ libidinis inolitam conſuetudinem, ut omni pudore abjecto, in his etiam publicè peccetur. Quamvis autem præfecti nimiam

hanc

hanc licentiam reprimere ſint conati, uti olim lege Scatiniâ apud Romanos cavebatur, ſemper tamen ad ingenium rediêre.

Fokien eſt utriuſque libidinis vitio infamis.

Jenping urbs: Xa civitas olim in alterâ fluminis ripâ ſita fuit: at ab Imperatore deſtrui, ac omninò inhabitata relinqui juſſa eſt, incolis ad aliam ripam translatis, eò quòd priori in loco filius neſcio quis patrem interfeciſſet, tale enim crimen tantam omninò mereri pœnam juxta Sinicas leges judicatum eſt.

Quangtung, provincia eſt; ſub metropoli Quangcheu, prope Sinhoei in mari eſt Yaimuen inſula ac mons, ex quo, cùm intimus Sungæ familiæ imperator à Tartaris Juenæ familiæ expulſus, victus, & ad ſummas anguſtias redactus eſſet, ſeſe cum maximo ac amiciſſimo præfecto, deſperatis rebus, in mare præcipitavit, adeò ut mutuo in amplexu aquis ambo fuerint ſuffocati.

Gratitudo populi in præfectum: vide Viæ publicæ in Quangtung.

In Chaoking eſt mons Chin, ſive caſtitatis, quòd puella virgo, in eo ad mortem uſque caſtè vixit, ut ſponſo, cui promiſſa fuerat, à tigride interempto, fidem ſervaret. Ad hunc autem montem confugerat, quòd parentes eam cogere vellent, ut alteri nuberet: In territorio Suhoei Civitatis eſt mons, in quo & duo virgini dedicata fana.

In Junnan metropoli hujus nominis præter multa præfectorum palatia quoddam eſt, quod ſummus Dynaſta Moquecung inhabitat, quam dignitatem ac honoris titulum à Taimingæ familiæ auctore habuit exercitus illius dux, unus ex familiâ Mo, qui Hunguvo præclaram navavit operam, in debellandis, ac ejiciendis Juenæ familiæ Tartaris; à parvis initiis egregius belli dux evaſit, ac propter inſignia merita hanc hæreditariam obtinuit dignitatem, quæ Ducali noſtræ reſpondet.

Cungfutius philoſophus adeò ſtuduit virtuti, ut & valde ſitiens ex fonte Tao, à latronibus dicto, bibere abſtinuerit.

Si virtutes Europæorum & civiles &

belli-

bellicas recensere otium esset, longa texeretur historia: Socrates ita moderabatur iræ suæ, ut servo peccanti gratularetur, quòd ipsius hero excandescente, lumbifragium effugeret, à tranquillo omninò castigandus.

Aristides justitiæ laude inclaruit, adeò mitis, ut cum plebeius quidam literarum ignarus sibi ab eodem in laterem scribi peteret signum condemnatorium in Aristidem, quem sibi fatebatur prorsus ignotum, subridens scripserit.

Scipionis Africani castitas superat omne encomium; qui victor & imperator, virginem principem Carthagine novâ Hispaniæ Indibili principi desponsatam non tetigit, incorruptam sponso reddidit, adeò gnarus & damandi hostis, & sui coërcendi.

Bajardus Gallus, expugnata aliqua Italiæ urbe, incidit in domicilium prædivitis viduæ, quæ omnes thesauros spontè recludebat, modò filiabus constaret pudicitia: dux incolumes præstitit, & quæ cogebatur gratitudinis ergò accipere cimelia, eisdem reddidit, propediem nupturis.

Carolus Magnus fuit ſtudioſiſſimus literarum, hinc Academiam Bononienſem, cujus incunabula Raphaël Volaterranus ad annum D.423. refert, quam Theodoſius Imperator anno 447. dotârit, anno D. 790. reſtaurat, à Pio II. immunitatibus exornandam. Quadriennio poſt fundat Carolus Ticinenſem: Pariſienſi præfecit Rabanum ex abbate Fuldenſi Epiſcopum Moguntinum. Carolus ſe poſitis imperii negotiis graviſſimis, non dubitavit intereſſe examini claſſico, ingenia & donis & laudibus concitare, plurima monaſteria ſive Epiſcopatus per Saxoniam ſtruere, ubi juventus liberaliter educata poſtmodum ad rempublicam accederent. Cùm aliquando aulæ magiſter indicaret, prandium corrumpi, reſpondit, ſeſe lautiſſimè pranſum in ludo literario, nec alias requirere delitias. Imperator factus ad exemplum regis Antigoni, qui ita ad Zenonem ſcribit: Salutem plurimam. Puto, me fortuna & honore præcellere, agnoſco tamen te multis paraſangis, ob eruditionem & perfectam quam poſſides felicitatem, præcurrere. Itaque rogo, ut ad me venias, &

ſpero

ſpero te non fore difficilem, ut mihi cohabites. Certus enim ſum, te non tantum mihi, ſed omnibus meis Macedonibus & ſubditis fore magiſtrum: quicunque enim regem docet, inſtruit eâdem operâ ſubditos in probitate & fortitudine, quoniam ſubditi plerumque imitantur ſuos dominos. Vale. Reſpondit Zeno in hanc ſententiam: Studium tuum diſcendi maximoperè approbo: quicunque enim delectantur philoſophiæ inſtitutis, & voluptates fugiunt, quæ adoleſcentum quorundam mentes effæminant, virtuti adhærent nobilitatis genuinæ pertinaces. Nam animus ad eam diſciplinam propenſus, ubi uſus & inſtitutio accedant, facilè ad perfectum illud virtutis aſcendet. Sed enim decrepita ætas, octuagenario, & corpus debile obſtet, non poſſum ad te venire, uti petiiſti: itaque ex domeſticis Perſeum & Philonidam mittere volui, qui dotibus ingenii mihi non ſunt impares, viribus corporis longè ſuperiores. Quòd ſi cum illis familiariter converſeris propediem ad perfectam beatitudinem pervenies: uti refert Laërtius.

Lucius occurrit aliquando Marco Aurelio Imperatori in platea, unico pediſſequo euntem: rogat quò vaderet tàm inops ſatellitii: & audit Ad ædes Sexti philoſophi, ut quæ ignoraret, caperet. Exclamat Lucius, ſublatis in cælum manibus: ſanctam fidem Numinis! Imperator canus, tanquam puer cum libello ſub axilla abit ad ſcholam: plurimi principum filii quindecim aut ſedecim annorum & libros & doctores flocci faciunt. Athenienſes ſanè Zenoni mortuo ſtatuam aurea lingua poſuêre, ut manifeſtum facerent, quanti apud ipſos eſſet probitas cum ſcientia, ſiquidem & vivo claves portarum deferebāt cuſtodiendas.

Fridericus II. rex Daniæ, æternum nomen acquiſivit, qui ſolebat ubique Actuarium habere aſſeclam, ut lectos libellos ſupplices intelligere, res leviores extemplo, uti pollebat judicio, expediret, aut ad deliberandum reponeret: ſed non facilè ſignabat, niſi probè perlectis omnibus. Ubi in Commitiis ordo equeſtris cum Clero contendebat illis arbitros prius indicebat, vel ſpontè intercedebat, ut amicè

res

res componeretur, ad judicem & mulctam non pergeret. Cùm aliquando uxor pro marito fugitivo ob incestum commissum deprecaretur, repulsam tulit, quòd de administratâ justitia sibi coram Deo essent reddendæ rationes.

Darius Persarum rex meditabatur bellum in Scythas, quod Gabrias senatorum sagacissimus avertere non potuit. Itaque movet in Scytas, Istrum pontibus sternit, transmissis copiis vult dejicere pontes, Coës Mitylenæus id dissuadet, ne per incultā Scythiam miles annona destitutus, aut periret, reditu frustratus, aut hostes classem dissiparent. Placuit sententia, Jones jubentur ad pontes excubare, ducitur exercitus in hostem vagum & sylvis tectū, ei denuntiatur, fugam sisteret, & si vires essent, congrederetur; sin minus, Darium agnosceret dominum. Responsum est, Non te fugimus Persa, sed pro solito agimus, donec monumenta majorum aggrediaris; quo eventu præsentes nos habebis. Nullus nobis Dominus, præter magnum Jovem. Magno subsidio erant agmina asinorum, qui vilius pabulantur, & suo boa-

tu

tu Scytharum equos territabant ; & jam deficiebat annona, ibi Scythæ mittunt avem, murem & ranam, cum ſagittis : rogantur legati, quid ænigmatis id eſſet? reſpondetur, Perſas facilè rem aſſecuturos, ſi ſaperent. Darius perſuaſum volebat, Scythas propediem oblaturos aquam & terram , quòd rana aqua & mus terra delectarentur, adeoque obſequium meditari. Sed Gabrias, diſſuaſor belli, longe diverſum ſentiebat: Monent, inquiens, Scythæ per avem , cujus eſt fugere, ut ſalutem in fuga quæramus, ne aqua & terra, domicilia ranarum & murium nos deficiant , & ipſi ſagittis in nos ſæviant. Adſunt ſanè Scythæ ad caſtra Da i ii, leporem in campos dimittunt, & inſectantur. Id reſciſcens Darius , ſentiebat ſeſe ludibrio haberi : idem Gabriæ ab initio expeditionis viſũ. Itaque decernitur reditus, fiunt ignes nocturni paſſim, ſtant aſini alligati, & clamoribus abſterrent hoſtem , donec Sinæ tumultu per beneficium tenebrarum copiæ ad pontes diſcedererent , apud Herodotum.

Alexander Magnus exuvias victo Dario

rio partitus , Phocioni Atheniensi præstantissimum mittit munus; quod ille neq; obtrudi sibi patitur, neque filiis concedit: si enim frugi sunt futuri, sufficiet illis agellus, qui me aluit; sin minus, ista struēt gradum ad nequitiam.

Cùm Vandali duce Nictoto oprimerent Lubecenses in aliquo pago, & passim cæderent , Gerlaus sacerdos vix centenis contractis militibus, castra molitur, fossas ducit, Vandalos repulsat : illi frustra vim experti, fraudem agitant, promittunt incolumitatem, si traditis armis excederent. Gerlaus increpat, Viri arma tenerent, non imbelles instar pecoris jugula præberent, perfidæ genti nihil fiderent. Sic jubet portam recludi, indicto impetu, & cum comite unico conflictum inchöat , per pudorem consequuntur socii. Effoditur sacerdoti oculus, sauciatur femur , perseverans tamen virtus hostes in fugam cōjecit præcipites, uti docet Crantzius.

Anno D. 1213. ardebat bellum inter Henricum Comitem Suerinensem, & regem Daniæ. Rex salvum conductum impertit, ad agitandam pecem; sed conditiones

nes proponit valdè graves. Speculatur interim comes in castris negligenter agi, imo helluari: legit noctem opportunam, quæ regem à venatu fessum & poculis indulgentem gravi somno opprimeret. Naves igitur clam parat, tentorium regis adit, ubi omnia profundè quieta videt, cum fidissimis regem Ericum invadit, occluso ore & metu mortis taciturnum reddit, per excubias temulentas deducit, in suam compingit navem, & Dannæbergam transfert. Tantam audatiam mirabatur orbis, sed rex libertatem clarissimè redemit, ut ait Münsterus.

Duo Canonici Colonienses summo flagrabant odio in Hermannum Gryn Consulem, quod nihilominus occultum ferri necessum erat, & benevolentiam simulari. Invitant Consulem ad conviviũ, leonem quem domi alebant, fame exacerbant ut objectam prædam avidius devoraret. Accedit Consul, nihil sinistri suspicatus, deducitur ad cameram leoninam, impellitur & objicitur bestiæ ex fame sævienti: Consul vir fortis & lacertosus lævam involvit pallio, & sic in gulam leonis inva-

invadit; tum pugionem dextrâ co
confoditque invasorem hiantem. Se
elapsus esset, canonicos accersit, & ext
Basilicæ facit pendulos: eodem Münstero
referente.

Imperatoris Ottonis filia Jutha ex cœnobio Ratisbonensi rapitur per Bisetislaum, Bohemiæ principem; unde bellici apparatus: sed in medio inter hostilia castra procedit filia Imperatoris, colloquiũ parentis postulans, ita profatur Agnosco, optime parens, justam tibi esse istius belli causam, ut eum punias, qui te & Imperatorem & patrem habuit contemtui. Quoniam verò id ex ardentissimo amore est ortum peccatum, cui nulla fræna sufficiũt, & ante hoc plurimum fuit indultum, obnixè peto, mi pater, ut consideres, quem nam persequaris. Est maritus filiæ tuæ, meus sponsus; si ipsum dedignaris aspectu respice nepotulum, ex me & ipso natum: permitte mihi hunc conjugem, natalitiis non imparem, posteaquam conjugium nostrum juxta leges divinas non potest dirimi. Est tibi magnus exercitus, sed adversarium vides æquè paratum, fortuna

de

de victoriâ arbitratur. Pater dilectissime noli tantum numerum mortalium meâ causâ internecioni dare, Condona cui ego condonavi, qui tamen me omnium primò offendit.

Pater hisce verbis in lacrymas sentit cor resolvi sibi, jam filiæ æquior, nisi jusjurandum obstaret de sumendâ vindictâ. Tum illa, Et meus dejeravit maritus sese Germaniam afflicturum, sed hæ dejerationes ex meâ sententia videntur minimè necessariæ, quia tendunt in detrimentum gloriæ divinæ, adversantur charitati proximi. Odit autem Deus, qui malum quid patrandum dejerant. Sed ne videaris juramentum transgressus, efficiam, ut meus maritus cum parēte suo sese ad pedes tuos abjiciant supplices, clementiam tuam imploraturi, ut te suum dominum & regem agnoscant, adeoque permittant, ut tribunal in medio Bohemiæ constituas juri dicundo.

Placuit hoc filiæ consilium, fit pax, erigitur in urbe Bolislaviæ Cæsareum tribunal ex lapide cum aquilâ Romanâ. Juthæ nati Spitigneus, Uratislaus, Conradus,

dus, Jacomius & alto eodem Münſtero teſte.

Maxentius in Venerem profuſus, multis virginibus & matronis vitium obtulerat: Sophronia præfecti urbici uxor accerſitur; ſed cùm id marito indicaret, & ille graviter ſuſpirans diceret, Id ferendum, aut moriendum, Illa tantillum petit tempus ad ornatum, & ſecedens in cubile, pugionem in pectus adigit, teſte Euſebio.

Meminit Manlius in Collectaneis Virginis, quam princeps adduci curârat, ſed ipſo rogat, ocreas prius exoneret: ubi eas in medium pedem detraxit, evadit, & impeditum linquit: fraude hac caſtâ motus princeps eam patri reddit, & amaſio in matrimonium collocat cum latifundio.

Saxo Grammaticus recenſet Rolfonis Dani immenſam liberalitatem: inter cætera & hoc ſpecimen, de Wiggone. Is armorum cupidus adoleſcens adit Rolfanem, miratur artus, & corpus procerum, & aufert aureas armillas, ſed ubi dextram iis ornavit, retrahit ſiniſtram in tergum, &

poſtu-

postulatus causam, respondit, Quòd turpiter compareret ad dextram. Sic Rolfo & alteras dat armillas; tum juvenis: cùm utrumque exornâris brachium, juro supremum Numen, me insidiatores vitæ tuæ, vel quod Deus longum avertat occisores hisce brachiis ad vindictam quæsiturum. Dictum factum, Rolfo adegerat Hyartwarum Suecum ad tributum solvendum: rem ægerrimè fert fastuosa mulier Schulda, & maritum irritat, ne tantam servitutem sustineret. Iret, ferret tributum, & regem majoribus poscentem poculis interimeret: rem nefariam perpetrat Suecus, qui cum comitibus sibi à nimio cavet potu, & in somnolentos irruit, ubi cædes sævissima facta, ut ex Danis unus superesset Wiggo, etiam vinculis traditus. Securi omnium Sueci in aulâ dominantur, pergræcantur: adducitur Wiggo, & laudatur ob fidem Rolfoni servatam, datâ sponsione de incolumitate vitæ, si eandem Sueco esset præstiturus fidem. Cùm ille annuisset, Suecus pro more Septentrionaliũ educit ensem, & cuspidem præbet, quo extremis digitis tacto fidem

illle

ille juraret. Sed regerit Wiggo, tantam fuisse domino priori fiduciam, ut capulum, non cuspidem præbuerit, quem pectori opposito admoveret: sese eandem fiduciam pari fide repensurum.

Jam maturus erat pænæ Suecus, sic capulum tradit, cuspidem suo admovet pectori, & Wiggo medium transfigit, tametsi nullum sciret refugium, præsentem cerneret mortem. Sic fastuosa mulier marito & regno privatur.

Leo V. Imper. Constantinopolitanus metuens vitæ suæ excubias Constantinopoli constituit complures, sancitq; ut quicunque ab occasu Solis in urbe oberraret, in crastinū secluderetur. Sed anxius de excubitorum fide, vilem sumit vestem, & ad primam stationem deprehensus, simulat se lupanar aliquod quærere, & duodecim aureis solutis dimittitur: Altera statio vicenos ab illo aufert, sed tertia probè depexum & dedolatum compingit in carcerē, cum opprobrio neglecti Imperatorii mādati, & prostitutæ vitæ. Illucescente die vix ac ne vix quidem persuadet custodi

carceris ſe Leonem eſſe, niſi & minas intentâſſet.

Sic vocantur excubitores, & negant quemquam temerarium inventum qui aurum acceperent: ſed incorrupti referunt, è carcere erupiſſe, quem deprehendiſſent protervum; veniam proni innocentiæ ſuæ petentes. Jubentur corrupti ſecedere, inſpiciendum datur dorſum lividum, laudantur iſti, & illi coguntur reddere pretium corruptionis, quod auctum probis datum, exilio & ignominia improbitatem conſecutâ.

Idem periculum facit ſatellitum, quorum duodeni ante fores cubiculi excubabant: cum ſummo ſilentio fores recludit, invenit omnes ſomno oppreſſos, præter unum ſtertentem, qui Imperatoris actiones diligenter ſpeculabatur. Deponit Imperator ad ſingulos auri libram, ut eos ludos faceret excuſſo ſomno, & redit in cubiculum. Sed qui ſtertens advigilabat, conſurgit, & undenas libras auri ad ſuam colligit, ſeque ad ſomnum denuò componit. Poſt ortum Solem vocantur ad Imperato-

ratorem, qui quærit, An lætiores evigilâssent? an quid lucri fecissent? pernegant illi, sese oculis somnum non vidisse dejerantes. Ubi Imperator minas depromit, ut verum faterentur, ille pervigil infit, Serenissime Imperator, quid in somno viderint commilitones nescio, mihi fuit somnium lætissimum, quod sæpius optarem reverti: Videbar mihi ad somnum compositus recubare vigil, sociis altùm dormientibus: tum accessit imago, tuæ majestati ferè par, & deposuit singulis singulas auri libras, & sese subduxit, nemine advertente. Jam cùm cæterorum oculis hæc visio non ingereretur, collegi corpus è stratis, & undecim auri libras ad meam composui, duodecim Apostolorum memor, quibus omnem prædam essem oblaturus. Redii in somnum, & visi sunt duodecim Apostoli facinus comprobare. Tum Imperator Leo, Dignus es, qui aurum ex asse feras, somniator lepide, & illi, qui somnolentiam colant inopem: apud Cuspinianum.

Cùm Athenienses Siciliam essent invasuri, contra bonorum sententiam, Meson

Aſtrologus expeditionem funeſtam deprehendit: itaque delirium ſimulat, ne ſtipendium illud facere cogeretur. Sed Phrene optionem nacta inter tabulas Apellis, ſubornat puerum, qui incendium conclamaret ex vico, ubi Apellis erat officina. Ibi ille tantum de Cupidine ſollicitus imprudens dixit eam eſſe tabularum artificioſiſſimam, apud Raviſium.

Froto rex Daniæ mittit conſiliariorum fidiſſimum Ericum ad Gotarum regem Norvvegiæ, qui filiam Alvildam expeteret. Sed Gotarus eandem offert Erico, ſi Frotonis ſororem Gunvvaram, conjugem dilectiſſimam ſibi concederet. Aſſentitur Ericus, quatenus conjunx non repugnet, tametſi nullus id cogitaret, ſed ut animum conjugis tentaret. Itaque rem ipſi aperit, poſſe ſeſe regis filiam nanciſci, & ipſa regnum Norvvegiæ per illam commutationem. Sed illa ſuſpicatur, jam ſui ſatietatem cepiſſe maritum, novis inhiare amoribus, maximè ubi quæſiviſſet intellexiſſetque negotium ſeriò agi: ſic exardeſcit, & querulatur, ſe virginem dilectam fuiſſe, jam viduam fieri & deſeri; falſam fuiſſe fama

de

de meriti probitate, qui quovis vento levior evaderet, cùm nullum divortium, nisi à morte sibi metuendum putasset, lacrymis & singultibus opprobrium intercipientibus.

Erico grata erat fabula, qui sibi ipsi gratulatur de constanti conjugis amore, abstergit lacrymas & in amplexus ruit. Monet tamen, Gotarum nihil cessaturum, quin eam raperet: quo casu illa non multum refragaretur, sed nuptias differret, donec ipsi daretur filia, ut tum convasatis thesauris ipsam Alvildam auferrent & Frotoni regi traderent. Ericus ope amici Rolleri elabitur in navem, & non saltem conjugem suam intactam recuperat, sed & regi affini nuper negatam sponsam tradit; eo bello, quod inde ortum, cadit Gotarus, subjugatur Norvvegia, & comeditur Rollero, qui fidelem Frotoni postmodum præstitit operam, ut Crantzius copiosè enarrat.

Plutarchus refert, Antiochum Soterem illicito exarsisse amore in Stratonicem novercam, Seleuci Nicanoris, Syriæ regis, adeoque parentis conjugem, ut & langue-

ret, & in morbum inde periculosum me-
ret. Medici, nullâ deprehensâ naturali causâ tanti mali, animadvertunt gravissimos motus in juvene, quotiescunque pedem inferret aut referret regina. Sed quis hæc parenti aperiret? audentior cæteris per ambages sermocinatur de morbis animi, qui corpus afficerent, & tandem amores, sed longè alios, attamen illicitos indicat. Tum rex vovet, sese omnia impensurum, ut compotem faceret, vel cum dispendio thalami; id quod fecit, prout mores tum apud Alexandri Magni posteros ferebant; & valetudini restitutus est filius, siccine remedium pejus est malò?

Miniorum triginta apud Spartanos detinebantur captivi, quòd rempublicam conjurassent pessundare: itaque capitis damnati impetrant, ut conjuges admitterentur in ultimum vale. Sed Spartæ ne quis interdiu oriretur tumultus, per tenebras irrogantur supplicia, quam occasionem mulieres arripuêre, & veste mutata, maritos emittunt, quos custodes fœminas credebant, & ipsæ viriliter protrahuntur, atque ob virtutem liberè dimittuntur, in-
quit:

quit Manlius. Idem refert, Comitem à Gleichen Erphordiæ vixiſſe in jucundiſſimo matrimonio; ſed omnia in Turcam induiſſe, captumque à Sultano laboribus ruſticis fuiſſe adhibitum. Evenit autem, ut Sultani filia rus expatiaretur, & operas inſpiceret; ibi ſeſe oculis offert comes, nihil agreſte ſpirans, ſed qui natales nobiliores præ ſe ferret; unde lubuit expiſcari, quisnã eſſet, & quâ ratione in eam præcipitaſſet miſeriam, nempè per aleam belli. Tum illa, ſi me conjugem vis ducere, idque graviſſimo jurejurando ſpondere, & tantam operam rependere, diſpitiam, quomodo te in libertatem aſſeram, & tecum hinc diſcedam. Spondet Comes omnem gratitudinem & fidem, monet tamen, cùm videat quanto periculo ſua libertas conſtare poſſet, ne in limine impingeret, ſibi eſſe in patriâ conjugem chariſſimam, ne quid ipſa falleretur.

Verum enimverò Turcis licet plures habere conjuges, ex lege, præter ullam infamiæ notam, ſic ipſa jusjurandum repetit; certo certior, ſibi optimè cum conjuge conventurum, modò ipſus eandem fidem

dem redderet, quà ipsum iret liberatum. Itaque celeres disponunt equos, & feliciter evadunt, sed ante omnia Romam contendunt ad Pontificem Maximum, ut ille ratum haberet matrimonium præter legem: facilè assensum & indultum, quemadmodum & Comitis conjugi nihil horum displicuit, postquam universam didicit historiam. Unanimes convixêre permultos annos, tanquam dilectissimæ sorores, citra omnem Zelotypiam; sed ipse Deus visus est errorem eo indicasse signo, quòd Sultana nullos pareret liberos, altera verò legitima conjux prole gauderet numerosâ, & ministerio vigilantissimo sociæ conjugis, per omnia puerperia: & maritus certatim ad amabatur, jam raro periculo felix & phœnix. Ajunt memoriam rei etiamnum extare in sepulcro Comitis, inter conjuges medio.

Theodosius moriens Arcadio & Honorio filiis tres constituit tutores, ex omni Senatu lectissimos, Ruffinum Orientis præfectum; Stilliconem Occidentis moderatorem; & Gildonem Africæ arbitrũ. Deliberarent & consulerent isti de rerum sum-

ſumma, donec Cæſares adoleviſſent, in maturam imperandi ætatem: ſed longè erravit Theodoſius, quod eventus comprobavit: Nam Ruſſinus plurima pecunia excitavit Alaricum, Gothorum regem, ut Græciam invaderet, poſtquam Honorium per inſidias tollere ſecum cõſtituiſſet. Sed perfidia erupit in nervum, comprehenditur Ruffinus, truncatur & dextra & capite, quæ partes per urbem circumlatæ, & palo portæque affixæ ſpectabantur. Extorris agitur familia, & omnes theſauri traduntur Eutropio Eunucho.

Gildo ſumit purpuram in Africa, quam rebellionem frater ipſius Maſcezel in lucem protulit, & ut necem duorum filiorum, quos Gildo irritatus ſuſtulerat, vindicaret, exercitum in eum ducit, victumq; & captum laqueo ſuffocat; ſed & ipſus Maſcezel ambitione ſeductus, eandem viam inſiſtit, & à milite trucidatur.

Stilico, qui nuperrimè filiam Mariam Honorio deſponderat, ſed ante nuptias mortuam; alteram in matrimonio collocârat, haud diu ſuperſtitem, in idem prolapſus crimen perfidiæ, filio Eleutherio

Imperium quærit, quem genero & filiabus prælatum cupiebat. Eam autem instititit viam, ut complures Gentes in Imperium concitaret: sic Gothis stipendia subtraxit, ut eos irritaret, & in Italiam immitteret: itaque paciscitur solutionem stipendii, ipsus pecuniosissimus, modò Eleutherio assererent Imperium. Sic septimo Honorii anno ad arma proruunt Vandali, Alani, Burgundiones, Suevi, ad trecenta millia, in Galliam prorumpunt, & Hispaniam penetrant: tum Visigothi, duce Alarico Pannonias petunt, quibus Radigisus adducit ducenta millia Gothorum, per Thraciam & Illyricum, circa annum D. 407. Radigisus tamen præter populationes nihil memoratu dignum præstitit.

Alaricus petebat terras ab Imperatore, Italiam amissurus: datur Gallia, cujus opulentia luxuriæ fecit locum: ingruit Stilico, & eum cædit ipso festo Paschatis contra pacem constitutam & omnem æquitatem. Cadebant enim Gothi antequam arma & ordine capessérent, sed Stiliconis copias tandem profligunt. Quæ omnia ipsi necem cum filio acceleravêre ab Ho-

norio.

norio. Gothi autem tàm perfidè à Stilicone excepti, sæviunt in urbes Flaminiam, & Æmiliam, vastant Italiam; obsident Romam & superant; parcitum templis, sed immanis præda acta: Honorii soror Galla Placidia Alarici propinquo Ataulpho traditur nuptum, qui in regnum successit. Is constituerat Romam solò æquare, nisi uxor obstitisset; quæ & pacem suasit cum Honorio ineundam. Ea tenuit per triennium; donec Ataulphus à suis occideretur; fortassis quòd nimium parceret Romanis, & ipsorum sacra sequeretur. Reddita tamen est Honorio Galla Placidia, quæ paulò post nupsit Constantio; & peperit Valentinianum, Honorii successorē, uti Nauclerus & Cuspinianus tradunt.

Jàm dubites, quos hîc virtutes, quæ vitia præferas. Leontii philosophi filia Athenais; poësi & maximè carmine Heroico celebris, ex Cupiniano nobis hoc claudet caput. Leontius astrorum scientissimus, extremis tabulis filiæ scribit centum aureos, filiis duobus universam substantiam, Athenais à morte parentis tabulas illas incusat iniquitatis, & à fratribus ejicitur:

materteraipſam deducit Conſtantinopolim, ad ſororem Theodoſii junioris, Pulcheriam. Tanta autem erat virginis indoles, ut primo aſpectu, nedum ſermone caperet quemvis; hinc Pulcheria ſuadet fratri Theodoſio, hanc duceret virginem, ſacris Chriſtianis prius imbutam. Paganiſmum illa deponit cum nomine, poſtmodum Eudoxia audivit & imperatrix. Quid hîc mireris primum, medium, aut ultimum? an patris ſapientiam, qui filiæ vægrandem in cælis legerat fortunam? an prudentiam, qui tabulis extremis occaſionem fecit fato protuberanti? an virtutis vim, quæ in ſtuporem homines dat, & ubique placet, quacunque ſub veſte? Laudanda Pulcheriæ modeſtia, quæ civem, nullis principibus natalibus ortam introducit in aulam, non tantùm ut parem, ſed ſuperiorem futuram: Laudandus Theodoſii animus in virtutem propenſus, qui tantum theſaurum ſibi adſciſcere properavit, ſuſq; deq; habitis lautioribus, adeoq; per-commodis matrimoniis.

CAP.

CAP. XLV.

MORES.

IN Peking glaciem ad delitias ſervant (vide fluvios) non tamen ad potum frigidum reddendum, quem ſemper calidisſimum adhibent, amantque ſorbitiunculis compluribus calices identidem exhaurire.

Anno C. 1400. Combuſtum eſt palatium regium: ex illius conflagratione, aurum, argentum, cuprumque ſimul fuſa, ſpeciem conflavêre metalli, ex trium horum miſturâ, qualis apud nos, reique antiquariæ ſtudioſos æſtimatur æris Corinthiaci: ex qua confecta plura vaſa ſummi ſunt valoris ac pretii, præſertim pro ſuffitu faciendo ac odoramentis, adhibenturque ſubinde pro Cha coctione. Nec horum tantùm vaſorum, ſed & omnis omnino antiquitatis, puta inſtrumentorum antiquorum, lapidum, quibus ad terendum atramentum utuntur, non minus quàm Japones, amantiſſimi, ſtudioſiſſimique

sunt, eaque & unionibus & gemmis ipsis ingentis pretii præferre solent.

Totius terræ introsa constitutio, cùm sit in Peking, licet raræ adsint pluviæ, matutino tempore tota apparet humida: exorto sole siccescit, abitque in tenuissimum pulverem; qui à vento in altum sublatus, velut densissimas efficit nebulas, omnia penetrat, fœdatque: res molesta planè atque horrida. Urbis Peking vici perpauci lateribus strati aut silice, unde dubitari potest, qua maximè tempore molestior sit incessus: nam hyeme lutum, æstate pulveres, utrumque molestissimum, incedentes æquè fatigant. Et quoniam in ea Provincia pluit infrequenter, tota in pulverem terra dissolvitur; quem si ventus, licet non maximus, excutiat, nullus domi locus est, quo non ille penetret, omnia fœdaturus. Huic incommodo remedium quærentes, morem invexerunt alibi, ut arbitror, insolentem: nullus est enim è quolibet ordine, qui pedibus, aut equo incedat, sine velo, è pileo ad pectus usque pendente, & faciem contegente; quod ita comparatum est, uti raritate sua oculis pateat, non tamen

pul-

pulveri. Id quoque velum aliud habet in ea urbe commodum, quod non nisi quando volueris, noscaris; unde ab innumeris salutationibus liber, quo quisque voluerit apparatu molestiam minuit, ac sumtibus parcit: Cùm enim apud Sinas intra urbes equitare minus magnificum habeatur, & sella gestatoria vehi satis sit sumtuosum, licet sine nota imminuere afferratum. Vix alibi familiarius est, luto & pulvere necessitatem inducente, equo vel etiam aliis jumentis insidere, quæ passim in triniis portisque urbis, & palatii pontibus, ac fornicibus frequentioribus sessores præstolantur, & paucis obolis diem totum sessorem suum vehunt. Et quoniam incredibilis est urbis frequentia, muliones plerunque jumenta fræno circumducunt, & viam aperiunt: ii quoque peritissimi sunt viarum, nec ferè est quisquam è primoribus, cujus ædes ipsi minimè norint: prostat etiam commentarius, in quem urbis, regionum, vicarum, platearum nomina omnia referuntur fidelissimè: nec equos solùm, sed sellas gestatorias ac bajulos reperis, qui magi-

magiſtratuum ſalutatores, ac reliquos vivos ferè primarios geſtare geſtiunt.

In Xenſi, Turcæ & Samarcani quotannis ferè fictitiis Regum ſuorum adornatis legationibus Sinam (quam Catajo vocant) ingrediuntur, ut ſub hujus legationis ſpecie liberius commercia ſua cum Sinis exerceant; cautum tamen eſt à Sinis, ne ulli, præterquam ſoli legato, adſcitis paucioribus nonnullis, oſtentationis ſplendorisque cauſa, comitibus, ad interiora regni, maximè Pekinenſem Imperatoris aulam penetrare ſit permiſſum: reliqui extra murum ſubſiſtere coguntur ad Cancheu, & Socheu civitates, ubi hujus provinciæ pro rex alter ſedem habet, qui hujusmodi ibi negotiis, ac ipſis Tartaris, ne qua irruptio derepente accidat, acriter ſolet invigilare.

Ex Jaſpide, qui eſt Europæo pellucidior, & intermixto ſubinde tenuiori colore cæruleo albeſcit, in fruſtula ſecto elaboratoque ſummi Præfecti, primique magiſtratus, cingula ſua ac Zonas conficiunt: cæteri vel ex auro, argento, aut ebore,

alia-

aliave ſimili materia,pro cujusque, quo fungitur,officia ac dignitate.

In Xantung viſi non rarò pueri, frigidâ hyeme, tantùm non nudi colludentes; imò & frigidâ ſeſe intra ipſa flumina perfundentes, quâ & lavari eos, dum naſcuntur, perhibent. Unde cùm & patientia laborum, & animi adſit audacia, minimè mirum, eam patriam tot latronum eſſe parentem, qui quandoque viribus ac numero aucti, juſtos conflavêre exercitus, ipſi imperio inhiantes, Imperatorique metuendos, nec parvum ſæpè præfectis negotium faceſſentes. Tot ex iis famoſa hactenus habuêre capita, ut chartis luſoriis Sinicis omnia nomina dederint, ad valoris ac graduum diſtinctionem (chartæ enim hæ Sinicæ à noſtris nec numero, nec re ipſa differunt, & quatuor etiam colorum admittunt varietates) ſed loco regum, equitis, peditisve, aut Dominæ, latronum capita, cum eorum nomine depicta continent, ut nimirum luſores, qui alioqui facilè in latrones degenerant, etiam ludendo latronum exitum, ac finem malum perhorreſcant.

Sinæ

Sinæ turres extruunt superstitiose (vide turres) omnem hinc fortunam, felicitatemque suam pendere rati.

Sinæ grues domi libenter alunt, uti & cervos: cùm enim animalia illa longissimæ vitæ sint, si domi ea habeant, sæpiusque aspiciant, inde sibi nescio quem, ad diutius vivendum pollicentur affricandum influxum.

Kiangsi provinciæ ea præstantia, ac nobilitas est, ut tota sit incolis frequentissima, rerumque omnium necessariarum mater fæcunda, ubique rivis oppidò copiosis fluminibus lacubusque irrigatur. His, ac præterea altissimis montibus, ceu munitissimo vallo, circumquaque cincta est; auri argenti, plumbi, ferri, ac stanni venis dives. Tanta illic passim hominum multitudo visitur, ut eam vix capere possit ejus magnitudo: Hac de causa per totam Sinam mures vocitari solent, propter hominum copiam, mulierumque fæcunditatem. Cùm itaque gens hæc adeò copiosa sit, ut domi suæ, sedem laremve invenire vix possit, per totam dispergiturque ex- extremam Asiam, ad varia viliora que ministe-

nisteria, Mechanicasque artes, ac illiberalos exercendas: præcipuè arti sartoriæ, divinationibus ac sortilegiis multum operę dant, Naturâ sua parci sunt ac miseri quoad se, tum etiam quoad alios: vix quicquã in suis omnibus splendidum exhibẽt, multòque plura de illis spargunt dicteria ac scommata Sinæ, quàm Europæi, Italique de *Lesinâ*, ut vocant, suâ. Adhæc superstitionibus valdè sunt addicti, jejunia idololatrarum, & à certis cibis abstinentiam ex doctrina metempsychoseos quamplurimi sedulò observant, adeò ut nihil, quod vitâ utatur, ausint occidere, nec ab alio occisum comedere. Sunt ex iis, qui per annos integros ossa vaccarum, aliorumque animalium abjecta colligant, ut, cùm hospites excipiendi sunt, aut adornanda convivia, ea scutellis suis porcellanis imponant, quibus fundum, ad struendas turritas dapes ac fercula, more gentis, oppleãt, ut nimium ciborum cogantur addere, sumptosque facere majores. Ingenio tamen gens præclaro est ac subtili, & plurimi ex iis, singulis examinibus, literatorum adi-

adipiſcuntur gradus, ac tum deinceps ad maximas aſcendunt dignitates.

In Kiangſi, ſub Jaocheu, eſt Gangin civitas, & habet pontem obſequii (vide Pontes) Denuò nubere apud honeſtas, crimen ac nefas.

In Nanking: Sucheu urbis incolæ, ciborum lautitiis ac cupediis apprimè dediti feruntur: obſoniis, ſaccaro, ſale, aceto, vinoque condiendis excellunt; butyri ac lacticiniorum vix alibi frequentior uſus, imò nullibi, niſi in hac urbe butyrum invenias. Liquor etiam ex oryza expreſſus, quem vini loco adhibent, nuſquam præſtantior, Sanpe dictus, hoc eſt triplicis albedinis. Hic per reliquum Imperium, Pekinum uſque defertur.

Per totum fere Imperium, hyberno tempore, groſſipinis utũtur veſtibus, vulgares ferè omnes.

Equinâ omnes, perinde ac bubulâ veſcuntur.

Porcos miris artibus enutriunt, ac pinguiores reddunt. Porcina enim apud eos in delitiis eſt; quam præ reliquis omnibus toto anno expetunt, utique ſuaviſſimi ſaporis,

poris. Plebs non parcit equis, mulis, asinis, canibus, qui ad Magnatum adhibentur mensas, & carius veneunt cæteris.

Vilissima scruta, etiam excrementa, ossa canum, gallinarum plumas, porcorũ setas & excrementa colligunt in mercimonia.

Non amant contignationes, aut scalis uti: intus relucent omnia glutine illo Ge: fenestras, ex quibus ad plateam pateat prospectus, ingenuis minus decoras putant. Atria aliis alia sunt interiora; secretissimum mulieres inhabitant, quarem ad modestiam ac cautelam arctissima est custodia.

Medici venæ sectionem gravissimum autumant errorem; jejunio potius, aliisq; refrigerantibus sanguinem ad debitam temperiem reducunt; ajunt, non ideò, quòd ferveat in ollâ, effundendum jusculum, sed si compescere velis, ignem subducendum.

Flavum, rufumque colorem vilipendunt, imò horrent. Præcipua pulchritudinis muliebris ac decoris pars, exilitas pedum

pedum : hinc primum natis fasciæ paratæ.

A nullo unquam armorum genere instructi per vias incedunt; quippe arma ac bella gerere hominibus indignum, & indecorum putant; quare milites vilissimo habentur loco. Quo quisque à literis instructior est, eo opibus ac honoribus magis eminet.

Inter matrimonium contrahentes nullus aspectus mutuus, nulla colloquia, publicive contractus; utrorumque parentes per procuratores suos matrimonium instituunt, & ita ad sponsi domum sponsa nunquam aliàs visa, in sella gestatoria ablegatur, magnâ præcedente comitum catervâ, accensis vel in ipso meridie lucernis. Ibi famulus clavem sellæ sponso defert.

Cibos sumendos digitis attrectare etiam vulgò inurbanum: duobus bacillis oblongis, ex ebeno, vel ebore aut alia materia, scitè in os convehunt; quamobrem cibi omnes, duriores præsertim, in frusta concisi mensæ apponuntur, egregio stru-

ſturæ lancium & mundiſſimo ordine: res non ingrata, ubi nonnihil aſſueveris.

Crines alunt, pectine mundant, in verticem colligunt, reticulo ex ſetis equinis vinciunt contexto, ſuper impoſito pileolo, cujus forma dignitatem arguit, potus ſemper calidus ſit oportet, ſive is ex aquâ ſit, ſive ex vino, de oryza cocto. in aqua bulliente macerant herbam Cha, & calidiſſimè hauriunt, ſitim extinguunt, humores exiccant, rariſſimè expuunt, nec calculo aut ſtomachi cruditatibus laborant, paucioribus morbis obnoxii, podagræ ignari.

Tartari in regno Tanyu utuntur illo in curvo inſtrumento ferreo ſeu æneo, cum chalybea lingula, quod reciprocante inter duo labia & ſingulam ſpiritu, digito indice motam, ſonum edere ſolet, Trompe vel Trompel. Id impellunt ut Europæi vel in equis, ſono illo ſeſe oblectantes.

In Queicheu, ſub Sucheu. Monticolæ plurimùm delectantur robore audacet, literarum ignari, contractus tamen ſuos neſcio quibus notis in tabellis ligneis expri-

primunt. In periculis ac difficultatibus ad ſorti legium tegularum fruſta adhibent, dæmonibusque ſacrificia offerunt, ut mala avertant. Sparſos habent capillos, pedibus incedunt nudis, durosque adeò callos induunt, ut nec ſaxa, nec ſpinas calbare timeant.

Sub Liping: Ægri gallinarum oſſa dæmonibus offerunt.

Per Chinning, Monticolæ auro argentoque abundant; at non, qui illa poſſidet, ab illis æſtimatur dives, ſed qui plures habet vaccas, ac boves: nec pro dote aliud ab illis petitur.

Junnan, Indiæ proxima, non obſervat, quod per maximam aliàs Sinæ partem uſitatum, ut mulieres domi clauſæ degant, omnemque virorum aſpectum familiaritatemque fugiant, ac vix aut ne vix quidem unquam domo exeant in publicum. Hîc enim per plateas paſſim negotia ſua, uti in Belgio ac Germania, confecturæ occurrunt. Adhæc quamplurimi mortuorum cadavera rogo imponunt, ac in cinerem redigunt, non ſarcophagis, quod ſummâ accuratione præſtant Sinæ: quamvis

vis nobiliores ex iis, quique philoſophiæ Sinicæ dant operam, reliquos Sinas imitentur, ac ſarcophagos adhibeant: nullo tamen modo ſimul cum demortuis vivos aliquos in rogum conjiciunt, quod facere Indi ſolent.

Hîc virginem antiquitus nullum in uxorem accipiebat, niſi clam prius ab alio vitiatam, ſi authori Sinico creditur.

In Jungchang, varios exterorum habēt mores, alii aureis lamellis dentes tegunt, alii dentes nigerrimos glutine aliove colore illitos amant, alii faciem variis figuris pingunt, acu nimirum perforando, appoſitove colore nigro, ut multi alii in Indis ſolent; equitant ſine ephippio, ſolo tapete ſubſtrato.

Per Mopang, mares albis plerumque induuntur veſtibus, corpus depingunt, in eo varias efformantes figuras, ut Peguani, barbam volſellâ extirpant, ſupercilia adornant, myſtaces oblongos alunt, brachia ac crura annulis aureis vel eburneis ornāt, aures oblongas, perforatas, annulosque inſertos gerunt: uxores habent ut mancipia muſcho ſantalique ligno in pulverem

 reda-

redacto corpus linunt; tenuiores lutei cujusdam ligni ramenta, seu tenuissimum pollinem adhibent. Ditiores gestantur à bajulis, jacentes in lecticis, aut elephanti insidentes iter faciunt. Idolum Fe colunt.

In Leaotung saltantes habent sacrificulas, quales illæ apud Hispanos agyrtæ seu Cingaræ, quas Gitanas dicunt. Invitatæ illæ præstigiatrices, vel ad ægritudines è domo pellendas, vel ad avertendam sortem infelicem, aut spectra, si quæ fortè domi esse putantur, depellenda, diu noctuque tympana ac pelues pulsantes saltant, tripudiantque absque cessatione.

Cervorum sicci nervi maximè à Sinis ad lautitias ciborum, mensæque apparatum expetuntur: aquâ macerati, coctique planè suavissimi sunt, creduntque Sinæ, victum hunc nonnihil ad vitam hanc diutius producendam conferre.

Toto ferè terrarum orbe notis compunxisse antiquitus corpora gentes, cuivis, monimenta veterum scrutanti, perspicere facillimum est. Idem hodieque fieri in extero orbe apud Americanos, vulgò notum,

notum, unde certissimum documentum, morem hunc esse vetustissimum, jam vide ab urbis Babylonicæ ædificatione ac dispersione gentium, in omnes terræ partes delatum. Ex Celtis Hispanos atque Britannos Taciti adhuc ævo eundem observasse, author est ipse in vita Agricolæ. Germani atque his contermini Galli quando primò eum reliquerint, haud facile dicta est, siquidem nullus auctorum notis compunctos memorat. Celtæ atque Scythæ, inquit Clemens, ex gentibus comam nutriunt, at non ornatus causa. terribile quiddam in se habet, barbarum benè comatum esse: & flavus ejus color bellum minatur, ceu cognatus sanguini. Et Tacitus: Insigne gentis, obliquare crinem, nodoque constringere. Sic Suevi à cæteris Germanis, sic Suevorum ingenui à servis separantur: sic in aliis gentibus, seu cognatione aliquâ Suevorum, seu, quod sæpè accidit, imitatione rarum & intra juventæ spatium. Et Cæsar: in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis, neque vestitus, præter pelles, habeant quicquam (quorum propter exiguitatem magna est

corporis pars apertu) & laventur in fluminibus. Et Tacitus: cætera intecti totos dies juxta focum at ignem agunt. Et Seneca , Germanis quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt.

Tria ipsis fuêre pellium genera, unum sine opere externo, alteram maculis aspersum, tertium pellibus belluarum versicoloribus distinctum. Distinguenda tamen sunt saga nobilium ab ingenuorum sagis. in his quidpe virgæ tantùm sive Zonulæ veniebant, variis coloribus, prout textori libitum, distinctæ: in illis ipsorum nobilium insignia, quemadmodum & in scutis, intexta visebantur insignia, non in hunc nostrum morem efficta, ubi integræ sæpe numerò feræ ac volucres , adeoque agri nonnunquam, montes atque ædificia adpinguntur; sed meri tantum ac nudi colores, in laterculorum speciem interstincti, alternatique: cujusmodi insignia etiam nunc in Germania reperiuntur, quibus ea colorum simplicitas argumentum est vetustatis. Coloribus distinguúntur binis, ut can-

candido & nigro, candido & puniceo: nigro ac fusco, candido & cæruleo; alia aliis coloribus inter se convenientibus. nam delectus est in coloribus nec quemcunq; cuivis jungere decet. Cæterùm cùm quædam insignia pro laterculis latiusculas habeant Zonas sive trabes, quarum tres plerunque conspiciuntur tantùm binis coloribus, ita uti duæ candidæ unam nigram includant, vel duæ puniceæ unam fulvam; duæ cæruleæ unam candidam, & è diverso, quæ & ipsa ob hanc ipsam simplicitatem inter vetustissima habentur insignia, hæc quoque sagis olim fuisse intexta, quemadmodum scutis adpicta, haud dubium est.

Locupletissimi, inquit Tacitus, veste distinguuntur, non fluitante, ut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente. Braccarum usum, quibus femora & tibiæ tegebantur, à prima dispersione ortum patet per universum orientem, & occidentem saltem in nautis. Nec alius fœminis, quàm viris habitus: nisi quòd fœminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpurâ variant, partemq;

vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris patet. quanquam severa illîc matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Intra annum vigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur: dominum ac servum nullis educationis delitiis dignoscas, inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat.

Non multum frumento, sed maximam partem lacte atque pectore viunt, multumque sunt in venationibus. Cumque Homerus bubulam assam regibus ac privatis faciat communem, & hanc consuetudinem primævam dixerimus. Galliæ Germaniæque aquam salsam lignis infundunt. quercus optima, ut quæ per se cinere sincero vim salis reddat: & carbo in salem vertitur: quicunque ligno confit sal, niger est. Inter Hermunduros Cattosque magnis præliis, dum flumen, gignendo sale fœcundum & conterminum, vi trahunt,

hunt, sæpè certatum. Est & Occidentis populis sua ebrietas, fruge modica, pluribus modis per Galljas Hispaniasque, nominibus aliis, sed ratione eâdem. Hispaniæ jam & vetustatem ferrè ea genera docuerunt. De Osiri, sive Libero patre Diodorus: quòd si qua tellus plantam vitis non admitteret, conficiendum ex hordeo potum docuisse eum ajunt, fragrantiâ & efficacitate haud multum inferiorem. favos etiam aqua diluunt Galli, dilutumque hoc potum illis præbet; imò & poma contundunt, ut speciem vini exprimant. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum; sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.

Strabo hæc refert: Æschylus quoque haud obscurè Homero adstipulatur, sic de Scythis pronuntians. Gens justa, & equinis caseis victitantes Scythæ. Quæ sanè opinio etiamnum apud Græcos durat existimamus enim eos esse simplicissimos, minimèque fraudulentos, tum nobis multò frugaliores, atque paucioribus longè rebus contentos; tametsi nostra vivendi ratio ferè in omnes gentes propagavit

 mu-

mutationem morum in deterius, introductis, luxu, voluptatibus, malis artibus, & mille concupiſcendi, aliumque defraudandi ſtudiis, cujus corruptelæ magna pars etiã ad barbaros commeavit, cùm alios, tùm Nomades. hi enim ne maritima tentata, facti ſunt deteriores, latrocinia jam exercentes, & hoſpites interficientes, & quia cum variis hominibus res ipſis eſſe cœpit, ex iis luxuriam, & negotiandi artes didicêre; quæ quanquam videantur ad exuendam ferociam conferre, tamen mores corrumpunt, inque locum modò dictę ſimplicitatis verſutiam ac dolos introducunt.

Veſtigia priſcæ ſimplicitatis apud montanos & vallenſes patent, planitie & flumine per commercia variarum gentium degenerante. Erga maleficos & hoſtes ſunt crudeles, erga hoſpites verò mites atque humani. peregrinis enim omnibus hoſpitium ultrò offerunt; hoſpitalitatisque inter ſe officiis certant. Quos peregrini comitantur, eos laudant, & Diis charos arbitrantur. Abeunti, ſi quid popoſcerit,

con-

concedere moris; & poſcendi invicem eadem facilitas.

Tacitus ait, propè ſolos barbarorum ſingulis uxoribus contentos; exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiebantur. Ligures fœminas ait Diodorus, quoq; in laborum communionem adſciſcere ſolent. Quumque mercede mulieres ſimul ac viri operam elocent, res quædam mira, & noſtratibus inſolens mulieri cuidam evenit. Pręgnans dum opus inter viros mercenarium facit, partus doloribus coacta, in virgultum quoddam, absque ſtrepitu ſecedit, ibique enixa infantem, foliis involutum intra arbuſta abſcondit, & operariis denuò immixta, citra partus indicium, eundem cum ipſis laborem continuat. Re autem per infantis vagitum patefacta, præfectus operis nulla ratione puerperam inducere potuit, uti ab opere deſiſteret: nec illa antè ceſſavit, quàm conductor ejus miſertus, perſolutâ mercede vacationem ab opere ei conceſſit. Sed Strabo addit de Hiſpanis, Celticis, Thracicis Scythicisque gentibus: cùm pepererunt, ſuo

 loco

loco viros decumbere jubent, iisque ministrant. Conducit autem tum ſanitati, tum bellicis actionibus, ſtatim ad frigora adſuefacere à parvulis : quocirca multi barbarorum hunc habent morem, ut alii infantes, ſimulac editi ſunt, frigido flumini immergant, alii brevi tegumento veſtiant, ut Celtæ faciunt.

Exclamat Galenus : quis quæſò noſtrũ ſuſtineat, modò editum infantulum, & ab utero adhuc calentem, ad flumen deferre, ibique ut apud Germanos fieri ajunt, ceu candens ferrum, in frigidam aquam immergendo, ſimul de naturæ vigore periculum facere, ſimulque corpus ipſum roborare. Sed Julianus ad Maximum magis miranda ſcribit : certè Cettis injuriam nullam facit Rhenus; qui ſpurios infantes undis abripit, tanquam impuri lecti vindex, quos autem ex puro ſemine ortos agnovit, hos in ſumma aqua ſuſpendit, matrisque trementis manibus reddit, & quaſi verum incorruptumque caſti & laudabilis conjugii teſtimonium ſervato infante perſolvit. Et Theophylactus: Celticus quoque amnis inter genuinum ac ſpuriũ, inter-

interque virtutem ac improbitatem verissimus est judex. & Julianus: Gallis quoque ajunt flumen contingere prolis incorruptum judicem, quem non flectunt neque matres lamentantes, uti peccatum occultet, neq; patres, uxoribus atq; progeniei judicium metuentes: verax autem est ac minimè fallax.

Veretur autem Cluverius, ne quis ignarus aut mendax, fabulam ut fieri solet, rei veræ, ac per se satis notæ apud Julianum adfinxerit, & quamvis aliquot per annos, in Gallia, & apud ipsam Rheni ripam egerit, tamen non experiundo, sed fando se id accepisse disertè testatur.

Epigrammata tamen docent, scuto eos prolem impositam flumini commisisse; quod de ablutione & induratione corporis intelligi vix potest. Verùm quicquid id fuerit, de solis lævæ seu Gallicæ ripæ accolis accipiendum esse, patet ex Juliano, Claudianoque. Ipsos trans Rhenum Germanos recens editos fœtus frigidis aquis ad induranda corpora immersisse, ut Hispani, Galli, Ligures, Itali, Græci, Thraces, Sarmatæ, Scythæ aliique prisci mortales,

les, è Strabone & Galeno constat. Solent illustriores matronæ infantibus præbere primam pultem, sive aliud edulium pomarium, aliquo pulvere epileptico conditum, ne eo morbi genere unquam tentetur infans, cùm natura cerea ad quidvis formari possit: sunt qui suadeant, & manus & pedes frigidæ immittendos statim ab utero, & gelu nihil unquam nociturum illis partibus: quod experimentum ab ipsa antiquitate potuit fluxisse.

De cultu Deorum, ita Lucianus: *Ægyptii* dicuntur Deorum notitiam percepisse primi hominum, quos scimus, & sacra constituisse, templaque & conventus solennes instituisse. Priscis autem temporibus etiam apud Ægyptios absque simulacris templa erant. Ab Ægyptiis mox ad Assyrios, & porrò ad Græcos templorum simulacrorumque usurpatio penetrasse putatur, & ab his ad Italos, qui vel sub rege Numâ simulacris, ut testatur Plutarchus, caruerunt. Omnium horum templis Germanorum religionem ac sacra esse antiquiora, clarè patet ex eo, quòd etiam aliquot seculis post natam orbi salutem Co-

hibe-

hibere parietibus Deos, atque in ullam humani oris speciem assimilare apud Tacitum nefas duxerint. Quæ sit ratio vivendi hodie per Germaniam vix dici potest: antiquitatis tenacissimi sunt Helvetii, Belgæ navigationum studiosi, mediterranei omnibus sunt pervii, ad omnes plagas evagantur, & sic alienos mores uti vestes induunt.

Jam ad Galliam accedimus: Gallos corpora plusquam humana habere, memoriæ prodidit Jornandes: corpora mirificâ specie & magnitudine Hirtius; celsioris staturæ Ammianus: procera Livius: comam nutrire Clemens Alexandrinæ, eamque rufam, calcis ablutione. Veteres multa sinistrè de Gallis tradidêre, quæ hodie minimè conveniunt. Servius pigrioris ingenii; Firmicus stolidos: Julianus quasi sui oblitos, stupidos & rusticitatem amantes: Polybius doctrinæ & artibus operam non dare: idem cum Diodoro, Athenæo & Clemente Alexandrino, infidos, crapulæque & ebrietati deditos: Livius Polybiusque molles & effæminatos: Mela auri avidos, superstitiosos, superbos: Solinus

Vaniloquos: Plntarchus pecuniæ insatiabiles vocant.

Avidos jurgiorum docet Ammianus: reprehendit etiam Diodorus in Gallis quandam linguæ in temperantiam, sermone notans uti eos brevi & sub obscuro: multa ex animo dubia loqui, plurima ad jactantiam in suam laudem dicere, & ad cæterorum contemtum, minaces esse ac detractores, opinioneque inflatos. Cæsar: Gallorum subita & repentina consilia; in consiliis capiendis mobiles, & novis plerunque rebus student: est autem hoc Gallicæ consuetudinis, ut & Viatores invitos etiam consistere cogant, & quod quisque eorum de quaque re audierit & cognoverit quærant: & mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibus ex regionibus veniant, quasque res sibi cognoverint, pronunciare cogunt; & his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpè rebus consilia ineunt; quare à vestigio pænitere necesse est, cùm incertis rumoribus serviant, & plerique ad voluntatem eorũ ficta respondeant. Mœnibus

nibus oppida includere à Massiliensibus didicêre, ait Trogus.

Livius: Gallorum prima prælia plus quàm virorum, postrema minus quàm fæminarum. Florus: habent quidam simile cum suis nivibus; qui mox, ut caluêre pugnâ, statim in sudorem eunt, levi motu quasi Sole laxantur. Dio: Galli ad quascunque res inexplebili cupiditate feruntur: ita neque audaciȩ, neque timoris modum sciunt; sed cùm ab audacia in subitum, metum, tùm ab hoc in temerariam audaciam ruunt. Sed si hæc per omnia sic se habent, Salustius frustra dixerit, Italiam omnem ab hac gente contremuisse, adeòque ut cum Gallis non de gloria, sed de sálute certari fuerit solitum. Galliam ait Sosipater ex Varrone, duas res ingeniosissimè persequí, Rem militarem, & argutè loqui.

Hodie Galliarum imperium est Monarchicum: primus filius & successor dicitur Delphinus, quod nomen primus tulit Carolus V. Est summus Cubicularius: magnus magister: magnus Scutarius: magnus Venator: Præpositus Hospitii: magistri

ſtri hoſpitii : nobiles ſervientes & centum nobiles. Magiſter Equitum, & Major domus deſierunt eſſe. Eſt duodecim virale Collegium, à Carolo Magno inſtitutum, qui Pares Franciæ audiunt : Mareſchalci ſunt quatuor, quaſi equorum magiſtri: Hamiralus, ab hals græcè; ab Ammir arabicè, eſt dux maris, thalaſſiarchus. Equites Ordinis D. Michaëlis à Ludovico XI. anno D. 1469. inſtitutus. Alius de Spiritu ſancto, & antiquior de ſtellâ, ſcilicet Nobiles domus Divi Odoëni. Locum tenentes ſunt proreges, Gubernatores, limitis cuſtodes, Armamentarii præfectus, Heroldi ſunt feciales. Concilia ſunt parlamenta.

Ammianus Marcellinus diſtribuit Galliam in ſeptendecim provincias: ſed Gothi & Franci omnia turbarunt; adeò ut aliquando fuerint ſex regna Galliæ, Pariſiorum, Mediomatricum, Aurelianorum, Sueſſonum, Burgundorum, Aquitanorum. Fuit aliquando Auſtraſia, ſive Gallia Orientalis & Weſtria, quam corruptè dicebant Neuſtriam, occidentalis. Hodie ſumma rerum per Europam eſt penes Gallos

los & Hiſpanos, ideò de victoriâ vel æquilibrio certantes, cùm cæterorum fortunæ ab his aut illis pendeant, his aut illis applicentur. Et niſi Gallia inteſtinis diſtraheretur motibus, ubi principes novis rebus ſtudent; poſtquam ſacrorum diſſidium eſt compoſitum extra partium ſtudia, jam potuiſſet ſuperare æmulos. Et prout ſunt viciſſitudines rerum, conſilia gravia ſumit, pergitque nunc Gallia.

Itali, quod ad indolem geniumque, comitate, convictus facilitate, facetis colloquiis alios antecellũt populos felici fæcũdoque nati ingenio, ſupra modum promti ſunt in excogitando; & docilitate percipiendis cùm literarum ſtudiis, tum variis artibus præſtant incredibili: honoris ab omni ævo & gloriæ ſitientiſſimi: laudisque præter alios adpetentes. Cum lacte voluptates imbibunt, propenſi in mollitiem, in luxuriam proclives, in Venerem ſoluti, vindictę vehementer cupidi, eamque vitâ ipſa jucundiorem cenſentes, teſtamentis ſuis mandare conſuerunt poſteris.

Color Italis varius, ſtatura non una, literarum ſtudia apud eos vigent maximè.

Olim

Olim multis magnisque superstitionibus erant dediti usquæ ad stuporem, & præ cæteris Tusci, Romani, Sabini: Hodie sacrorum Ceremonias ex Romanæ Ecclesiæ præscripto atque institutione religiosissimè observant omnes, nisi quòd in Australiori Italiâ pauci Græcorum sequantur ritus, & ipsi quidem Græci generis: tum in Alpibus latitant quidam Vallenses, simplicitatis quod videri volunt antiquissimæ pertinaces: sed eorum nulla est cura.

Pontifex Maximus Hierarcha est, & Ecclesiarum omnium caput. Quoties procedit, gemmis conspicitur ornatus & sericis vestibus, tectus auro, vectus equo albo, stipatus milite, circumstrepentibus septem ministris; ut verbis D. Bernhardi ad Eugenium PP. utamur. Cardinales vult Petrus Messias in locum consulum successisse, Archiepiscopos Ducibus adæquatos, Episcopos Comitibus suffectos, Vicarios Præsidum imperialium vices repræsentare. Præpositi præfectorum munia implent: Archipresbyteri in locum Tribunorum militarium substituti; Cancel-

cellarii tribunos plebis referunt. Archidiaconi munus Prætoris, Decani Centurionis, Subdiaconi DuumVirûm locum occupant.

Jure utuntur Itali triplici, Pontificio, Cæſareo & municipali. De gloria bellica Italorum teſtatur univerſus orbis: quin & nunc mari dominantur: ſoli Veneti per tot annos obluctantur Turcico imperio, alienis parum adjuti auxiliis. Imperium Italiæ tenuêre Siculi, Aborigines, Latini, Albani, Romani, qui ſæpius oppugnati, exteras gentes aut expulerunt, aut ſubjugatos cives fecerunt.

Quis Deus Italiam, quæ vos Dementia adegit?
Durum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum.
Venatu invigilant pueri, ſylvasque fatigant.
At patiens operum, parvoq; adſueta Iuventus,
Omne ævum ferro teritur, verſaq; juvencûm
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem:
Convectare juvat prædas & vivere rapto.

Non

Non hîc Atridæ, nec fandi victor Vlysses.
Deserimus, sævoque gelu duramus & undis:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Terga fatigamus hastâ: nec tarda senectus
Canitiem galeâ premimus, semperq; recentes

canit Virgilius Æneid. 9. sed hæc olim fuêre.

Hodie Italia conflictatur inter Hispanos & Gallos, utris sese adjungat; exercetur latrociniis per proscriptos, in agmina aliquando coëuntes. militem strenuum, nautam solertem, fruges suaves merces delicatas præbet, & nimio luxu diffluit.

Hispania olim emto utebatur vino, nunc gentilitio, eoque præstantissimo. Sumtuosè semper inceditur illîc, parcè vivitur: ferocissima jugique impatiens: viribus corporis Romanos superans. Hispanis natura calida est & sicca, color subobscurus, cui juvando fæminæ collyrio plurimum

rimum ex cerussa & mimò utũtur: duriora & benè compacta membra. Magnâ mortales omnes devotione superant, ad ceremonias, adulationes, amplos titulos populis aliis duces: Animi concepta dexteritate singulari tacendo, simulando dissimulandoque celare norunt, gravitatem servant cum adfectata quadam severitate, quæ facit, ut odium sustineant Nationum omnium gravissimum, quemadmodum ipse Mariana prædicat.

Mulieres sunt parum fæcundæ, domi se continent: In conviviis domi quidem frugales, sobrii, paucisque contenti; foris ciborum, præsertim delicatiorum adpetentiores. Advenas inhumaniter excipiunt: apud exteros colunt se mutuùm, vel plebeio nobilitatem arrogantes. Justitiæ cultores maximi. semper de Republica graviter colloquuntur: in castris laborum ac famis patientissimi. Coaluerat quidem Hispania sub unum regem, expulsi hostes Saraceni, subactus ferè novus orbis; sed nunc partes videntur dissilire, prout omnia ab ortu in occasum vergunt.

Britannia triplici regno ferox, mixtum habet

habet populum ex adventitiis: molli utitur aëre, fæcundo ſolo, navigatione proſperâ, opulentiâ ſummâ. Sed infamis videtur perjuriis & latrociniis, cæterum literarum ſtudioſiſſima.

Dania ſuo rege gaudet, equis & mercimoniis clara: animus ipſi probus, ut & Norwegiæ, & Sueciæ, ubi Alarici videtur reſurgere imperium. Solebant amores rapere & inde bellis conflagrare iſti populi: gigantum patria & virtutis bellicæ gymnaſium. Mira illîc & ludicra & ſeria in glacie & nivibus, ſed attraxit ferè omnem Europæ induſtriam Suecia ingenioſa.

Polonia & Turcas & Ruſſos habet hoſtes, unde ſemper eſt armata, quocunque marte contendens. Equeſtris ordo multis gaudet privilegiis: Nobilitas pauculo ſumtu acquiritur: omnis virtus in lacertis & equorum velocitate, parum in munimentis. Hungari ut & Poloni ſacris diverſis utuntur, ſed Bohemia conformitatem nuper induxit, gentes bellicoſæ, dites, ſumtuoſæ, & luxurioſæ.

Cap. XLVI.

FABVLOSA.

IN Peking, ſub Paoting profundiſſimus eſt lacus Vo, de quo ſuperius, ſi folia vicinarum arborum incidant, quàm mox hirundines evolant, adeò ut folia ipſa in aves mutari videantur, uti narrant de anatibus Hibernicis: fides tamen ſit penes Sinas.

In Xenſi, ad Uucung mons eſt Taipe: ajunt, in eo pulſata tympana, fulgura ac fulmina, ingentes excitare tempeſtates; unde ſeverè cautum, nec ulli omnino licitum, ibi tympanis pulſandis admovere manum.

Scribunt, piſcem lapideum (de quo vide in Lacus) quotieſcunque imminet pluvia, ingentem boatum emittere; præterea, viſum ſibi in ſomnis videre aliquando Imperatorem Hiaovo, authorem lacus, piſcem illum hamo captum à ſe ſuppetias petere, opemque implorare: die poſterâ verè in ipſo lacu, hamo captum piſcem reperiſſe,

perisse, ideòque eum somnii memorem, solvisse piscem, liberumque abire jussisse: cùm autem postmodum piscationi operam daret, in reti suo duos ab eo repertos Uniones (Mingyue Sinæ vocant, hoc est, lapides claræ Lunæ, qui ita dicti sint, quòd juxta Lunæ ætates, luminis incrementa susciperent, paterenturque decrementa, uti vulgò de Selenite asserunt. Similes porrò adhuc apud Sinas extitisse, atque etiamnum in aulæ palatio existere, sunt qui contendant: pretii autem eos ac valoris inæstimabilis volunt. Hosce lapides ubi accepit imperator, Hoc enimverò, inquit, illius quem hamo exemi, ac libertate donavi, grati piscis munus est.

Sub Kingyang urbe, prope Chinning Civitatem est mons Lo, in quo ad vivum visuntur expressæ humanæ statuæ septem & viginti; à naturâ ibi eas extitisse, non ab arte, fabulantur Sinæ.

In Xantung: sub Yencheu; prope Ningyang est fons Tao, hoc est latronis, equo Cungfutius philosophus quondam bibere noluit, licet admodum sitiret, quia latronis

tronis aqua dicebatur: adeò vel ipſa nomina vitiorum oderat.

Tan amnis habet rubros piſces: ſcribunt fabulanturque Sinæ, horum piſcium ſanguine ſi uncti fuerint pedes, facilè tum eſſe aquis inambulare: addunt præterea, quòd ſi tum aqua turbetur, piſces illos omnes quam primum ad aquæ ſuperficiem aſcendere, reddereque ipſum fluvium totum rubicundum, atque ignitum: inde illi Tan nomen, quod rubrum ſignificat.

Prope Niuhiang fons aquæ eſt Sinis admodum pretioſæ, quòd vitam longiorem homini præſtare credatur.

In Suchuen ſub Chingtu metropoli, ad Civitatem Quon, incipit mons Chingching, ac pluſquam mille terrarum ſtadia occupat: in eo Xinſien hoc eſt, homines immortales, inter ſe convenire fabulantur.

Sub Siucheu: memorant olim pſitacum hîc ab exteris emptum, ut in patriam eum ſuam illi aſportarent: verùm cùm eam ex Sinâ efferre vellent, ita locutam fuiſſe aviculam: Ego Sinarum ſum avis, ad exteros

ire dedignor, Atque ita eam paulò post expirâsse. Quis credat, tantum etiam belluis innâtum patriæ amorem, adeòque illubentes non homines tantum, sed & aves Sinas aliò migrare, mordicusq; leges patrias observare. Chocung rivus ad Civitatem majorē Kiating memorabilis occurrit; scribunt enim, mulierem quandã, secundum ejus ripam ambulantem, reperisse arundinem in aquâ, ex quâ vocem audiebat: eâque eductâ, invenisse infantem in ea latitantem (sunt enim hîc arundines ac cannæ illæ Sinenses ad instar parvi dolii crassitie) quem domum delatum enutriit: qui non ita multò post Yelang effectus est, atque in hisce partibus, quâ in Occidentem tendunt, Yelang regno initium dedit. En alterum Mosen.

In Huquang: propè civitatem Vuchãg mons est ejusdem nominis, in quo olim apparuisse dicitur Vir, toto hirtus corpore, decem altus cubitos, sub Cina familia.

Est insula Pequey, sive albæ testudinis, in Kiang fluvio, è regione urbis, Hoangcheu, ubi miram militi accidisse historiam nar-

narrant: Qui cùm fortè ab inimicis in flumen projectus esset, à testudine in alteram ripam, quasi inter Delphinas Arion transvectus est. Et scribunt hoc gratæ testudinis fuisse beneficium, quam ille multo tempore enutrierat, liberamque sua sponte dimiserat. Illud sanè minimè fabulosum, permagnas istîc reperiri testudines.

Xincheu urbs: multis magnisque montibus aspera est regio; pars montium ab agrestibus incultisque hominibus occupatur, quos Sinæ fabulantur ex animali quodam (canem fuisse volunt) & filiâ regis oriundos. Illam ajunt trium annorum spatio sex mares ac totidē fæminas genuisse, qui junctis inter se connubiis huic genti initia dederint.

Nuiqua mons sub Chingyang urbe, à muliere Nuiquâ, quam loco Idoli habent ac venerantur, cujus superbissimum ibi visitur templum. Han tantæ virtutis fuisse perhibent, ut confractum cælum restaurarit, ferruminâritque, ut Mahometes Lunam scilicet.

In Kiangsi, ad Nanchang extra mænia

fabulantur, olim fuisse virum quendam, qui egenorum complurium necessitatibus succurrerit, multaque populo liberalissimè erogârit, quippe qui Chemicâ arte non fictitium, sed verum argentum elaborarit. Addunt præterea, ab eo diuinis planè artibus draconem, urbi ruinam minitantem, terrâ fuisse obrutum, & ad ferream columnam ingentis magnitudinis alligatum (quæ columna intra fanum adhuc ibi in puteo visitur) demum in cælum eum cum totâ domo ac familia evolâsse. Hac de causa, summa gentis superstitione, quam religionem pietatemque putabant, fanum ipsum exædificatum est.

San mons, ad Nanking, particulam sui in Kiang fluvium protendit, compluribus crassis, ferreisque catenis circumdatam, ne aufugiat, uti Sinæ ridiculum præbent; at reverâ, ut navigantes hamis facilius detineant naves: cùm enim durissimus sit lapis, vix alio modo allusionem, collisioneq; navium impedire possent.

In Nanking: sub Changcheu: prope Kiangyn mons visitur Chin, in quo mu-

lierem

lierem à cerva partu editam fabulantur Sinæ.

Ling mons, ſub Quangre Civitate majore, altitudine nubes tranſcendit, collem habet maximè difficilem & acclivẽ, quindecim ſtadiorum ſpatio; ad quem ſpelunca, in cujus aditu ſacrificuli cujuſdam lapidea eſt ſtatua, quem in eam mutatum fingunt.

Ta lacus eſt prope Fung Civitatem, ad quem Lieupangi mater, ruſtica à ſpiritu compreſſa fertur, ac deinde Hanæ familiæ auctorem enixa.

Su, amnis memorabilis eſt ibidem, ad Civitatem Poi, in quem ſub finem Chevæ familiæ novem cuprea illa vaſa, Sinicas novem provincias exprimentia, ab Yuo fuſa, antiquiſſimo Imperatore, demerſa feruntur: & omni adhibitâ diligentiâ, à Cinæ familiæ auctore nunquam inveniri potuerunt. Tantæ autem hæc vaſa fuêre æſtimationis, ut, qui illa obtineret, vulgò Imperator haberetur.

Per Chekiang, in montibus notandis deligendisque, non minus curioſi, quàm ſuperſtitioſi ſunt Sinæ, in illis conſiſtere

ſuam felicitatem ac fortunam omnem rati, idque ob Draconis, quem felicitatis putant principem, in illis habitationem. Unde pro ſepulchris ſtruendis montis figuras diligenter examinant, venas amnes ac viſcera rimantur, ſumtibus nullis aut laboribus parcunt, ut felicem ſcilicet terram obtineant, caput puta, vel cor vel caudam Draconis. Nam inde pro ſepulti poſteris felicia omnia, & ex voto fluxura exiſtimant. Multi hujus artis periti, per totam hanc extremam Aſiam vagantur, qui mõtium figuras, venasque obſervant, non aliter atque Aſtrologi ſiderum conjunctiones & aſpectus, & Chiromantici manuum, ac Phyſiognomi, cui ſtudio admodum dediti ſunt Sinæ, totius corporis habitum & lineamenta obſervantes. Eſt autem Xeu mons, ſub Caifurg metropoli, in Honan laudatiſſimus, primus omninò in libris Fungxui, qui de montium felicitate ac ſorte tractant: quod nullus in toto orbe illi inveniatur æqualis.

Kinhoa urbs, hoc eſt, Veneris flos: ajunt enim in monte prope hanc urbem Venerem ſtellam, cum alia Vuniu, hoc eſt mu-

mulier militaris (en tibi Palladem) de flore quodam contendiſſe : vincente ante Venere, quæ Kinſing, ſive aurea ſtella dicitur, nomen urbi factum.

In Ningpo gens tota cibis ſalſis lubentiſſimè veſcitur; atque hinc de illius incolis dici ac jactari vulgò ſolitum, Ne poſt mortem quidem eos corrumpi, cùm adhuc in vivis exiſtentes, ſale ſe adeò copiosè condierint.

Sub Ningpo, prope Tinghai: ibi in mari terſus lapis, ad modum columnæ exurgit; cùm naves tranſeunt, neſcio qua ſuperſtitione ducti nautæ aliquid in mare projiciunt, nî faciant, infelicem ſibi futuram navigationem rati.

Prope Tunghoa ſtagnum eſt, parvum ſed profundiſſimum, cujus aqua, ſi probum Civitas ſit nacta profectum, limpida prorſus evadat, ac pellucidior vitro; ſin malum, turbida & obſcura, uti ajunt.

In Quangtung: ad Kaocheu eſt mons Feu, tantæ altitudinis, ut hunc ſolum eluvionis Sinicæ tempore, vertice ſuper aquas eminuiſſe velint, in eoque homines aliquot ſalvos perſtitiſſe & incolumes.

Ad Liencheu mons eſt ingens atque abdito receſſu, Uhoang, de quo hæc apud Sinenſes ſcriptores fabula: fructus eo in monte reperiri, alibi nunquam viſos, quibus veſci ad ſaturitatem cuilibet liceat; at non ſecum inde auferre. Id qui tentârint, nunquam ex hocce labyrintho ſeſe extricandi reperire viam. En lotophagorum regionem.

Luicheu, à fulmine dicta urbs, quod ex monte amænum aquæ fontem elicuerit, ubi fulminum ſpiritui, ſeu Deo magnificum ac ſuperſtitioſum incolæ ædificârint templum. Fingunt enim, fulminibus ſpiritum neſcio quem præeſſe, fracti mallei ſcilicet partem, cùm decidit: eo malleo pulſari ingentia tympana, indeque fulminis erumpentis ſtrepitum ac murmur eſſe fingunt. Toto autem anni tempore frequentia hîc audiuntur tonitrua.

Sub Kiuncheu: circa Lincao eſt mons Piſie, in quo ferunt animal eſſe aſtutiſſimum quoddam, canis figurâ, ut penè ratione uti credatur. Fuiſſe & lim ex hoc genere quoddam ajunt, quod inſulanorum exercitum per ignotos calles duxerit, ut ex

ex Cochinchima ingressis hostibus iter intercluderet, ex quo Insulanorum ingens consecuta est victoria, atque ipso in loco statutum animali fanum.

In Junnan, ad Chinkiang urbem ad hæc usque tempora, ingens conspicitur lapis, ubi Mung rex Sinulo alterius regis legatos excipiens, cùm illi minimè satisfacerent, extracto gladio lapidem ita percussit, ut ictus ad tres cubitos penetraret, verbis insuper minacibus legatos alloquens: Ite, & regi vestro renunciate, quales apud me gladii sint. quod accidit sub Hiaouvo Hanæ familiæ authore, qui Mung regnum potentissimum, quod etiam Nanchao dicebatur à Sinis, Sinico adjecit Imperio.

Sub Munghoa est mons Funghoang, à phænice dictus, quòd illa in hoc monte defuncta vita, cum aliquamdiu suavissimè cecinisset, fuerit. Ajunt, quotannis, sub finem autumni, aves omnes vicinas congregari in hoc loco, ac mortem phænicis velluti plangere: Incolæ illos dies observant, noctuque accenso igne montem conscendunt,

dunt, ubi innumeras præstantissimasque capiunt aves.

Ad Xunning: De puteo Quonin (quod nomen famosissimi idoli est, forma muliebri) scribunt, quendam ibi senem baculo terram percussisse, atque ita illi dedisse originem, cùm aliàs terra aquis careret; quæ res pro prodigio habita, maximè cùm senex ille amplius non comparuerit.

Kiocing habet montem Fukin, in quo fons est, cujus aqua puerorum ingenium augere dicitur: nisi hoc fit, ut pueri vino abstineant.

In Quangsi ad urbem Gucheu, in lacu parvo Ço alebat rex Pego decem Crocodilos, quibus ut devorarentur objiciebat reos ac sceleratos: ab iis innocentes nunquam læsos narrant, adeoque quos Crocodili non occiderant, liberi eo ipso, tanquam vacantes omni culpa, abire jubebantur.

Ad Luching mons est Funieu, id est, abscondens vaccam. nam crudelem hîc furibundamque fuisse vaccam scribunt, cõplurium morte infamem; à quadam demum

mum viro ignoto, intra montis cavernam abductam, cùm eo nunquam amplius exinde apparuisse.

Vanhu mons ad Fuencheu, omnium altissimus, nomen illi à decem hominum millibus, quæ, cùm aliquando ingens terrarum orta esset eluvies, illius subiisse verticem, ibique aquarum evasisse periculum feruntur.

Pexe ingens mons est, in quo nobilissimus Dux Leang Hoeio à Tartaris obsessus, cum aquam ad reficiendum exercitum consequi non posset, sacra monti fecisse dicitur, ad impetrandum potum exercitui, & quàm mox ibi fontem emicuisse.

Satis fabularum per Europam posset colligi, si charta ferret: In altera ripa Neogardiæ, quæ est Russorum, visitur D. Antonii monasterium. De eo per provinciam hæc certissima fides, Antonium Romæ sese composuisse in lapidem molarem, sic sedentem tanquam in navi descendisse Tiberim, evasisse mare, ad ostium Volgæ delatum, adverso flumine, & ad Neogardiam cum lapide excensionem fecisse. Ibi-

dem offendisse piscatores operi intentos, pactumque cum ipsis certo pretio, ut primi jactus fortuna sibi cederet: & extractã satis grandem arcam, quæ ornatum Ecclesiasticum contineret, cum libris & multis numis. Eam igitur sibi sedem delegerit D. Antonius, sacelli condendi, in quo obierit, & sepultus quiescat. Cadaver ipsis creditur incorruptum, miraculis clarum, sed nemo peregrinus admittitur, tametsi lapis molaris in murum incumbat & monstretur, sed rarius. Cùm autem in vita D. Antonii nihil horum extet, commentum sit oportet Russorum.

Gregorius Turonensis prodidit memoriæ, Hilarium quendam, Senatorem Divionensem adeò uxorem adamasse, ut cùm defuncta inferretur tumulo ipsius, qui retrò multis annis obierat, avidâ jam dexterâ fuerit ejus cadaver artissimè complexus. Miraculi vicem, sive fabulæ expleat, per nos licet.

De Durdrechto, Hollandiæ oppido memorat Junius in Bataviâ suâ istæc: Tēplum habet magnificum, oris signisque pulchrè exornatum, & artificio arcuati o-

peris,

peris, quo concameratum est, meritò suspiciendum, & collegio Canonicorum celebre; de cujus fabricâ quod narratur, quamvis puti diusculum, atque à somnio parum abhorrere videatur, quia tamen ante me chartis illitum video, silentio non præter ibo, fidei periculum penes authorem relicturus. Ferunt enim Virginem quandam Soterem nomine, nî fallor, tribus numulis, ejusdem cum Tityi jecinore, semper redivivis & immortalibus, quos crumena, nunquam detrimentum passura continebat, operas omnes impensasque ædificatæ ædis sustinuisse: quâ ex re nata invidia avidas opificum manus in virginis necem armâsse; ipsaq; mox rediviva cum percussoribus suis expiandæ nefariæ cædis causâ Romam petiisse memoratur, ibique peractis votis religionem exoluisse, animã exhalâsse, corpusque tumulandum dedisse dicitur.

Anno supra millesimum trecentesimũ decimo sexto, in summâ annonæ difficultate sororem opulentam altera egentissima in sobole numerosâ flagitârat panis subsidium, ne fame interirent liberi: illa

infitiatur se habere, sanctéque dejerans Deum obtestatur, ut, si quid panis domi habeat, id omne lapidescat. Quid multa? preces secuta dicitur certa ostenti fides, miraculo confirmata. Id quod miraculorum numero lubens adscripserim, postquam in mentem recurrit, quam magnus theologus suis Dominicalibus addidit historiâ: Opulentus vir per parum & argenti & granorum solebat domi servare, ut tutò dejerare posset, vix ad necessitatem sibi in potestate esse quotidianam: sed defoderat marsupium auro grave sub arbore in agro. Vicinus, cùm liberorum acerbissimam famem diutius sustinere non posset, nec à ditissimo hoc, aut quovis alio, juvaretur, restim quærit, rus abit, arborem legit, cujus ramo protenso restim, resti collum induat: & ne langueret diutius, dispicit lapidem unum atque alterum, ut altius caderet, & suffocationem juvaret: sed incidit in illum ipsum Mammonis custodem, & animadvertit ligaculum aliquod coriaceum, quod non longè aberat à vermis figurâ, effossum invenit thesaurum, pro tanto munere stupet, cœlum su-

spi-

ſpicit, in lacrymas reſolvitur, & cum gratiarum actione clementiſſimo Deo oblatâ properat ad ſuos, ſed reſtim in locum marſupii deponit, eodemque lapide concinnè contegit. Accedit Euclio poſtridie, idolum ſuum adoraturus, & quod pauperculus agitabat, ex proximo ramo ſeſe facit literam longam.

Ut aliud ex alio in mentem venit: alicubi legitur, parochum nepotuli curam ſummam egiſſe, ne inter ſacras homilias cum æqualibus garriendo tempus conſumeret; adeoque in cathedram aſſumſiſſe. Sed puerum aliquando effusè idq; ſubitò riſiſſe, ut parocho res non tantùm mira videretur, ſed & digna cenſurâ. Reſpondet igitur puer, in ſua nõ fuiſſe poteſtate riſum continere propter viſionem perq̃ ridiculam: adſtitiſſe duos dæmones confabulatoribus è regione cathedræ, qui excepe-rint in corium bubulum, non parochi admonitiones, ſed congerronum nugas, & ubi videretur mox deficere corium extendiſſe tractim, primò manibus, deinde mordicus, idque penè in circuitum: ſed medio in eo niſu, cum & pedibus niterentur,

tur, alteri dæmoni ereptum corium è dentibus, occiputque graviſſimè muro impactum, in magnum procul dubio tuber & vehementem dolorem, uti admota manus & indignatio in nugatores ſatis probarit. Quid hîc faceret parochus?

Sed liceat hîc fabulatier: deſcripſimus ſuperius Unicornem, an & qualis detur: nunc dabimus homines cornutos, in quibus cornuum tuberibus nonnunquam luſit Natura, poſt alios Paræus catalogum iſtorum conficit. Thuanus Franciſci Trovi luvii, anno circiter 1599. per Galliam oberrantis cornu, arietino è frontis media parte enato hiſtoriam inſperſit: eundem vidit Pariſiis Emanuel Urſtiſius & Renodæus, qui ait pro monſtro habitus eſt ruſticus quidam Cæmanus, cujus fronti cornu adnatum craſſiſſimum, duos palmos longum, ad occiput incurvum, Lutetiæ anno D. 1600.

Corniculum in frōtis angulo parvum Carolo Sartori Neapolitano ad D. Dominicum habitanti quoque obſervatum, cervæ vel vitulæ junioris ſpecie, de quo M. Au-

M. Aurelius Severinus, magnus Campaniæ doctor.

Et ante annos plus minus quindecim in valetudinario Mediolanensi justæ ætatis puella in fronte cornu gestabat semipalmare, ex una parte striatum, quod Matthæus Bergomas Chirurgus detraxit.

Cornicul arioru m frequens mentio apud Jurisconsultos, quos glossa vetus accensos decurionibus: de Philippo Macedone Livius in arborem illatus impetu equi, alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit. Didonis cornuta facies in numismate spectatur: quod crinium artificium frequentius imitabantur Romanorum fæminæ nobiliores; uti nunc Venetæ sponsæ, nescio quo nomine.

Valerius Maximus refert, Genitio Prætori cornua in capite emersisse: & bicornem monachum Benedictinum olim Patavii visum testatur Johannes Rhodius; nec bicornem tantùm, sed ruminantem quoque, non ut duplicem ventriculum, ut credi voluit, sed ob æsophagum musculi instar

instar carnosum, à dissectore Francisco Plazzono observatum.

Alexander Magnus ea assumsit (quæ alii occultant) ut viceretur Jovis Ammonii filius, vel pone aures reflexa, vel à fronte summâ ad aurium pinnam seu alam incedentia, uti marmora docent. Fit tamen aliquando ea species per capillorum texturam. Attilæ sanè effigies formâ Alexandreâ exhibetur, ubi & impetus & superbia ferina notatur.

Extat sanè numus, qui Mosen ostentat arietino utrinque cornu reflexo; & in altera parte præceptum, quo sculptilia damnantur. Crines tamen egregiè cornua imitantes magnifico opere Melitæ in templo Cathedrali D. Johannis anno D. 1550. Mosi statuerunt Galli. Sed ea fuit gloria faciei, uti Chaldæus habet, à verbo splenduit: inde Job dicit c. 16. se operuisse cinere gloriam suam, non cornua sua, ut quidã interpres.

Cornua hæc & monstri & ægritudinis nomine censeantur, uti verrucæ, quæ non sunt lethales, formam tamen deturpant. Materiam ponas licet in humorum recremen-

mentis, efficientem in calore, formâ propriâ & imaginatione (ſunt enim cornuti ſine cornibus) Et rectè Ariſtoteles: quæ cornuta ſunt, eadem omninò quadrupeda eſſe certum eſt, niſi quòd per translationẽ cornua habere dicantur.

Dum hæc ſcribimus, occurrit nobis Bartholinus, qui volantem draconem à Petro Bellonio ſuis coloribus depictum exhibuerit, ex Arabia in Ægyptum beneficio alarum delatum: ſed caput nullo cornu aſperum apparuit; niſi in ſceleto, quod Cardinali eminentiſſimo Franciſco Barberino donavit Ludovicus XIII. Galliarum rex. Vipera cornuta, quâ Cleopatra uſa dicitur, eſt argenteis purpureisque maculis inſignis, teterrimo veneno prædita, & videtur per Ægyptum frequenter; exuvias habet Nicolaus Contarenus, Senator Venetus.

Piſcibus cornua eſſe contra multos acriter aſſerit Scaliger, exemplo obvio infelices dubitationes ſolvens: ad inſulam Cimbuton inquit; captus eſt piſcis, ſuillo capite, cum geminis cornibus: Orientalia ſunt parva, ſeptentrionalia ita deſcribuntur.

tur. Animal marinum circa Islandiam noſtram, Groenlandiam & reliquas ſeptentrioni viciniores inſulas frequens eſt & uſitatum, nomine vulgari Narhval, à cadaveribus quibus veſci ſolet appellatum Islandis, Balenæ ſpecie & magnitudine, quod anteriori dentium ſerie inter reliquos dentem effert eximiæ quantitatis, & vulgatis cornibus longitudine craſſitieq; parem. In gyros volvitur & ſtriatos flexus ex majori radice ad extremum obliteratos. Rarum enim fuit cornu illud ſine ſtriis gyriſq; navi mercatoriæ impactum, quod olim in patria viderat Lucas Holſteinius.

Hic autem ille dens eſt, quem pro Monocerote venditarunt plerique, in theſauris principum reconditus, ob ſingularem unicornis veri opinionem, quam dentis illius raritas ſuperioribus temporibus de facili ingeſſit, cùm non niſi per naufragia ad exterorum littora appelleret. Verùm noſtro ævo frequentioribus in Grœnlandiam, præcipueque Spitzbergam commerciis, & natura dentis & abundantia innotuit. Quippe illo cornu ficto totas na-

ves

ves onerarias implerunt nuperrimis annis mercatores nostri, atque in Europam pro vero monocerote intulissent, nisi detracta larva à peritioribus pro marino agnitum fuisset, & detectum, ut mirum sit, patribus nostris, & toti Orbi hactenus impositum cornu, quod similitudine monocerotem æmulabatur, cùm neutrũ cornu, exactius nec observarint, nec observare potuerint.

Nos, quibus & caput belluæ, & ejus cornu naturali loco situm contemplari & contrectare pridem in Belgio licuit, dicit Bartholinus, verum dentem Balenæ, instar elephantis ex ore prominentem, sed ductu rectiori asseveramus.

Olaus Worm, regius Daniæ professor, anno 1638. controversiam de cornu illo Grænlandico inter mercatores Haffnienses ortam, velut æquissimus arbiter, sic publicè decidit: Illa intelligimus ossa, quæ figurâ recta, oblonga, tereti, inferiori parte crassiora, paulatim in mucronem gracilescunt, levibus canaliculis seu striis ab infimâ parte, qua capiti juncta fuêre cava, longitudine quandoque septem, quandoque

doque plurium pedum, pro ratione magnitudinis non admodum pōderosæ sunt. Cujus generis illud, quod Serenissimo regi Daniæ ex Islandia allatum; item illa, quæ ex Grœnlandia nuper Mercatores nostri attulerunt. Tale ad fanum S. Dionysii, propè Lutetiam ostentatur. Talia in delubro D. Marci Venetiis asservantur. Talia in gazis Pontificum custodiri tradunt. tale septem pedes longum Antuerpiæ venale vidit Goropius, quod ex Islandia allatum fuisse refert. tale Argentorati, tale Metis, tale apud regem Poloniæ, tale quod Aldrovando teste Mercatores Germani Romam venale tulerunt, pretio nonaginta millium coronatorum. Tale fragmentum illud, quod Julius III. Pontifex Romanus mercatus est duodecim millib. aureorum. Ex talibus segmenta passim apud Magnates invenies, titulo unicornu superbientia.

Omnem rem probat ex natura cornuū & substantia, tum autopsia, quod dimidiam ulnam cranii substantiæ sese insinuaverit: laupat & Gerardum Mercatorem, qui prior idem sciverit & senserit: testes addu-

adducit Hugonem Willibuy, & Robertum Billeth, qui anno 1616. ad elevationem poli 74.gr. 30.min. sæpè in ejusmodi dentatos inciderit pisces. Dentem esse docuit calcinatio philosophica per liquoris calidi evaporationem, cùm resolveretur in tenuissimas laminas, uti dens Elephanti solet. Dens Wormii erat ferè quinque pedum, sed tertia sui parte mutilatus.

Audiamus fabulatorem Rabbi Juda in libro Rabbà: tantæ illi est Monoceros molis, ut arcam Nöæ subire non potuerit, inde ponè eam alligatus pedissequum egit natando. Neque rectius R. Jacobi, filii Idæ, in psal. 22. Illi David pascendo gregi intentus, forte in unicornem dormientem ascendit, cùm corporis, cornuque vastitate, tanquam montis specie delusus esset: sed ubi excusso somno Monoceros elevatur, territus David feræ insidens, quam montem crediderat, votis ad Deum versis, templum ejus capacitatis, longitudinisque, quam cornu monocerotis æquabat, centum videlicet cubitorum, seriò vovit, si ex præsenti periculo eriperetur.
Qui-

Quibus cùm annuisset Dominus, in terrorem monocerotis immisso Leone, auctus ex duplici monstro Davidi metus tātus, ut novo voto duas preces incluserit hoc suspirio : Salva me Domine ex ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me.

De pede est controversia: Michaël Egesius ait sicuti soli pedi unitas atque unicorne, ita bifido dualitas & bicornæ congruit. Sed illa Mecchæ visa Plinianæ descriptioni conveniunt, præter fissuram pedum & cornuum longitudinem. Quid si utroque pede inveniatur, sicuti sues in Illyrico quibusdam locis solidas habere ungulas testatur Plinius. Cauda fuerit vel aprina, vel suilla, pro gradu feritatis. Color ipsius cornu nigroris & temperati, non mirificè splendens, ut Solino placet, sed delirans, nisi & nigra splendere concedamus, quod avium plumæ præstant. Longitudo ætatem sapit: Alberto Magno visum erat decem pedum, alia duorum cubitorum, alia trium, etiam quatuor pedum, & cubitus facit pedes duos sive dodrantem.

Et ut maximè credamus, esse monocerotes

rotes terrestres, nondum scimus, cui familiæ eos possimus transcribere: caprigenũ alii præferunt genus; alii cervos, alii onagros, alii equos; omnes tamen animal dicunt solitarium, quod nihil citius appareat, quàm Phœnix, cornu autem singulis annis abjiciat, uti cervus. Equidem vix credum, tale unquam extitisse, quale nobis proponitur. Fabula est, & poëtarum figmentis simile; verum autem illud de piscoso genere.

CAP. XLVII.

CHRONOLOGIA SINÆ.

CHronologiam Sinæ ordientes, videmus ferè eadem, quæ Varroni quondam, occurrere. Is tripartita faciebat tempora, ab Olympiade primâ certa; à bello Trajano incerta; & retrò, nullius fidei seu fabulosa. neque mirum: ignorabat fontem historiæ Mosen, qui spiritus sancti instinctu traditiones patrum correxit, & veræ historiæ syntagma ab ipso exordio rerum composuit, quo niti omninò oportet:

qui Ethnicorum poryſmata ex ratione deducta ſequuntur, vix exordium mundo, vix Deo uni æternitatem concedent.

Jam parum refert, an calendis Septembribus, uti Ruſſis placet, teſte M. Adamo Oleario, in itinerario Orientali; an viceſimo ſexto Octobris Deus fecerit initium rerum & temporum: de coloniis deductis, & regno Aſiæ extremæ conſtituto nobis agendum, ut illius Epochæ recenſeantur, viciſſitudines imperantium familiarũ declarentur, & fides ipſorum annalibus aſtruatur.

Si Judæis aſſentiamur, Imperii illius incunabula fuerint arceſſenda ab ipſo Cainan, ſive Kenan, qui ante diluvium ſuis poſteris, illas terras legerit, ſive ſorte obtinuerit. Habuit is proavum Adamum, mortalium ultimum patrem: avum Sethum anno 130. Enoſum patrem anno 235. filium Mahaleelem, anno 395. nepotem Jaredum anno 460. pronepotem Henochum, anno 622. ab nepotem Mathuſalemum, anno 687. At nepotem Lamechum, anno 874. qui Noachum ſuſcepit filium,

filium, justitiæ divinæ fidelem præconem, anno 1056.

Volupe est ad calculos revocare conversationes patriarcharum. Adamus conversantur cum Setho filio 800. cum Enoso nepote 695. cum Cainano pronepote 605. cum Mahaleele abnepote 535. cum Jaredo 470. cum istius filio Enocho 308. cum nepote Mathusalemo 243. & cum pro nepote Lamecho 56. annis, curriculo 930. annorum. Sethus, maximum afflictissimorum parentum, quorum filii Abelus cæde, Cainus in pietate perierant, solatium, nascitur anno Adami 130. vivit cum patre 800. cum filio Enoso 807. cum nepote Kenan 717. cum pronepote Mahaleele 647. cum ab nepote Jaredo 582. cum at nepote Henocho 365. cum Mathusalemo, Noachi avo, Henochi filio, 355. & cum Lamecho Noachi patre, Mathusalemi filio, 168. annos: vixitque in universum annos 912. & hæreditatem adit cœlestem, anno 1042. quatuordecim annis ante natalem Noachi 112. annis post obitum Adami; 55. annis post assumtum Henochum, anno ætatis 912. & Mundi, 1042.

Enosus, cujus tempore cæptum est invocari nomen Jehovæ, hoc est, instituti sunt publici conventus, ad audiendam doctrinam de Deo, quod antea fiebat in familiis privatim: atque cœptum est blasphemari nomen Jehovæ, cùm paulatim secessionem facerent pii à Cainitis, qui vocabantur filii hominum, sicuti pii nomen retinuerunt filiorum Dei. Gen. 6. Nascitur autem Enosus anno Sethi patris 105. Adami avi, 695. Conversatur cum avo 695. cum patre 807. cum filio Kenan 815. cum nepote Mahaleele 745. cum pronepote Jaredo 680. cum abnepote Henocho 365. cum at nepote Mathusalemo 453, ejusque filio Lamecho 266. & nepote Noacho 84. annis, diem autem suum obit extremum anno ætatis 905. & Mundi, 1140.

Succedit Kenan, natus anno ætatis Enosi parentis 90. avi Sethi 195. proavi Adami, 325. Is conversatur cum proavo Adamo 605. cum avo Setho 717. cum patre Enoso 815. cum filio Mahaleete 840. cum nepote Jaredo 775. cum pronepote Henocho 365. cum abnepote Mathusale-

mo

mo 584. cum atnepote Lamecho 361. ejusque filio Noacho 179. annis. finem vivendi facit anno 1235. postquam explevisset annos ætatis 910. & pergeret annus Mundi 1235. Atque hîc apprimè notandum venit, Kenanum cum patre, filio & nepote vidisse omnes omninò patriarchas antediluvianos.

Jam oritur summa difficultas ex eo, quod Sinenses, ut maximè conditi credantur à Kenano, Imperatorem sibi electitium ferant primum anno ante Christum natum 2847. ante quæ tempora sibi nihil certi suppetere fatentur. Sed si calculo Calvisiano diluvium universale, quo omnes omninò mortales, præter Noachum & arcularios, interierint, incidit in annum Mundi 1657. qui censetur ante Christum natum 2291. jam redundabunt ad minimum anni 556. ultra diluvium rejiciendi: adeò ut anno Mundi 1101. qui fuerit Noachi 45. & Kenani 776. cœperit illa Electio imperialis.

Veniam æquus esset daturus lector, si natalem Salvatoris pro tolleremus cum famosis chronologis: sed eundem Sethus

Calvisius, quem maximè sequendum ducimus, redigit ad annum Mundi 3950. Lutherus & Funccius ad 3963. Buntinguis ad 3967. Bucholzerus ad 3971. Laurentius Codomannus ad 4142. Methodorus ad 5000. Eusebius ad 5190. Isidorus ad 5210. Augustinus ad 5351. Theophylactus ad 5476. Alphonsus ad 5984.

Russorum calculus ponit natalem Salvatoris in annum mundi 5507. & foret medius inter Theophylactum ac Alphonsum. Nobis ad diluvii intercapedinem deforent anni præterpropter sexcenti, aut ultra diluvium recurrerent, nisi majusculum aliquem calculum arripiamus. Sed nolumus à Calvisio discedere, nec est otium, quæ ille extremâ horâ præventus expendere & ad amussim dare non potuit, nos persequi.

Ita autem statuimus, Patriarchale fuisse dominium seu potius disciplinam ante diluvium, maximè inter domesticos fidei; colonias ductas creberrimas, etiam in longinquas regiones, vel exemplo ficus Indicæ, ubi colonia sæpissimè fieret colonia-

rum

rum metropolis, donec impleretur orbis terrarum habitatoribus, juxta benedictionem primævam. Sed seriem seminis promissi in eâdem hæsisse terrâ, quæ paradiso vicinior fuisset, in Babyloniâ, ubi Euphrates & Tigris, rei testes comprobatissimi.

Ex Babyloniâ facilis transitus, in Arabiam & Africam, atque ex illâ in Americam Meridionalem trajectus: tum ex eâdem Babylonia descenditur per Armeniam in Europam, iturque per Persiam vel ad Indos, & Sinas, vel ad Tartaros, donec Anienis occurrat fretum, quod Americam Septentrionalem aperit. Instinctu divino Abrahami filii ab Isaaco discedunt. Esavus montana, Jacobus campestria amat. Familiares Numini Patriarchæ aut sponte sciebant, quò ablegandæ coloniæ, aut cælitus monebantur, cùm terrarum angustiæ multitudinem non caperent.

Sic igitur *Kenanus Epochæ Patriarchalis caput*, & coloniæ dux Mahaleelem apud seminarium, in conversatione & schola patriarcharum relinquit, ipsius nepotum colonias digerit, & ne videretur proximiora oc-

ra occupare, ad Eoum usque mare secedit; medius inter torridam & frigidam Zonã, ubi Oceanum haberet obicem & custodem, montium juga & crepidines objectaret hostibus, claustra facilè tutaretur.

Statuimus igitur ex Judæorum relatu, Kenanum condidisse Sinas, qui Kenanitæ apud eosdem audiunt, anno fortè Mundi 825. ætatis 500. firmâsse patriarchas & Indices regia authoritate, qui tuerentur bonos, coercerent improbos: & vel ibidem locorum imperitâsse, vel coloniarum curam gessisse, ubi ubi tandem mortalitatem posuerit.

Quis neget, si vel causam diluvii universalis apud Mosen legit, improbitatem repagulis ruptis effusam fuisse in omnem libidinem? sic patriarcharum imperium contemtui esse, plebes misella gemere, oculi amnium converti in viros cordatos, venatores fortes coram Deo, qui nihil cederent malis, sed contra audentius irent, quacunque familiâ & tribu legi possent. Ut jam nihil memoremus de Caini posteris, qui eadem nomina, licet detorta, cum

cum Sethianis capeſſebant, potiora occupabant, injuriarum nihil reliquum faciebant, ex indole progenitoris.

Itaque Epocham primam, Patriarcharum nempè, continuamus à Kenano, usq; ad *Foly, Imperatorem primum, qui electitiam Epocham inchoat*, & cœperit anno 2847. ante Chriſtum natum, uti habent Sinarum annales 556. ante diluvium, 45. ante natum Noachum. Memoratur autem Imperator Foly natus ad Cin Civitatem, & ſepultus ad Cungchang in provinciâ Xenſi, quod ſepulchrum antiquiſſimum fertur. Bombyces leguntur ad annum 2800. jam fuiſſe in uſu.

Secundus in hâc epochâ dicitur regnâſſe Hinnungo annos centum & quadraginta: victusque in monte Fan depoſuiſſe imperium, arma & ſpiritum, anno 2697. Qui de imperio contenderat Hoangti victor ſuccedit tertius: urbem condidit in provinciâ Peking, ad Paogan, cujus rudera etiamnum ſpectantur; deniq; Alchimiæ ſummam à militiâ impendit operam. Dici autem voluit Hoangti, id eſt luteus Imperator, per modeſtiam, cùm

supremus Imperator, nempe moderator cœli & terra dicatur Yangti. Eidem thronum esse voluit in fano, juxta suum, sed vacuum, quem sacra facturus veneraretur invisibilem. Supremis tabulis jussit, ut corona ac reliqua Imperialia signa sepelirentur in monte Kiao, qui est provinciæ Xansi.

Quartus Imperator est Chuenhao, valdè laudatus, & cæpit potiri rerum anno 2587. & ipse condidit urbem ad Paoting cujus rudera nihili fiunt.

Quintus dicitur Javo vel Cavo: cujus summa laus, quòd nunquam satis laudari possit. Ejus mater vixit propè Huon, in monte Yki, sub urbe Paoting, in provinciâ Peking, regiam habuit in urbe Pingyang provinciæ Xansi, sepultus est in urbe Taming provinciæ Peking, imperavit disertè circa annum 2357. cùm tempus indulgentiæ à Deo præfixæ Noachus prædicaret.

Sextus Xuno, hoc habet singulare, quòd ab agro colendo ad Imperium fuerit vocatus, alter Abdolominus, & vitæ innocentiam ita comprobârit suis, ut etiam

jam nunc audiat optimæ vitæ imperator. Datum est ipsius pietati, montem Lie, ad Xenyang civitatem, sub urbe Pingyang, in provinciâ Xansi, nullas spiras, nullas omninò producere noxias stirpes, aut venenatas herbas, quòd illum incoluisset; solebat etiam in lacu ejus districtus piscari.

Sub septimo & ultimo Imperatore electitio ingruit Diluvium. Vide autem, perspicax lector, an Noachus per centum & viginti annos desederit domi, inter familiares: præco utique justitiæ universo mortalium generi datus, materiam struendæ arcæ tardius congessit, aut maturius delineavit, nunquam quietus, ut per quatuor plagas mundi gentes præmoneret. Pervenit igitur ad Sinas, ad Persas, ad Tartaros, ad Arabes, ad Africanos, & colonias quasvis, quæ Patriarchis descriptæ servabantur, quas ipse sollicitè connotabat, in archivum mundi seponendas.

Hinc Moses, adjutante Spiritu omniscio, hausit coloniarnm nomina & loca postdeluvianarum, quæ exemplo priorum erant in syllabum relata: hinc Noachus suis potuit distribuere provincias

tametsi Moses nuda saltem recenseat nomina antediluvianorum, ut qui properaret seriem ab Adamo ad Abrahamum pertexere genealogicam de filio Dei incarnando.

Nova facies terræ à diluvio plurima retinebat vestigia prioris formæ: neque enim assentiri possumus illis, qui disceptatum eunt, aridam primam fuisse absorptã undis, & prodiisse abyssum in aridam secundam, adeò ut jam calcetur, quæ prius navigabatur; & navigetur quam primævi calcâssent. Ut & illos repudiamus, qui nobis fingunt orbem terrarum priorem ad circulum, sine tuberibus & vallibus, undiquaque æqualem, quasi aquatum torrentibus arena & lutum cesserit, & saxosos mõtes pepererit. Quæ uti nimium acuti comminiscuntur, ita citra demonstrationum argumenta susque deque habentur.

Audacter asseveramus nos, Sinam non demum toto seculo post diluvium, cùm linguarum confusio necessitatem migrandi imponeret, fuisse restauraram, sed vel ante Babylonici regni initium, quod collocatur in annum sexagesimum, à diluvio

fini-

finito, annum nempè mundi 1718. Quis enim dubitet, heroico fuisse complures spiritu, qui jugi impatientes, à Nöa flagitarint scientiam astrorum & geographiæ, ut Ethnarchæ constituerentur, cùm scirent, paucis annis numerum mortalium immane augendum, & artem navigandi didicissent ob arcam ante oculos versantem.

Nunquid ille ex archivo produxerit Kenani memoriam, cum quo vixerat annos 179. quem tritavum habuerat, qui colonias deduxisset, & imperium condidisset, cujus imperator primus Foly electitius in eundem finem erexisset sibi monumentum sepulturæ, in quem duæ fuissent factæ columnæ, diversæ materiæ, quarum alterutra superesse posset aquis diluvii, & posteriorem orbem terrarum scientis denuò instrueret, axioma utique præstantissima.

Omnes docti censent, corvum à Noacho ex arcâ dimissum ideò non revertisse, quòd alicubi in vertice montis cadaver aliquod invenisset depascendum: neque enim revertit ad arcam, sicuti columba,

aut aquis fuit haustus nimiâ defatigatione progressus, cùm unicum saltem per avium immundarum ad conservandam speciem in arca continuerit. Quòd si cadavera post diluvium extiterunt, quis neget urbium, & castellorum, licet vitiata & ruinosa extitisse signa plurima? Urbes enim Cain primus condidit ex trepidatione conscientiæ: urbes Sethi posteri condidêre, ad arcendam vim improborum, & ad imitationem Cainitarum, in mores utique eorundem transgressi, gravissimè id querente Spiritu sancto.

Sinas coloniam esse pervetustam vel inde patet, quòd scientiæ & disciplinæ Noachicæ fuerint tenacissimi; nam Deum conditorem & moderatorem cæli terræque coluerunt semper, virtutem summum æstimârunt bonum, à sanguine adeò abstinuerunt hactenus, ut nemo armatus, præter militem præsidiarium incedat, aut iter faciat: ibi nulla progenies nobilis, nisi quam philosophia agnoscat, probitas ad gubernacula Reipublicæ vocet: & quanta Virtutis specimina superius attulimus? In postremis non pono, annales ab ultimo tem-

tempore, quos ne Græci quidem proferre possunt.

Quàm varias artes exerceant, nihil attinet dicere, siquidem & typographiam & tormenta ænea ab ipsis accepit reliquus orbis. Seres ipsi sunt, qui Persas, ac proinde Asiam atque Europam sericum docuère. Cùmque Ethnarcha probè meminisset, quanto vituperio constitisset Noacho vini nimii haustus, vitem nō colendam sanxēre, quamvis nobilissimam haberent, sed potu primævo contenti oryzam maceratam decoquunt ad sitim sedandam: A Tartarorum moribus barbaris, qui rapto & crudo victitant, abhorruêre, quin potius terræ exercēdæ & subigendæ operam dedêre, vel montibus perfossis aut in planitiem redactis, ne per otiū obreperet vitium.

Linguâ utuntur suâ, non Hebræâ, non Aduaticâ, quarum alteram Goropius sacris, alteram profanis usibus fuisse dicatam contendit; dicas tamen, ad Hebræam proximè accedere, propter brevitatem, cùm monosyllaba pleraque multum significent, & composita plurimum; ut jam de

pro-

pronuntiatione cum ſibilo nihil dicam. Sed ſcriptionis diverſitas parum obſtiterit; à ſummo enim ad imum ducunt lineas, ut ſic ſcilicet à cæteris nationibus etiam diſcernerentur, ſicuti Gothi, Græci, & ſi qua gens ſibi ipſi literaturam finxit. Poteſt etiam in deſuetudinem veniſſe uſus linguæ divinæ, æquè ac apud Babylonem.

Quòd ſi lector benevole, abutor tuâ patientiâ, in opinione meâ ſtabiliendâ, per me licet decurtes ex calculo Sinenſi, quantum oportebit, donec cum Calviſio noſtro, adeoque Moſe ipſi conveniat; memor utique de faſtis Romanis, de Imperatorum annis de Epocharum in quolibet regno veſanam eſſe inter Chronologos concertationem. Unum rogo, ut Sinis liceat cum Ægyptiis in hoc genere deſipere, qui mortalium ultimi & ſapientiſſimi audiunt, ab Abrahamo & Joſepho erudìti, ipſoque Noacho. Ægyptii enim longè plures numerabant annos majorum ſuorum, qui calculum Moſaicum longè excederent, etiam retrò diluvium, ut ſeſe cum Arcadibus lunâ facerent, ſi quirent,

anti-

antiquiores: unde ſeptuaginta Interpretes alicubi calculum prolongandum cenſuerunt in translatione Codicis ſacri. Detur eadem venia errori & Sinenſi & Ruſſo, ut impunè poſſint à Majoribus traditas genealogias ab ultima antiquitate accerſere. Quid ſi myſtica quædam acceſſerint, ſicuti non nemini placuit Unum, Duo, Tria, Quatuor compingere, ut indicaret trinitatem ſanctiſſimam, & opera Creationis, ex quibus exurgeret numerus ſeptenarius, perfectionis & ſabbathi nota; ſed adderet chronologiæ 1234. tantoque numero augeret, myſticè, non numerativè.

Satis mirari non poſſumus, Bochartum, antiquitatis ſcrutatorem incomparabilem, in ſuo Phaleg nihil recenſere Sinas, qui de Phænicibus hæc habet in præfatione: ſuſpicio eſt non levis, etiam ante Joſuam colonias ex Phænice in Africam fuiſſe emiſſas; quod apud Euſebium ad numerum 498. Hercules dicatur Diodas in Phæniciâ, ubi Hieronymus, Hercules cognomento Deſanaus in Phænice clarus habetur. Porrò Phænix iſte Hercules cognomento Diodas vel Deſanaus omninò

vide-

videtur idem fuisse cum primo Hercule, qui n. 442. Antæum vicisse refertur, nempè in extrema Libya, circa Zilim, & Tingim; ibi enim regnabat Antæus. Unde sequatur ultimam Africam à Phænicibus jā frequentari cæpisse.

Eodem facit, quòd in libro mirabilium Aristotelis Phænices leguntur Uticam in Africâ condidisse annis 287. antequam Carthago conderetur. Carthago quippe in Appiano condita fuisse traditur annis quinquaginta ante Trojam excisam. Et in Eusebio refertur illud excidium ad numerum 835. Itaque Uticæ conditus præcessit excidium Trojæ annis 337. & incidit in annum 489. numeri Eusebiani, qui præcisè annus est, quo Phænicium Herculem celebrem evasisse nuper notavit Eusebius. Jam collocat Calvisius Excidium Trojæ in annum mundi 2767. in tempora Jairis, Israëlitici Judicis; quòd si 337. annos Uticæ conditæ demas, proximè accedes ad diluvium Deucaleoneum, tempora Phaëtontis & Ascadetis, qui septimus decimus apud Assyrios regnavit, cujus

cùm Moses ageret annum sexagesimum octavum.

Pergit Bochartus, Græcis ignorantiam Oceani exprobrans & geographiæ, dum Phænices in Occidentali Oceano à Cerne ad Cassiterides & Thulem usque omnia pridem haberent pervia, & partem ejus septentrionalem Hynilco describeret, & Australem Hanno, cujus libellus & hodie superstes esset: jam taciturus de magna insula, ab iisdem in extremo Occidente repertâ, quam Aristoteles & Diodorus ita describant, ut multi putent esse Americam.

Deinde refert: ad ortum quis nescit mare rubrum & Persicum & Oceani quicquid est, clausa fuisse Græcis usque ad Alexandri Magni tempora. Hinc Æschylus in Prometheo vincto Colchidem appellat terrarum tractum ultimum, & Plato in Phædone orbis habitati terminos nõ extendit latius quàm à Phaside ad columnas Herculis. Quo errore imbuti Alexandri milites, montem Paropamisum in Indiæ finibus uoluerunt esse Caucasum, vicinum Colchis: quasi ad Alexandri glo-

riam

riam hoc maximè pertineret, ut Caucasum, hoc est ex eorum mente, ultimos terrarum fines, attigisse diceretur. Similis imperitię illustre exemplum habemus in ipso rege; cùm scripsit ad matrem Olympiadem, se in Indiâ reperisse Nili fontes: nempè cùm in Indo amne crocodilos vidisset, & ad ripas Acesinis, qui in Indum cadit, fabas Ægyptiis similes.

Sed in eo fallitur Bochartus, quòd asserit, Phænices à temporibus Davidis & Salomonis, hoc est, annis ante Alexandrum sexcentis aut septingentis, cæpisse per mare rubrum Asiæ littora lustrare, & in Indiam usque commercii causa navigare, deductis coloniis in sinum Persicum: quorum opera classem instruxerit Salomon, subinde mittendam in Ophir id est, in Taprobanam Insulam, quæ Zeilan fit recentiorum; quod pluribns comprobat: cùm Phænicibus illa navigatio dudum fuerit aperta, & Insula famosissima brevissimè absit à Sinis, vel per commercia notissimis. Solent autem mercatores decurrere ad authores mercium, ne alienis manibus lucrum impertiantur. Quin ipsus

Bo-

Bohartus seipsum videtur corrigere, dum ait; Inde, nempè ex Taprobana verisimile est in Asiæ extrema penetrâsse usque ad orientalem Oceanum, & summum poëtam Solem orientem describere

Qui placidè fluit Oceani de gurgite vasto.
i.e. ex mari Pacifico, q Asiam ab ortu alluit.

Nempè hoc penè unicum genti Phænicum studium, ab ipsa statim origine innatũ fuerat, ut quoquo versum in omnes partes terrarum orbis vela facerent, & colonias deducerent: sive illos incitaverit gloriæ sitis, aut patriæ tædium, aut imperii cupido, aut naturæ arcanorum indagatrix curiositas, aut lucri aviditas inexplebilis, quæque ad nihil non *mortalia pectora cogit auri sacra fames.* Quòd si apud Herodotum, ex Ægypto & mari rubro in occasum navigârunt, ita ut Solem ad dextram haberent, quamvis id temporis credi non vellent, & Africæ circuitu confecto per Gades in Ægyptum regressi sunt, quis dubitaret, eosdem ex Persico sinu digressos, Bengalam neglexisse admodum vicinam; aut minus ausos fuisse, trans æquatorem Javam audire, Novam Guineam quærere, Ma-

Macaonem frequentare & Foquienſem Sinarum ultra Cambojam , provinciam nobiliſſimam, commerciorum cauſa inviſere, cis æquatorem, ut maximè ſuperſederint terreſtri itinere ex Ormo Bengalā & Quinſæam pergere.

Ex quibus omnibus hoc conficitur, terras extremæ Aſiæ non fuiſſe incognitas, quòd eſſent à prima ſede Patriarcharum non remotiſſimæ, & ob fertilitatem cultiſſimæ, tum propter opulentiam raram exquiſitæ, præ Africâ torrida, quamvis rarius adirentur navigationibus , ob æquatorem bis ſubeundum, & tot inſulas, ſcopulos & ſyrtes per littus Oceani ſparſas, unde penè majora pericula, quàm per gentes, quæ tamen accepta ab ultimis tradunt citerioribus, ut eadem prorſus in univerſum orbem perveniant.

Itaque novam Epocham Sinarum à Diluvio conſtituendam ſumimus, eamq; ex poſteris Semi , vel ante diſperſionem populorum; nam Deus ſtellis in Cælo, & populis in terra proprium metatur locū: qui mari appoſuit vectem & valvas, & dixit, uſque huc venies, & non procedes amplius,

plius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos apud Jobum; idem gentes singulas certis limitibus coërcet, quos transgredi non possunt, nisi ipso volente. Quo pertinent omnia ista Deuteronomii: Quando dividebat satissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël. & illa Pauli in Actis: Fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitarent super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum. Sic ipse Deus dicit, se in possessionem Esau dedisse montem Seir; & filiis Lothi tradidisse Ar in possessionem.

Ex Semo orti sunt Syri, Assyrii, Lydi, Armeni, Persæ, Elymæi, & innumeri alii Asiæ populi, inter quos & Sinas numerari convenit. Elam Ethnarcha Elamitarum, qui fuerunt medii inter Medos & Mesopotamenos, Susiosque habebant vicinos: Elamitas solos vicinarum gentium Parthis semper obstitisse refert Strabo. Assur alter Ethnarcha, Assyriæ constituit imperium; & promiscuè dicebatur Syria atque Assy-

Aſſyria, donec Euphrates aut certè Tigris gentem diſcriminaret, ut Syria à Phænice ad Babylonem pertingeret; Aſſyria nunc Adiabene, olim Aturia propter Niniven eſſet.

Arphaxad, tertius Ethnaraha, & parti Aſſyriæ, quam Ptolomæus vocat Arrapachitidem, nomen dedit.

Quartus Ethnarcha eſt Lud, à quo orti ſunt Lydi.

Aram quintus Ethnarcha, Syros produxit, de quibus Heſiodus ita: *tenebatur autem in Arimis ſub terra tetra Echidna.* Aramæorumꝙ deſiit, ubi Aſſyriorum innotuit nomen. Aramo datur filius Uts, qui Damaſcum condidit: fuit & alius Uts, Abrahæ ex fratre Nachor nepos in Auſitide, Arabiæ: & tertius Uts, in poſteris Edom, unde vel apud Hieronymū confuſio, cùm primus in Syria, ſecundus in Arabia deſerta prope Chaldæā, & tertius in Petræa, in finibus terræ Chanaan habitaverit. Alter filius Arami dicitur Hul, cui Armenia tribuitur. Tertius Gether vel ad Bactra, vel ad Ergimul, Tartariæ regionem, muſchi fæcundam, circa Sinas rejicitur. Et hic ipſus eſt

est Novus conditor Sinarum, qui tempestivè discessit, unde nulla ejus dynastiæ, nulla posteritatis, apud Mosen mentio: cujus frater Mas, sive Mesech, Apamiam Mesenen inhabitavit, in historiâ Arabiæ Getheri filii, & præcipuè Thainud, dicuntur Ethnarchæ: de quo vide indicium superius p. 318. & 319.

Invento igitur Ethnarchâ Gethero, Semi filio, Epocham primam, post diluvianam constituimus, vel cum regno Babylonico concurrentem, postquam sex Imperatores annis 640. præfuerunt, ab anno ante Christum 2847. ad annum 2207. & septimus incidit in ipsum diluvium. Gether igitur in patriâ sibi manum comparat, quæ ducem fidelem ad quascunque sequeretur terras, & regnandi facit initium, ex Sinensium calculo, anno 2207. ante Christum natum, sedecim antis ante natum Phalegum; ab exordio rerum 1773. hinc inde relictis filiis, coloniarum ducibus.

Tradunt Sinenses, hunc Imperatorem, qui imperium fecerit hæreditarium, natum esse in Xeeiven, sub urbe Lunggan, in

provincia Suchuen: volunt enim per diluvium universale multa centena millia in montibus esse servata, regnatumque sine interruptione. Sed falluntur splendidè, qui scilicet non considerant, Arphaxado tribuendos annos quadraginta ferè ad matrimonium, & decem alios, ad procreandum Aramum, filium & Ethnarcham quintum: deinde non pauciores Aramo largiendos ad Getherum gignendum: unde natalis Getheri inciderit in annum Mundi 1858. qui fuerit annus ante Christum natum 2090. anno nono post Nahoris, quem Abraham habuit avum, nativitatem.

Expunxerunt igitur Sinenses ex Annalibus interstitium illud Diluvianum, ut ferè Ab origines viderentur, in medio terræ collocati, cœlisque dilectissimi, ne viderentur quicquam debere aliis. Getherus etiam ob eandem causam ex ambitionis visceribus productam nomen suum immutavit, Yvo dici amans, & familiam, cui imperium asserebat, nuncupari voluit Ya, sive *Hiaa*, quæ sanè rerum potita legitur annis 441. usque ad annum ante Christum

ſtum 1766. cùm Jacobus ageret annum octogeſimum, undecim annis ante Joſephi natalem.

Hoc tempore plurima fuêre per Sinam regna, ſive Dynaſtiæ, Ci, Guei, Chao (quod aliquando habuit Siang regem prudentiſſimum) Sung, Çu, Quei Çui, Xin, J fo, King, Lo, U, Jüe, Tung, denique Pa & Cho ex Hangtii ſanguine regem utrumque; ii Sinico deinceps nunquam paruerunt imperio, niſi ſub X'o Imperatore, qui illos in ordinem redegit, poſt 250. annos. Hinc tributa pendebant, aut feuda audiebant, donec imperium venerari deſinerent, & mutis attererentur bellis, ad coagulum unum: quemadmodum U, extinguitur à Jüe, & Jüe à Çu, quod regnum tanta fuit incrementa, ut potentiam & majeſtatem Imperii vel æquaret, vel multum ſuperaret.

Sed noſter Yvo dicitur prius fuiſſe conſtitutus regulus in civitate Mao, ſub urbe Tungyang, in provinciâ Kiangnan, ab Imperatore Yavo, qui diſertè memoratur regnâſſe, anno ante Chriſtum 2257. circa ſexageſimum ſextum annum adventantis

diluvii. Yvo nascitur in Civitate Hia, sub Pingyang urbe, in provincia Xansi, unde rerum jam potitus eam ornavit Regia, etiam familiæ in de assumto nomine. Sic solet ambitio temeraria sibi fingere antiquã prosapiam, nullis fortunæ insultibus interruptam. Effodi jussit Yvo ramum To ex fluvio Kiang, propter exundationes. Astrologus fuit insignis, & magus, qui novem cuprea vosa fudit, & tanquam fatalia, in amnem Su, provinciæ Kiangnian demersit, nunquam invenienda. Provincias distribuit, iisque signa cœlestia assignavit, quæ Zodiaco nostro & planetis per bellè cum ipsius asterismis conveniat.

Hiaa familia subjugavit Tengcheu in provincia Xantung: & Chungting imperator, regiam transfert in Caifung.

Altera Epocha est familiæ *Xanga*, & incipit anno ante natum Christum 1766. ubi prior desinit: Sub hac maximè floruêre reges Chao, quibus & regna Gannan, nempè Tungking & Cochinchina paruêre, deleto rege *Han*, ob regem Cyn absorptum, fastuoso. Chençungo Astrologus celeberrimus floret circa annum 1120. &

sum.

ſummus eſt totius Imperii prçfectus. Huic Epochæ dantur anni 644. adeò ut deſinat anno ante Chriſtum natum 1122. Ultimus ejus Imperator Kieovo nequiſſimus à ſucceſſore in Gueihoei, provinciæ Hanan habitans, anno Mundi 2826. tempore Samſonis.

Tertia Epocha eſt *Chevæ* familiæ, quam Uvo ſtabilivit, ſucceſſor Kieovi extincti: is enim ſuperatus, ſeſe cum ſuperbiſſimo, quod extruxerat palatio vivum combuſſit. In Chingyang depicti viſuntur triginta ſeptem reges hujus familiæ depicti. Uvo Liuvangum philoſophum obvium habet, cujus conſilio ad imperium arripiendum uſus eſt; & in eodem loco poſteà magnificum ſtruxit ædificium. Regum fratres tres aliquando ſimul regnârunt in Taiyuen, quæ eſt provinciæ Xanſi, raro exemplo. Chipeus rex, ramum ex Cyn amne excavat, ut ad Taniyuē navigari poſſet. Sub hac familiâ, id quod ei finem accceleravit, plurimi agreſtes & cives, ob militum inſolentias, in montes Suchuen ſeceſſerunt, regnoque King condito, liberi vixerunt. Territorium urbis Fungciang, in

provinciâ Ki, authores familiæ adhuc reguli possidebant: mox eandem provinciam regulus Cin in feudum accepit, & inde ad totius Imperii, ipsiusque Chevæ familiæ extinctionem sibi viam stravêre posteri: ab illis videtur nomen China vel Tsina, adeoque Sina Exteris innotuisse. Circa annum ante natum Christum 550. tempore Crœsi à mundi conditu, 3398. floruit summus philosophus Cungfutius, cujus libris tota Sinarum doctrina absolvitur.

In Sucheu, sub Chevâ familiâ habitabat Taipeus, qui colonias ducit, quæ sunt præsidia potius, & Barbaros ad humaniora traducit. Regnum jam evasit sub Uvo Imperatore, quod dicebatur U. quod familia Cina fecit provinciam, post annos 250. rebellionis. Duravit tamen hæc Epocha annos 876. Incidit igitur finis ejus in annum Mundi 3702. qui est 246. ante Christum natum, quo anno Hannibal Carthaginensis à quibusdam putatur in lucem editus: sub finem Ptolomæi Philadelphi.

Quartam Epocham *Cina* familia facit,

cùm

cùm Cin regulus invaderet imperium, quod Xio firmavit, liberarum osor: unde mille volumina in monte Siaoye, sub Xinchieu urbe, provinciæ Huquang, defossa, postmodum reperta leguntur. Suchuen tamen primus imperio adjecit quarto imperii anno. Is omnes Sinicos Imperatores aut operum magnitudine, aut rerum gestarum gloriâ æquavit, imò superavit: Chevam familiam devicit, & delevit, Tartaros afflixit multis magnisque cladibus: murum illum immanem struxit: Occupat Kingyang, & ejicit Tartaros ex Xensi, ultra murum magnum submotos. Triginta hominum millia per montem Lansie, sub urbe Cingchieu in provinciâ Xantung, distribuit colendum. Cùmque longævitatem appeteret, montem superstitionis ergò perfodit. Junnan primus subjugavit, quæ tamen postmodum defecit. Hiangyoo, ultimus istius familiæ, regem Çu perfidè occidit, cùm potentissimum aperto non auderet lacessere bello, & immaturum Epochæ finem adfert, quæ nihil ultra quadraginta perstitit annos, Numine perfidiam vindicante: Populus Çu regis sui innocétiam

tiam miseratus, illi justa, magno omnium ordinum luctu persolvit.

Quintam Epocham familia *Hana* facit, cujus author Lieupango nascitur in Fungyangin, provinciæ Kiangnan, ex latrone fit dux, & inde rex: is Hiangyoum victor exuit imperio, anno ante Christum natum 206, à conditu Mundi 3742. temporibus Africani, Oniæ, Pontificis, & Philopæmenis: continuaturque series per annos 470. & citra natum Christum capiat annos 264. Hîc memoratur Mingo Imperator, qui ferreum condidit pontem: & ante eum Hiaovo, Lieupango proximus, sive author, sive assertor familiæ Hanæ, in Tartaros movet, tantâ clade illatâ, ut regem ac primores regni omnes desiderarent: adeò inveterato luctu, ut etiam nunc mōtem. In transeuntes, ex loco cladis flere soleant, & suspirare, infelicem majorum sortem miserati. Langkiusiu mons alter est, in quo idem Imperator septuaginta millia Tartarorum ad deditionem viva redegit. Deniq; per magistrum curruum in monte Jengen tertiam reportavit victoriam, unde epulum præbuit militi in eodem mon-

monte. Coream armis ſubigit: & victos in Laotung transfert: ex feudi jus, olim regi Uvo quæſitum, conſtituto rege reſtituit. Occupat Gunnan, nempè regna Tungking, & Cochinchina, quæ obſequium abjecerant: coloniis deductis regiones illas firmat, & Sinicè aſſuefacit: Condit urbem Mahu in Suchuen, expeditionem in Indias ſuſcepturus, condit. Sed ea omnia à poſteris fuerunt neglecta, aut per virtutem in priorem vindicata libertatem. Lacum fodit, ad relaxationem animi, & alium ad tyrocinium naumachiæ; pacis & belli artibus clarus. Mindynaſtas, cum omnibus Auſtralibus provinciis ſubigit, imperioque in perpetuum annectit, quod ſui ſeſe juris feciſſent. Subigit & Queicheu, & Junnan, olim à Xio Imperatore ſubjugatam: totam Indiam extra Gangem occupat, condit urbem Tali, quæ poſtmodum facta eſt metropolis regni Mung. Han Sinio duci, quòd Chinyvum in montibus Ki, ad Chinting, provinciæ Peking fortiter ſuperâſſet, fanum ædificavit.

Sextam Epocham fecerit familia *Cyna*, quæ cœpit anno Mundi 4213. & Chriſti

264. sub Gallieno Imperatore. Exorti tum reges præcipui quinque effæminati imperii pertæsi, & dicebantur Utai; qui mutis cladibus sese confecerunt, ultra annos quadringentos. Circa Cynæ familiæ finem, devictus ex eâ ultimus rex Coream ingreditur, & concedente Coreano rege in australi parte provinciam Ciuendo inhabitare permittitur: quod in causa fuit, cur Tangæ familiæ author Coreano regi bellum indixerit, ipsámque etiam regiam Pingjang occupaverit, debellato Caolien rege: cui tamen regnum, præscripto feudi obsequio, restituit: cùm autem Taimingæ familiæ author Hungarus Tartaros feliciter ex Sinâ ejecisset, recruduit bellum.

Septimam Epocham igitur præbet *Tanga* familia, quæ cæteras pessundedit ad annum Christi 618. sub Heraclio & Cosrhoë.

Octavam Epocham dat *Sunga* familia, quæ rerum est potita usque ad annum Christi 923. ubi Henricus Imperator cogitabat Hungaris resistere. Çançungo rex,

ex

ex regibus Cho, est decimus Imperator istius familiæ.

Nonam Epocham sufficit *Iuena* familia, & perrexit ad annum Christi 1368. cùm Petrus Castellæ rex cum Henrico notho de regno certaret. Kin Tartari irrumpunt in Sinas per partes Boreales: sed Samahaniæ Tartari circa annum C.1206. occupata magna Asiæ parte, post confectum Mienicum bellum, subactum regnum Jungchang, & quæ alia extra Gangem sunt sita, per Australes subeunt partes, scilicet per Junnan & Queicheu, & progrediuntur in Suchuen qua orientem spectat, penetrantque in regnum Tibet: inde Si fan transgressi, invadunt regnum Tanyu; & reversi per occidentales partes provinciæ Xensi, in Boream incumbunt, & ejectis Tartaris Kin, regnum Mangin, id est alteram partem Sinarum corripiunt, varios à Sinis continuatâ successione Imperatores electos, hinc inde victricia arma circumferentes, tandem anno Christi 1279. universum imperium possident & constituunt, atque istam Epocham sanciunt.

ciunt. Fuit autem Juena rex filius Leangæ.

Decimam Epocham præstat; familia *Xaiminga*, cujus author fuit Chu sacrificulus, qui rectius Hunguvo dicitur, & postmodum publicus latro, ipse natus & civis in Fungyang, sub Kiangnan, qui Tartaros omnes ejecit, & patriam in libertatem asseruit, circa annum Christi 1350. Sic Sivente, quinto hujus familiæ imperatore, incendio conflagrat palatium Imperatorium, in Peking, anno 1400. Quarto anno post potitur rerum Taiçungus, qui militem naumachiis solebat exercere, in lacu Kinning, à Sunga familia effosso: in Coream moturus coërcet Leao per 200. stadia.

Is Sinico Imperio toti præerat, regiam sedem à Nanking refert in Peking, seu Xuntien, magni illius Hunguvi, qui Tartaris è Sina pulsis, imperium genti restituit, nepos. Ex Hunguvi propinquis dicuntur per universam Sinam sparsa esse ultra trecenta millia mortalium, qui eum sanguine attineant. Is receperat Gunnan, & regulum Chin beneficio feudi obstrin-

xerat,

xerat, usus fideli opera ducis alicujus ex familia Mo, quem virtutis ergò fecit Moquecung, id est, Ducem hæreditarium in Junnan, quod inter Sinas est insolens. Jungleius Imperator, cùm tres fratres Ly occidissent Chinum infeudatum, motus quidem compescit, duos fratres supplicio afficit, sed tertium tum elapsum in gratiam & fidem suscipit, circa annum 1428. quietis amantior, reipublicæ negligentior. Sic jam ista familia Sinas obtinuit per annos 250. Vanleius decimus tertius ejus familiæ, suppressis sex æmulis, monarchicum imperium obtinet, ab anno 1573. usque ad annum 1620. & moritur, bello internecino vel sopito, vel ingruente.

Acerrimos hostes semper habuêre Sinæ Tartaros: quomodo hoc tempore in potestatem ipsorum concesserint docebit caput sequens. Tu autem benevole Lector, si quæ hîc occurrant insipida, noli penitus respuere, nisi lautiora, quæ dies dabit, ante fueris nactus: vel sic saltem provocabuntur rerum gnari, qui dilucidiora nos doceant in tenebris, iisque lon-

gè ultra Ægyptum remotissimis palpitantes.

Cap. XLVIII.

Bellum Tartaro Sinicum antepenultimum.

DE bello dicturus, invenio causas diversas, quarum principem Tullius hisce verbis dat, multi bella sæpè quæsiverunt propter *gloriæ cupiditatem.* Eam sanè in Alexandro Magno animadvertere licet, & in Pyrrho Epirota; cùm ille, ut maximè res repetitum adversus Persas movisset, devicto Dario longinquis populis, & vix de nomine notis, bellum fecit, ut Bacchi vel Herculis æmulus totum subegisse orbem terrarum diceretur: fassus ipse, in difficillimo trajectu fluminis, sese immania sustinuere, ut in theatro Athenis cantaretur. Hic bella ex bellis capessebat, ut, ubicunque locorum aliquem motum persentisceret, operam suam locaret, sponte accurreret: ita tamen ille ad Romanos:

Nec

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis;
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro non auro vitam cernamus utriq;
Vosne velit, an me regnare Hera; quidve ferat sors;
Virtute experiamur: & hoc simul accipe dictum.
Quorum virtuti belli fortuna pepercit;
Eorundem me libertati parcere certum est.
Donn ducite, doque volentibus magnis Diis.

Alteram causam suggerit Sallustius, *Dominandi libidinem*, quæ Principibus adeò est familiaris, ut malint in quovis municipio esse primi, quàm Romæ secundi, id ipsum professo Julio cæsare.

Quid verò attinebat, Darium satagere, quæ sacra facerent Carthaginenses, ut inde vel dominium exerceret, vel belli inferendi ansam arriperet? & quæ Romanorum justitia, nisi Dejotarus aut Rhodii imperata fecissent (quorum modus in libidine ducis & propter salutem Reipu-

blicæ

blicæ supra omnes leges) bellum vel excidium expectarent?

Tertiam causam volunt esse *repetundarum*: idque ab exemplo Juris Civilis, ubi pares adeoque impares sese in jus trahunt ad dicendam causam, cur res invito domino fuerit contrectata, alienis usibus accommodata, detrita & perversa; cur læsio facta sit, & sexcenta alia. Sic Ægyptii apud Josephum historicum repetunt ab Israëlitis, quæ utenda dederant vasa aurea paulò antè quàm isti excederent ex Ægypto; cùm ex Hesiodi monito, mutua sint potius reddenda cum aliquo auctuario, gratitudinis ergò, quàm quovis modo minuenda.

Hinc causæ affinis est violatio legatorum, qui jure Gentium sancti habentur, ne commercia & communicatio mutua tollatur: uti Romani Tarentinos & Corinthios ob eam solam causam pænè exciderunt.

Quartam accedere patimur causam justi *metus*, ne Princeps nimia augeatur potentia, & pares opprimat unà cum imbellibus, Inde Assyriorum & Persarum simul-

multates: inde Athenienſium & Lacedæmoniorum vaframenta; hinc Romanorum & Carthaginenſium iterum atque iterum reſumptum bellum. Sed quid agas, ſi Numen deſtituat Kiſſæum, Jeſſeo ſurrogato? Barbarum omninò hoc axioma, & Chriſtiano Principe indignum, niſi ipſi res ſit cum infideli.

Quid ſi quintam objiciat cauſam *neceßitas*, ubi tam numeroſa ſuccreſcit ſoboles, ut eam non una domus, non unus unicus, non una civitas, non una provincia capiat? Quotiescunque Romani colonias deduxerunt, oneroſam intelligebant plebem. Notum eſt, priſcis temporibus omnem gentem in tres partes fuiſſe ex antiqua conſuetudine diſpoſitam, ut ſors aliis emigrandi neceſſitatem imponeret, aliis curam armorum & tutelam mandaret, aliis denique rem familiarem cum agricultura relinqueret. Et quis dubitet, per eandem rationem ab ortu mundi, & poſt diluvium mortales in omnes terræ partes diſceſſiſſe ſortitò, uti & populo Iſraëlitico obtigêre principatuum termini, ab ipſo Jacobo Patriarchâ dudum definiti.

Pri-

Primis mortalibus licebat ventre in vacuum, Iſraëlitis non licuit. Sic Galli in Italiam, ſic Helvetii & Germani in Galliam, ſic Gothi in nobiliſſimas Europæ partes irruerunt & terras aut acceperunt, aut corripuerunt. nunquam autem accepiſſent, niſi expeditis armis. ſicut enim *Preces potentum nihil niſi mandata ſunt*, ita *Vox militis petit, jubet, manus rapit*. Quid rerum ageret aut Agamemnon, aut Æneas in patria funditus everſa? Cordati, *quò fata trahunt, retrahuntq́, ſequuntur*: ſed ut pietatem colore credantur, milites vocant *in prædam partemq́, Iovem*.

Victor triumphum agit, per exercitum & provincias Domino Sabaoth hymnum decantari jubet Te Deum laudamus: dum victus gemit, pernitiem ſuorum luget, ruinas inops rerum madido oculo ſpectat, & frequenter nuper ſocius, vel propinquus, adeoque ſacrorum eorundem particeps.

Succurrit & ſexta cauſa, nempè ipſa *Conſuetudo*, quæ eſt altera natura. Nam audiſis,

Eſſe-

Effecit poto Mithridates sæpè veneno
Toxica non possent sæva nocere sibi.

& curva arbor paulatim erigitur, nisi robur sumserit, & recti digiti curvantur, nunquam explicandi perpetuo tenacitatis compressu, adeò ut pueruli à lupis rapti memorentur & crudis carnibus victitâsse, & quadrupedes incessisse. Proles sequitur parentem, non tam ex vi seminis, quæ videtur paulatim evanescere, quàm ex intuitu & meditatione actionum paternarum. Miltiadis trophæa Themistoclèm ad egregia incitabant facinora: & duo Lycurgi canes eodem partu editi, diverso educati modo, studia præstabant contraria. De instinctu divino jam nil vacat referre, cur Esavo feræ & montana, Jacobo pecudes & valles allibuerint.

Natura, uti corruptionis semina germinant, cupiditate habendi, quam vulgus avaritiam nuncupat emunctioris nasi homines parsimoniam; deinde invidentiâ alienæ segetis, quæ semper uberior est alibi, quàm in nostro agro, ita ad rapinam aut propensa est, aut facilè impellitur, tum per speciem alienarum opum, tum per ino-

inopiam nostræ penuriæ, ut fætus illi perniciosi inde cooriantur. Eodem fasciculo consuetudinis comprehendatur & otium, quod sanè ignavorum instar fucorum, alieno labore gaudet.

Ignoscat mihi Fidius, si septimam causam dicam *impunitatem*: Audivit à piratâ Alexander Magnus, quem rapinæ incusabat, uno myoparone, quo uteretur, non magnam agi, capive prædam; sed provincias & regna exercitibus exponi prædæ ab Alexandro ipso, & diripi, idque impunè, & cum aliqua gloria. Nisi dictum esset, Magna Imperia esse magna latrocinia, non ausim dicere.

Psaltes ait, gubernatores sive Judices, quibus suam circumdedit majestatem Numen, esse Deos mortales, in quorum consistoriis versetur ipsum Numen, aliquando consultationum & actionum rationes exacturum: polleant igitur illa authoritate, sed discant mentem Numinis, quibus datum est, ex Verbo revelato, quod mundum renascentem absterret ab effusione sanguinis, etiam addita comminatione, quæ non minus in nervum erumpet,

quàm

quàm illa prima de fructu arboris vetitæ.

Qui Princeps librum legis respuit, quē Josua dux Israëlitarum jussus est legere; is saltem à Principibus discat Ethnicis: Alienissimum sanè ab injustis bellis legimus fuisse Augustum Cæsarem, quippe qui nulli unquam genti sine justis & necessariis causis bellum indixerit: tantumque abfuit à cupiditate quoquomodo imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis ultoris jurare coëgerit, mansuros se & fide & pace, quam peterent. Quòd si belli causæ justæ viderentur, nunquam illud suscipiebat, nisi cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur.

Qui aliter movent bella, non benè sibi consulunt, tum quia ad victoriam plurimùm confert justa belli causa (cujus rationem summum habuisse apud Romanos vult Cicero Fæciales) tùm quòd subditi alienissimi redantur in subministrandis belli necessariis; quippe qui facilè credant, belli eventum nequaquam ei felicem

cem fore, à quo militat mala & ambitiosa causa: quando videlicet metiuntur belli causam à superioritate & potentia. Tum demum imperãtur cædes & ruinæ, quamprimum bellum est clarigatum, & nequitia mortalium in væ saniã agitur, præmiis invitatur. Hinc nova signa in scutis, nova nomina in titulis Principum, si quam provinciam subegêre, vel subactam reddere nolentes volentes coguntur: hinc gregariorum aucta stipendia, & munia, cum signo novæ nobilitatis: hinc opes corrasæ, quibus latifundia, titulorum genimina, comparentur in eum finem eversa, ut à legitimis possessoribus tantillo pretio destituantur, & ad eversorem, qui tum demum restauratoris induit nomen, demigrent. Hinc tanta est copia stipendiariorum, & spontaneorum confluxus, ubi ad signa vocantur, prædones in omnem libidinem sine fræno ruentes impunè.

Octavam non nemo adderet Sociorum & *fæderatorum tutelam*, ubi Romani sæpius inveniuntur injurii. Cùm enim Sardinia Carthaginensium esset, sed bello Afro cùm Sardi sæpe obtulissent se Romanis,

ac repulſi eſſent, tandem transfugorum perſuaſionibus pellecti Romani, navigare in Inſulam pergebant: cumque id ægrè ferrent Carthaginenſes, ac ſuas copias ad inſulam, ut ſuam, occupandam adornaſſent, Romani eis bellũ indixêre. Carthaginenſes cùm ſe minimè potentes viderẽt, ad bellum cum Romanis gerendum, cedentes tempori, relicta inſula, multam pendunt mille & ducentorum talentorũ, (720000. coronatorum) quieti uſque ad ſecundum bellum Punicum.

Antiochus Magnus, ſextus Syriæ & Aſiæ rex, cùm Romanorum eſſet amicus, in Romanorum offenſam incidit, ob multas cauſas: & quòd Ptolomæo V. Ægypti, & Attalo Pergami regibus infeſtus erat: tum quòd civitatibus Græcorum in Æolide, Joniâ ac Doride imminebat ut gravis dominus: denique quòd in Europa quoque nidulabatur, ædificatâ urbe Lyſimachiâ in Iſthmo Cherſoneſi in Thracia. Acceſſit Thoas Ætholorum princeps, conquerens Romanorum ingratitudinem; nonnihil momenti & Hannibal attulit, qui ex Africa ad eum profugerat: Vincitur Antiochus,

chus, & hasce leges accipit: Europa abstinete, Asiaque omni, quæ cis Taurum est decedite. pro impensis deinde in bellum factis quindecim millia talentûm Euboicorum dabitis: quingenta præsentia, duo millia & quingenta cùm Senatus populusque Romanus pacem comprobaverint: millena deinde talentûm per duodecim annos. Eumeni quoque reddite quadringenta talenta: obsides viginti nostro arbitratu dabitis.

En tibi sociorum tutores, qui una captura novem milliones (9000000) coronatorum traxerunt: Eam enim summam faciunt quindena millia talentorum. Ista de causa fere omnis Italia in potestatem Romanorum concessit.

Nonam & ultimam causam bellorum videmus *libertatis studium*, cùm natura omnes voluerit liberos nasci, id quod aviculæ docent, quę uberrimè pastæ caveam, si queant, deserunt, liberioris aëris cupidæ. Sic in Italia novum subitò bellum commotum est sub finem septimi seculi, postquam quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex Ludo Lentuli profugerunt,

runt, effracto ducibus Sparthaco, Chryso & Oenomanno; ii congregatâ servorum & ergastulariorum multitudine per Italiam vagantes, penè non levius bellum in ea quam Hannibal moverunt, nam multis ducibus & duobus simul Romanorum Consulibus victis, sexaginta ferè millium armatorum exercitum congregaverunt, victique post multas calamitates Italiȩ tertio anno, quies restituitur.

Et audiunt à victis, & senserunt Romani, Si victis darent pacem, eam diu turnam, sin minus, pro occasione & viribus brevem fore. Hinc tot defectiones & querelæ, vel ipsius Civilis Batavi, & Ariovisti Germani; plebisque Romanæ & sociorum molitiones, tumultus & bella. Rectè Seneca Tragædus: *Violenta nemo imperia continuit diu: Moderata durant.*

Jam si causam belli Tartaro Sinici indagemus, liceat nobis suspicari, & ambitionem inter barbaros gliscere; non tamẽ eam qua dicebatur *Nec jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompejusve parem*: sævirent alioqui in semetipsos. Dominandi lib-
nem vix admiserint ad summam r-

cùm beluinum ſint genus, ventri obſequens, ordinis & graduum expers. Quid verò repeterent à Sinis quibus nihil prius vel antiquius, quàm pacem colere & alieno abſtinere? neque eſt, quod multùm expetendum Tartari poſſideant, cùm omnia apud Sinas ſint & potiora, & pluria. Non etiam metuent ſibi Tartari à gente pacifica, quæ armorum uſum ejeravit, hoc unum in votis ſervãs, ut ne unquam armis opus ſit. Poſſet quidem Sina numeroſiſſimam plebem prætendere, & finibrias imperii extendere. Sed nemini ne ſic quidem officeret, ſi ſolitudinem vaſtã ſubigeret, quam & feræ horrent: mavult tamen ſuũ exercere ſolum, & deficiente planitie in montes invadere, eosque gradatim applanare ad ferenda vitæ ſuſtentacula.

Tartaris vix ulli ſocii, niſi rapinarum, & Sinis nulla cupido quenquam lædendi: multò minus libertati alienæ compedes nectendi.

Itaque conſuetudo & impunitas Tartaros in bellum adverſus Sinas concitant. De impunitate non admodum fuerit laborandum, ipſorum gratiâ, cùm nihil non

liceat

liceat in hostem: hostis autem sit, quem malitia legerit, opulentia objecerit. Rem altius repetenti, videmus Semi posteros, ob promissum semen mulieris, perpetuis fuisse odiis exercitos à cæteris: non quòd inter Japheti & Chami posteros pax semper viguerit, sed quòd illi nunquam non impegerint in istum scopum. Pacis character discernit Semitas à fratribus, quorum est rapto vivere. Sive igitur Togarma, sive Gomer Tartarorum fuerit Ethnarcha, advertere licet indolem Caini & Abelis, Esavi & Jacobi, hic benedictionem cælitus terræ infusam expectant; isti libertati insidiantur & ferarum & hominum: hi ratione ducuntur, isti vim habent in promtu: hi sua agunt, isti invident alienis: hi amore, isti odio flagrant in quosvis: hi labore suo, isti rapto vivunt: hi parsimoniæ student, isti profusioni.

Similitudo morum est occultum amicitiæ principium, eò quòd pares cum paribus facillimè congregentur. Sed si contrariorum eadem ratio, jam hostilitatis invenimus incunabula. Sic nascuntur, sic educantur, sic instruuntur, sic senescunt &

Tartarus & Sina, ut hic agriculturæ & bonis artibus adeoque philoſophiæ det operam, ille venatui, inſidiis & violentiæ: otium uterque fugit, ſed diverſo fine, hic ut honeſtè vivat & habitet, ille ut ferociter agat & beluinè veſtiatur cubetque, unde huic certa ſedes, illi diurna mutatio. Hæc ſtudia utrinq; cum lacte hauriuntur materno, ingeruntur in oculos non alia, hæc laudantur, quaſi facerent ad vitæ beatitudinem, maximè ubi cætera omnia occupantis videntur, uti per ſylvas feræ. Quæſivit aliquando mediterraneus ex maritimo, cur nauticam pergeret exercere, cùm ſciret, patrem, avum, proavum, & tot propinquos naufragiis interiiſſe. Sed repoſuit ille, Sic mediterraneo abſtinendum eſſe à lecto & domicilio avito, in quo mors majores oppreſſerit.

Studia utique ſingula ſuum inveniunt finem.

Verum enimverò, uti Oceanus ventis patet, ita genus mortalium tumultibus: non licet nobis proferre Sinarum annales, ut inde bellorum viciſſitudines producamus; domi habemus, quæ memoremus, & an-

& antiquioris notæ, & recentioris calamitatis. Unum hoc prætexent Tartari, sese res repetitum venisse suas: qua verò ratione id ausint dicere, memorandum est, ne quis arguat, postquam Sinæ in vacuum venerunt, uti supernis demonstravimus, lacessitos fuisse Tartaros injuria, nisi prius injuriam fecissent.

Anno Christi sexto supra millesimum ducentesimum, cùm Oriens religione præ postera ab Occidente teneretur, Pontifex Maximus in heterodoxos sæviret, Germania biceps dissideret, irrumpunt Tartari in Sinam, & vario marte confligantur per annos septuaginta tres, donec Sinarum principes omnes aut caderent, aut positis armis quietè agerent, familiâ Imperiali Sungâ penitus extinctâ, Tartari potentissimo Imperio potiti, anno 1278. novam constituerunt Epocham, *Iuenam*, quæ continuatâ successionis serie novem dedit Imperatores per annos septuaginta.

Pacem quidem & otium hæc familia dedit, sed quæ Sinas subegerat, à Sinicis frangitur delitiis: sic Hannibalis miles fe-

rox unis Hybernis Campaniæ ita enervatur, ut victor sese vincendum præberet: sic Alexander Magnus in Asiaticos transiit mores, conjugia & delitias, tantum mutatus à semetipso: sic Tartari fiunt Sinæ, tartaricæ fortitudinis obliti, mansuetiores quidem, sed imbelliores. *Tantum otii longinqua valet mutare vetustas.* Lydii bellicâ gloriâ excellebant, sed postquam jussi sunt studiis literarum, ludicris, popinæ, & quæcunque voluptatem conciliant, operam dare, ademtis equis & armis; ultimi mortalium proximè audierunt. Virtus enim exercitium amat, *Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem*: culturam exigit, ne degeneret. *Et capiunt vitium, nî moveantur aquæ.*

Ut corpus physicum, sic imperia fatales quasdam periodos habere, quibus circumactis intereunt, aut certè mutantur, una est Politicorum & Theologorum sententia. Præclarè Isocrates orator Græcus: Quamplurima sunt exempla, quę docent, nedum privatas res, sed etiam publicas frequentissimis mutationibus esse expositas. Nam & nos vastatâ à Barbaris urbe

(Athe-

(Athenienſi) ob cautam & diligentem re-
rum adminiſtrationem, principes Græco-
rum evaſimus: Cùm autem nos potentiâ
eſſe præditos inſuperabili putaremus, ur-
bis excidium vix evaſimus. Et Lacedæmo-
nii ex obſcuris olim, & parvis oppidulis
progreſſi, vitæ modeſtia, & diſciplina mi-
litari, Peloponneſum ſubegerunt: poſt au-
tem faſtu, & ſuperbiâ elati, cùm terræ ma-
risque imperium adepti eſſent, eadem quæ
nos diſcrimina ſubierunt. Quisquis igitur
hujuſmodi mutationes non ignorat, &
cùm tantas opes tàm ſubitò everſas vide-
at, præſenti tamen ſtatui confidit, impru-
dens eſt.

Occultam vim iſtiuſmodi mutationum
videtur author libelli Joſuæ indicare his
verbis: Non fuit Civitas, quæ ſe non tra-
deret filiis Iſraël, præter Hevæum, qui ha-
bitabat in Gabaon: omnes enim bellan-
do cœpit Joſue. Domini enim ſententia
fuerat, ut indurarentur corda eorum, &
pugnarent contra Iſrael, & caderent: &
non mererentur ullam clementiam, ac
perirent, ſicut præceperat Dominus Moſi.
Barbaros enim & nunc Deus videtur in-

tra repagula continere , quibus remotis prorumpant in vindictam.

Juena familia non sine laude gubernabat Sinas; sed memoria tot cladium , & majorum virtus , cum libertatis pristinæ desiderio perpetuis sermonibus versabant animos juvenum, & in virtutem excitabat imperium olim in Tartaros & Indos prolatum. Nemo principum extabat, quibus saluti erat plebeculæ immisceri: & videbantur Sinæ æternùm servituri Tartaris, qui tamen paulatim coalescebant. Moderator itaque imperiorum , quâ heroico donavit spiritu Nimrodum , ad Babylonicum Imperium condendum ; Davidem, ad Goliathum sternendum ; Cyrum ad Persas, vilem gentem evehendos; elegit sibi instrumentum valde exile, ut Orbis terrarum intelligeret, cœlitus constitui, cælitus castigari, cœlitus everti, cœlitus deniq; restaurari imperia.

Sinæ superstitionibus non quidem impensè dediti sunt, quin potius otium illud religiosum in contemplationes rerum naturalium & Ethicarum convertunt; cæterùm operationibus sacris parum occupati. In-

ti. Inter sacrificulos idolorum degebat Chu, non mystis, sed famulis adscriptu, iisque ministeriorum vilissimorum. Pertæsus is laborum, contemptæ conditionis impatiens, etiam severius à superioribus habitus, excedit monasterio, valedicit, fano; quod in montibus hactenus incoluerat, & ad proximos prædones sese confert. Cumque manu promtus, animo audax, ingenio ferox esset, facilè herum invenit, qui artem prædandi ulterius doceret.

Hero fortè sublato, Chu & adultior & probatior sese virum præstat, vix unquam vacuus redit, & opibus auctus, famulitium ducit, manum trahit, socios nanciscitur, & jam non manipuli, sed justæ cohortis dux, tandem agmen circa se glomerari videt, cùm ita comparatum sit inter mortales, ut, quò se fortuna, eodem favor hominum inclinet. Crescente authoritate & opibus crescit ambitio, & spes ampliandæ fortunæ, aut vitæ fortiter finiendæ: sic conflatur exercitus justus, qui in pluria dispescitus agmina ipsum agnosceret imperatorem. Erat [illegible] iis artibus à naturâ instructus, [illegible]

ambitionis fræno, facilem se prẹberet suis, & liberalem, qui sibi imperium, non opes quæreret: modò gregarius, modò centurio & dux, rarius summa cum authoritate, ita ut facilè omnium sibi conciliârit favorem juxta & amorem.

Militem per montana exercebat frequentissimis excursionibus, quas Præfecti parum curabant, suarum rerum gnari, quamvis & agrestes & mercatores vim paterentur. Justitiæ maximoperè studebat, ne quis meritò queri posset, se iniquius habitum, adeò ut prædam partiretur etiam in decrepitos & bello inutiles; æquè sollicitus de montanis colendis, ne in difficultatem annonæ incideret, si fortè ex planitie redigeretur in angustias, satis demonstrans, sese imperio natum esse.

Itaque, tot speciminibus virtutis editis, tam valido fultus exercitu, ex montibus descendit, & Tartaros aperto marte aggreditur, eos solos petit, provincialibus parcit, spem facit libertatis avitæ, & emissis speculatoribus omnia rescíscit, insidias præmonetur, molitiones tartarorum edocetur, & egregias hinc inde reportat victo-

ctorias, ut attriti hostes toto excedere cogerentur imperio Sinico. Sic *Taimingam* familiam & Epocham condit anno Christi 1368. & deposito Chu nomine, dici vult Hungivis, id est, magnus belligerator.

Tum demum provinciæ certatim accurrunt, ut patriæ Servatorem, liberatoremque salutarent, ipsi facultates suas & obsequium obferunt, & Monarcham venerantur: Imperaret more majorum, ipsus Civis Sinicus, non Tartarus alienigena, obsequium susciperet, & contra vim hostilem tutaretur. Ipsus animum ad constituendum imperium adjicit, Regiam vult esse Nanking, amplissimam urbem ad fluvium Kiang, qui secundum Croceum maximus honoris ergò dicitur Maris filius. Sed nihil actum putabat, brevissimè restitutis imperii rebus, si fugitivi Tartari majores adsciscerent copias, in suam perniciem nisi arma ipsi Tartariæ inferret, vicem de populationis redderet, & imperii pomæriæ proferret.

Favit cœlum conatui, Orientales eos Tartaros crebris cladibus fractos eò redi-

git, ut depositis armis pacem peterent; tributum sponderent, Ginsem radicem famosam, pelles Castorum, Vulpium, Zibellinarum, equorum crines, ex quibus reticula & ornamenta capillorum concinnantur. Misera gens Tartarorum tamen ea ad egestatem prolapsa per vicinas Leaotung terras salutabat Sinas dominos, quibus nuperrimè fuerat dominata, amicitiam & securitatem deprecata: multitudine augescente meditatur rempublicam, & colonias, abitque tandem in quatuor imò in septem Dynastias, quæ discordiis exagitatæ circa annum D. 1600. sub unius imperium concesserunt, constituto regno Niuche.

Sinæ domi securi, ex Oriente nihil metuunt, & Occidentaliores Tartaros in regno Tanyu muneribus demulcent, à philosophis suis edocti, nullò non pretio pacem esse redimendam, bellum removendum: muri tamen custodia nunquam intermittitur, cùm diffidentia sit securitatis mater, & præsidium decies centenorum millium eidem imponitur. Ducentos quin-

quinquaginta annos & amplius viguit pax: hæc in summâ ubertate.

CAP. XLIX.

Bellum Tartaro Sinicum penultimum.

TAimingæ familiæ imperator tertius decimus Vanlieus capessit rempublicam anno C. 1573. & laudem meretur undiquaque tum prudentiæ, tum æquitatis & justitiæ; in eo infelix, quòd inclinatâ ætate plus nimio fideret præfectis. Diximus, Sinas pacem cum Tartaris, occidentalioribus per munera solitos conservare: sed orientaliores in regno Niuche ex pluribus Dynastiis, quas illi Hordas vocant, coaluerant in regnum, quod bonis artibus in dies auctum, fiebat vicinis, & ipsis Sinis formidabile, ubi prudentia ex damno nuper suscepto, & dolor ex tam opulentii imperii jacturâ pungerent, & ad molimina vægtandia incitarent, probè notatis erroribus & gubernandi & bellum gerendi.

Pacem tamen colunt, & tributa exolvunt: sed uti primò servorum more quævis tolerabant, ita suarum virium gnari, sequius obediunt, tributum acerbius pendunt, & quas prius mussitârant, præfectorum injurias notant, post collectas vires, ut appareret, eos obsequium brevi projecturos.

Id animadvertes præfecti Sinici, quorum plerique militares per terras Leaotung, hosti nempe dumito oppositi, in medium consulunt, regio id ignorante Senatu, & Tartaros premendos sciscunt, ut irritati Sinica concitent arma, ipsi occasionem prædandi nanciscantur, & apparatum belli cum supplementis ex reliquis provinciis adepti, cum summo semper sint imperio, duplici cum emolumento, & ex Sinis, & ex Tartaris, cujus rationes nunquam, sicut in pace, patescant: Id demum caput prudentiæ rati, si necessarii reputentur imperio, quorum operâ ea pars reipublicæ carere nequeat, propter usum rerum, locorum peritiam, & vicinorum notitiam, unde pro lubitu & commodo cum hoste

hoste pacisci, & cum Domino transigere liceat.

Præpostera hæc prudentia sæpè authorem pessundedit, sæpè rempublicam evertit, sæpè ad væsana consilia gradum fecit: id quod Arcadii & Honorii historia abunde docet. Sed ne mireris, eò confidentiæ processisse præfectos in regione Leaotung: sunt utique rarius mutandi, & summis tantùm aut fiduciariis parent, imò perpetuo ferè munere funguntur, propter scientiam rei militaris.

Prima igitur causa istius belli est præfectorum limitaneorum conspiratio.

Altera est mercatorum violatio, quorum summam curam gerebant reges Niuche. nam ipsa Sina rebus omnibus abundat, sua non potest consumere bona, unde exportandi potestatem facit, sed quæ á præfectis limitaneis mirè flagelletur. Niuche igitur ex Sinâ accipit, quæ in longinquas dimittat terras, ipsa non tam sterilis, quàm inculta, ob studium incolarum militare. Liberum est præfectis, aut merces Sinicas coacervare, & emendas producere, aut mercatores, quos & quot velint, in

regio-

regionem immittere; deinde revertentiũ sarcinas perscrutari, ne quid præter constitiones efferatur. Sic mercatores sese admiscent legatorum familiis, quæ undiquaque ad vastissimum imperium honoris ergò, aut obsequii causâ congruunt; qui si deprehendantur, fucum fecisse, & mercaturam exercuisse, gravissimè puniuntur. Hisce struebant insidias præfecti, hosce spoliabant per leges, aliquando etiã præter culpam, hosce percursores retrahebant, aut exuebant: unde plurimæ, sed vanæ querelæ, tum mercatorum, tum regum Niuche, cùm constitutum esset, illis ægrè facere. Sentiebat Niuche detrimentum vectigalium, & frendebat sibi insultari à præfectis, qui summam dabant operam, ne res ad Regiam permanaret, aut ibidem in numerum criminum referretur. Tanti autem est mercaturam conservari, imò juvari, ut per illam abundantia cum penuriâ quarumvis rerum permutetur; ut in difficillimis rebus succurratur principi. Sic bello Punico secundo Romani pecuniam: Henricus II, Galliæ rex, ad Fanum

Quin-

Quintini cæsus, trecenta millia aureorum invenêre, ad sarciendas clades.

Tertia causa fuit matrimonialis: nam ubi Rex Niuche nubilem filiam desponderet regi Tartarorum vicino, intercessere præfecti, quasi hoc attingeret imperii majestatem, si rex tributarius elocaret filiam, sine scitu Domini feudalis, & affinitates intelligeretur contrahere in studium rerum novarum. Id juris sibi sumit rex Galliæ, in suos, ne quid respublica detrimenti accipiat; ipse tamen cantor, cùm maximè se cavisse putat, nihilominus aliquando captus, an deceptus est. Sed quæ hæc interpretatio tributi, ut eo contineantur & matrimonia? quæ hæc servitus autocratoris? Ea verò est ingenuitas præfectorum, ut crimen majestatis fingant, forment, intendant, pervincant, quod ipsorum tangit umbratilem dignitatem.

Jam dictum, Dynastias Tartarorum Niuche diuturnis bellis fuisse distractas & eversas: rex igitur potuit cogitâsse, quemadmodum inter privatos affinitas grandem litem sopire potest, & familias reddit illustriores, sic matrimonium maxima bella fi-

la finire, sævas turbas componere, rempublicam restaurare, firmare, fulcire, ampliare; uti Agas Cyrenarum rex abolien-dis inimicitiis & certaminibus, quæ ipsi cum fratre Ptolomæo intercedebant, ante lethalem morbum, Berenicem filiam & hæredem unicam nepoti ex fratre despondit.

Potest tamen hîc subesse studium novarum rerum, quod profectò crebius destituit, quàm juvat. Tigranes tandem eodem cum Mithridate involvitur bello, sed Carolus V. supersedit sororium Christiernum Daniæ regem in libertatem asserere. Et rex Galliæ hæredem Britanniæ Armoricæ Maximiliano Austriaco pactam intercepit, suamque fecit conjugem, ob hæreditatem illam lautissimam.

Sed quarta causa istius belli omnem superat humanitatem: nam ubi præfecti incrementum Niuche vident, & tot gentes in prædam expeditas retrò vagari, demulcent regem simulata benevolentia, & in fraudem illectum capiunt, captum occidunt, quantumvis rumorem spargerent,

rent,

rent, morbo ſubito correptum interiiſſe.

Non iſtis artibus opes Romanæ crevêre, & ad imperium Nationum contendêre (unde Cicero gloriatur, Romanos non calliditate & robore, ſed pietate ac religione omnes gentes nationesque ſuperaviſſe, in Tuſculo) ſed inſignis fides illa, quam profitebantur, & ad amicos & ad hoſtes, induxit ſingulariter Fuliſcos, ut amicitiam ipſorum ambirent. habebant enim in poteſtate pueros optimatum ex proditione Ludi moderatoris, unde & urbis potiundæ ſpes erat certa, cùm nihil eſſet, quod ad remittendos jure cogeret. Eâ tamen occaſione uti noluerunt, ſed parentibus pueros rediderunt, armatos virgis in proditoris tergum, quod ad prōtam deditionem omnes diſpoſuit. Egregium illud Romanū: Nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt: quam ingeneravit Natura utrisque, eſt eritque; apud Livium.

Detinuerat aliquando Scipio triremem Carthaginenſium, multa præda onuſtam, quæ ipſi jure hoſtili ceſſerat: dimiſit tamen,

men, quod naucleri ſeſe legatos dicerent, tametſi nihil minus appareret. Malebat enim impoſturam ferre, quàm violatæ & fractæ fidei publicæ periculum ſubire, quæ quibuſcunque legatis deberetur.

Nota eſt Fabritii Romani virtus, quem Pyrrhus minus à tramite juſtitiæ avertendum cenſebat, quàm ſolem à curſu conſueto; is ſive medicum, ſive cocum Pyrrhi, necem domini veneno adhibito spondentem, recuſavit, monito etiam Pyrrho, caveret inſidias domeſticorum. Sunt tamen quibus idem objici poſſit, quod Samnites Romanis: quibus nunquam deeſt cauſa fraudis & fuci, nunquam non cuniculis actis in ruinam promiſſorum & pactorum; quibus in promtu eſt obſides dare, in mare eoſdem vafrè recipere; quibus nulla religio, pretium redemtioni conſtituere, & inter accipiendum cædere; quibus nullum ſolennius, quàm pacem ex neceſſitate pangere, eandem pro emolumento irritam facere; quibus plus nimium ingenii ad fraudes ſpecie juris aſſerendas.

Pulchrè ſibi rebus ſuis conſuluiſſe videba-

debantur præfecti Sinici, hoc æmulo, qui altos gerebat ſpiritus, ſublato: ſed adoleſcens princeps regius à proceribus incitatus, quibus opes Sinæ ſtimulum ſubjiciebant, regnum firmat, vicinos demeretur, & valido exercitu contracto invadit in murum, perrumpit, anno Chriſti 1616. & ſedem belli facit urbem Tuxum, non longè ab ipſo muri principio, ad ſinum Yaloi fluvii ſitam, procul dubio, ut regreſſu intercluſo, per mare evaderet, aut inde auxiliares acciperet copias ex popularibus, aliis ejuſdem Nationis fœderatis. Cùmq; regio Leaotung ſit plana & fertilis, paucis urbibus munita, & ob viciniam Tartarorum penè neglecta Sinis, ſi præſidiarios nihil reputes, campeſtria populantur Tartari, & omnia trepidatione implent: qui tumultus ad ipſam Regiam in Pekin contiguam facilè dimanavit.

Rex Niuche pedem quidem fixerat, ſed reputans, quantillæ ſibi eſſent vires, ad tam vaſtam molem impetendam, cùm vel circumfuſis præſidiariis poſſet abſorberi, mittit, qui nefariam parentis cædem fraudesque præfectorum, juſtum animi

ſui

ſui dolorem , & quòd auditus non eſſet apud Regiam, (præfecti enim purpuratos habebant ſuos) ſic invitiſſimus ad hanc expeditionem pertractus, niſi in patrios cineres impius , & ſalutis ſuæ prodigus mallet audire à popularibus, eadem fraude proximè circumveniendus: Expenderet Monarcha juſta ſtatera negotium, & de præfectis ſtatueret, quicquid juris atq; æqui videretur : quo facto ſeſe occupata urbe ceſſurum, & exercitum ultra murum reducturum. Remitteret Monarcha tributum, ob belli ſumtus, & Niuche regnũ pateretur amicum.

Quid æquius iſtis poſtulatis? crediderim Tartaros iſtos, qui per ſeculum Sinam fatigârant & ſubditam rexerant, feros exuiſſe mores, ad humanitatem traductos. Et ut indolem laudes Tartari, legerat Indum aliquem ſacrificulum , quem Lama dicunt, ut epiſtolam ſubmiſſionis plenam deferret, ab effuſione ſanguinis dehortaretur, philoſophiæ ſanioris axiomata refricaret , morem occidentaliores Tartaros pacandi etiam hîc nondum expetitum collaudaret, Et ſic tartaris juſta fuit cauſa,

& cædis regiæ vindicandæ, & præfectos ulciſcendi, & res ſuas repetundi.

Quid hîc agit Vanlevis Monarcha, ſenio languidus? minus providè quintam præbet cauſam, dum rem committit excutiendam ſummis præfectis, adeòque ipſis reis, quaſi tanti non eſſet momenti, ut apud Regiam tractaretur. Sic Darius, qui rex regum audire avebat, Alexandrũ Magnum ex Macedonia & Græcia prorepentem, famuli loco habet, cui virgas minabatur: ſed tandem eidem offert filiam in matrimonium cum dimidio imperio, dotis loco, ſi arma poneret, amicè viveret; & fruſtra, ne gemini in cælo ſoles, gemini in Orbe terrarum ferrentur Monarchæ. Superavit famulus ille contemtus herum, & vita ac imperio exuit. Sic Tyriis jucundum erat dicteria in Alexandrum eundem ſpargere, quærentibus, Num Neptuno major eſſet, & miles in jumentum tranſiiſſet, oneroſo dorſo: urbem tamen ſtructo famoſo per fretum aggere, toties irriſo, perdiderunt.

Senium contemni ſenſit Carolus VI. Galliæ rex, nuper terror gentium, ingraveſcen-

vescente jam ætate, cùm tædio rerum adversarum, mente paululum immutata, labefactatisque ex parte sensibus adeè contemptui esse cæpit, ut deficiente quotidie regis Majestate, Galliæ principes in spem Imperii adducti sint, dum imperare singuli cupiunt, imperium pænè omnes perdiderunt. Siquidem Henricus rex Angliæ velut ex specula quadam Galliæ regno insidiatus, dum illorum contentiones aut auxilium modò his, modò illis ferens victor pariter victoresque subire paulatim Anglorum servitutem cogebat; ac reverà cæptam pertendisset victoriam, nisi virago illa Joanna Aurelianensis Galliam non sine miraculo asseruisset.

Præfecti, qui id in sacro Monarchæ Senatu peregerant, ut judicium rei gravissimæ ad sese revolveretur, regi Niuche insultant superbius, quàm tempestati illi conveniret, leges præscribunt victo vix acceptandas, & crimen læsæ majestatis exaggerant in eo, qui nunquam censum subditi, ægrè fiduciarii, vix tributarii subiisset; & sic *sexta* belli causa emersit, cùm res privaagitantur, cum publicæ detrimento.

Nihil

Nihil molestius bonis, quàm improbitas suffulta; nihil ad nequitiam audentius, quàm impunitas peccandi. Pausanias Philippum Macedonem trucidavit, quòd justitiam sæpius appellatus non administrâsset, & frustrationibus ludibrioque distulisset, adversario etiam honoribus aucto. Puniat igitur princeps improbitatem, cũ in ea pars justitiæ versetur, quam Romani tantoperè colebant, ut expeditissimo ejus cursui nunquam obstacula darent: quod Horatius tergeminus sensit, qui præter meritum recentissimi facinoris & testimonium fortitudinis notissimæ atque adeò utilissimæ parum abfuit à supplicio capitis, quod importunæ irę impetus provocaverat. Quid judices de supplicio liberorum Bruti, tantò conspectiore, quòd patri ministerium ejus irrogandi ex ratione officii incumberet, eo ipso accusatore & judice, quem pietas à tanto spectaculo per vim naturæ amovebat.

Irritatus Tartarus in rabiem vertitur vovet parentationem occisione ducenties mille Sinarum, quoniam charissima, uxor, famuli, equi, sagittæ unà cum defuncto,

quasi in altera vita usui futura, concrema-
bantur Tum demum Leaotung regionem
miserè conculcat, diripit, distrahit: quin-
quagies mille equites metropolim Leao-
tung circumfundit, nihil veritus præsidiū
sclopetariorum. Suos præter acinacem,
arcum & sagittas, imperat crassos asseres
per primos ordines; admovet fossores qui
omnia complanent, & scaligeros, quan-
tum fieri potuit tectos. Fit impetus in ur-
bem quatuor partibus, tanta velocitate, ut
Sinæ, minus exercitati in sclopetis regur-
gitandis, stuperent Tartaros evasisse in
muros: itaque diffugiunt, & ab insequen-
tibus miserè mactantur. Cùmque in ce-
leritate maximum sit momentum, Tarta-
rus minoris nominis oppida nullo pænè
negotio subigit, & terrore panico pervul-
sam Quangning in potestatem redegit, ur-
bem nobilissimam.

Hinc procurrit in regionem Peking, & sex tantùm milliaribus à Regiâ prædas agit, pedemque refert, ne includeretur, quævis loca igne & ferro vastans, quæ vim opponere auderent, cæteris æquissimus expoliatis. Vacua & deserta, saltem

poten-

patentia invenit pleraque, & immanem trahens prædam revertitur in urbem Leaotung, cùm plurimi Sinarum exercitus confluerent: quibus ut ſeſe parem præſtaret, munimenta inſtituit, Leaotung urbem mænibus infauſtis, quod harioli docuerant, nudat, amplioribus includit, & ex rebus tàm proſperè geſtis majora ſperat, dicique vult Sinarum imperator, anno 1618. expeditionis ſuæ tertio, *Thienmingæ* familiæ & Epochæ author. Neque verò improba fuit ſpes, ſubactâ ratione bellicoſiſſima, ex qua identidem liceret tranſire in alias armis nunquam aſſuetas, præſidiis torpentibus firmatas.

Expergiſcuntur Sinæ, delectus agunt per omnes provincias, ſexcenta millia militis ſelecti contrahunt, quibus à Coreano duodecim millia auxiliarium accedunt. Tartarus tranſierat Rubiconem, jacta erat alea, à virtute igitur mutuatur auxilium, aciem contra inſtruit, circa initium Martii, anno 1619. confligit acerrimè, modo hoc, modo illo agmine pulſo, reſtaurato, repulſo, donec Sinæ in fugam verterentur, quinquagies mille ſuorum

cæsis. Instant Tartari, eodem die duas urbes nobiles capiunt & in cinerem dant, ipsam Regiam petunt, & pavore replent, ut Monarcha fugam meditaretur, cepissetque nisi purpurati obstitissent, multum fiduciæ in tanto tormentorum numero, & præsidio octuagies mille præsidiariorum confusi, ne animus Tartaris adderetur. Impressionem tamen Regia non sustinuisset, uti postmodum patuit propter rerum omnium confusionem, ex consternatione ortam.

Is fuit error Darii, qui multitudine cogitabat opprimere Alexandrum Magnũ, quem in annonæ difficultatem conjicere potuisset, & carptim consumere. Is fuit itidem error Annibalis, qui vincere sciebat, victoriâ uti nescius, quòd post victoriam Cannensem non contendit Romam, ubi omnia trepidabant, conclamatis rebus. Nam Tartarus præda gravis revertitur ad munimentum Leaotung, ut spolia exoneraret, & res suas stabiliret.

Diem suum obit extremum Monarcha Vanleius anno C. 1620. Taichangus filius

lius capeſſit habenas imperii, ſtrenuè obviaturus Tartaro, prout principia ſeſe dabant in contrahendis viribus, niſi quarto imperii menſe vitam cum morte commutâſſet. Succedit Thienkius filius in curam bello: is nihil prius habet, quàm amicos facere, & inniti benevolentia vicinorum, jam edoctus cum exitio pænè imperii, quantum Niuche ex viciniâ nocuiſſet. Coreæ rex avo auxiliares ſubmiſerat copias: & metus erat, ne Tartaro, proſperius agenti ſeſe conjungeret, acerrimus hoſtis futurus, propter virtutem bellicam, quâ proximè ad Japonenſes accedebat, Sinis longè ſuperior. Solatur de damno nuper ſuſcepto, mittit munera tanto Monarcha digna, benevolentiam ſpondet, auxilia, ſi queat, in omnem eventum petit. Annonam in urbem & portum Thiencin comportat commodiſſimum, quem Peking regia non haberet valdè remotum, & omnes omninò naves Sinæ, ſive marinæ, ſive fl[illegible]viales, facillimè appeterent.

Conveniunt plurimi exercitus ex provinciis, qui ſinguli corporum ſuorum objectu Peking provinciam tutarentur, &

hostem inde repulsarent, adeoque in Leaotung solam compingerent. Præstò sunt auxilia Coreana: advolat amazon Penthesilea ex Suchuen, remotissima provincia, quòd filius armis per ætatem impar regno excedere non posset, nec Monarchæ subditus esset, sed àmicus, ut pleraque sunt regna & populi per montana. Ipsa virilem gerebat vestem, ultra sexum fortis & cum fortissimis de gloria rei strenuæ gestæ contendens, quod plurima in Tartaros & postmodum in rebelles asseruêre specimina, tametsi tria millia saltem ductaret, sed lectissimorum montanorum.

Ea cura fuit Alexandro Magno, ut veteranos, stare non fugere suetos, mandatorum & ordinum gnaros, pastores sylvis simul nutritos, labore infractos legeret, in Asiam moturus. Thienkius Monarcha omnibus ex consulto præscriptoque ordinatis, hostem invadit, provincialium animos erigit, damna sarcit, ruinas restaurat, spem amplissimam didit, & facilè amissa recuperat, quòd Tartari gravissimè affligerent novos subditos, & aliquoties inferiores tulissent in conflictu, de summa rerum

mili-

militia ſic utrinque conſtituta, decernere non auſi. Commodum etiam tumultuatum eſt in Niuche, & ſupplementa cum novis auxiliis interverſa, dum cives in Leaotung, crudelitatem Tartarorum exoſi, Sinis adventantibus portas panderent ultrò, & præſidium Tartaricum exigerent.

Sic Tartari attriti, & civili tumultu diſtracti, omnem Sinam, atque ipſam regionem Leaotung penitus deſeruêre, ultra murum recedentes.

Cap. L.

Bellum Tartaro Sinicum ultimum.

CUm noſſent Sinæ, Tartaros alienâ neceſſitate potius, quàm Sinarum armis receſſiſſe trans murum, perſtitêre in apparatu bellico, & non edocti artes Tiberianas de diſcordia inter hoſtes fovendâ, mirantur, motibus in Niuche compoſitis, redire regem. Præmiſerat is ſexaginta millia equitum, qui metropolim Leao-

tung infestarent, donec cum omni exercitu consequeretur. Quadraginta horarum spatio continuata obsidione, ferè eodem halitu pugnatum est, contentione acerrima cecidêre vicena millia Tartarorum, ex Sinico præsidio tricena, quanta strage nunquam erat pugnatum. Neque verò urbs succubuisset, quòd florem militiæ Sinicæ contineret, nisi Sinicus quidam præfectus immanibus promissis & donis inductus, unam reclusisset portam.

Prima igitur causa istius belli fuerit negligentior custodia muri: *altera*, proditio urbis Leaötung. Monarcha Sinicus satis providerat omnibus rebus, misso & prorege & Visitatore, qui præfectorum adverterent molitiones. Prorex istius regionis amissæ, quod sciret, nullum sibi veniæ locum, laqueo sibi gulam fregit: Visitator captus, quòd captus Tartaro regium honorem & nomen deferre nollet, ob virtutem gratior, vitam servavit, sed eandem cum prorege sponte sumsit finem vivendi.

Didicerant Tartari, quanti referret, insinuari in provincialium mentes, unde

ipsis

ipsis origo calamitatis & ejectionis: sic jubent cives Tartarorum more tonderi & vestiri, aut sub ense cadere. Mos autem tondendi is est, ut capilli radantur, barbam evellant, oblongas alant mystaces, & in occipitio cirrum, in humeros defluentem: pileolum pretiosæ pellis circumdant fasciâ, & aures frontem atque tempora contra frigus muniunt: addunt crines equorum pulcherrimè tinctos & byssum. Vestis ad talos dimittitur, strictis manicis, laxa constringitur, cingulo, ex quo utrinque strophiola ad munditiem, cultellus, & marsupia cum tabaco, aliisque necessariis; acinacem dextra educit à tergo ultra humerum; ocreæ sunt ex equino corio vel serico panno, solea ad tres digitos in altum erigitur, nulla illis calcaria, sed ephippia humilia & plana. Alba sunt colore, non admodum simi nasi, aut parvorum oculorum. Exteros benevolè excipiunt, Sinarum morosum execrantur fastum. In suos itaque mores subditos traducere cogitabant, ut eis obsequentioribus uterentur, & Sinarum fastidium imprimerent.

Erant in Leaotung mercatores, uti plerunque, ex universa Sina, qui nupera præda opulentiam acquisiverant: jubentur illi cum mercibus & facultatibus quam primum quocunque vellent discedere. Discedunt, divitiis onusti; sed Tartari eos tertium milliare consequuntur, trucidant & spoliant, malo in cives omine. Macula hæc perfidiæ non potest tegi aut elui eo nomine, quòd Sinæ essent utique hostes: suscepta autem fuisse videtur ex rabie & memoriâ internecinæ expugnationis, & quòd prædandi essent positi limites à Thienkio imperatore, qui antiquis locis benè resarcitis addiderat nova munimenta, maximè per angustias viarum. Munierat etiam insulam Cu, ut Tartaros transitu intercluderet, adeòque alteram Tacyuan ad Coreæ latus, sub imperio thalassiarchæ Maovenlungi, qui ex provincia Quangtung maritima oriundus, Macaenses frequentaverat Lusitanos per viciniam & rei militaris studium.

Is exoticâ scientiâ instructus plurima Hollandorum tormenta, per naufragium in littore destituta, in mænia Ningyvensium

ſium transfert, quam Monarcha poſt amiſſam Leaotung fecerat metropolim, ut pro rex Viſitator, & robur exercitus contineret; vir indefeſſus inſtat à tergo, & variis velitationibus ſuperior, eruptionibus metuendus, Tartarorum in ſe curam convertit, eamque duplicem, ut virtutem illius retunderent, aut corrumperent, oblato, ſi cum fortiſſimo milite in ſuas tranſire partes, & bellum ad finem perducere vellet, dimidio Sinæ imperio. Sed virtus nullis corruptionibus patet, ſe ipſa contenta, conſcientiam pro ampliſſimo habet theatro.

Itaque vim expediunt, Ningyuen, novam metropolin aggrediuntur, & quod laudatiſſimi ducis auxilia conſiliaque non deeſſent, acerbè mulctati decies mille ſuorum cum ipſo regis filio fruſtraeæ obſidioni impendunt. In furorem acti, gelu concretum fretum tranſeunt in Inſulam Tacyuan, ſive Thacoyen, ſatis parcè cuſtoditam, incolas omnes trucidant, & cladem ſuperiorem aliquatenus ulti in Tartariam revertuntur, ut vires majores compararent. Latrocinium hoc potius fuerit, aut

proludium belli, quàm bellum ipsum, usq; ad annum C. 1627. quo Thiēkius Monarcha immaturâ morte præventus, fratri Zungchinio reliquit imperium. Sed & Thiennigus æmulus, Tartarorum rex, fatis concedit, face belli Thienzungo filio tradito.

Tum nova facies rerum omnium consurgit: Thienzungus ferociâ parentis alienatos Sinarum animos recordatus, longè aliā insistit viam, omnisc. humanitate Sinas amplectitur, & novos provinciales cū natis subditis æquiparat, unde rebus suis maximū accessit momentū. Sed videbatur rabies belli secedere in Coream, quæ an insula sit, aut aliquatenus continenti, nondum compertum; putatur tamen Niuche regno annexa, ex societate armorum. Tractus terræ admodum longus inter Japoniæ insulam & Sinam, mari & sinu clausus, instar ligulæ; præter omne meritum à Maovenlungi milite ferè otioso, adeò divexatur, maximè per provinciam Hienkien, ut illi magno numero ad Tartariæ regem transirent: is humaniter susceptos audit, Sinicum exercitum nullo negotio posse

opprimi, si Tartari Coreana veste sumta, tanquam amici accedant nihil metuendi. Tantum valet vindictæ cupiditas?

Mittitur pro rex cum valido exercitu, per itinera compendiosa, ducibus Coreanis vindictam spirantibus: palabundi cæduntur Sinici magna strage, donec Maouenlungus fraudem animadvertit, agmina cogit, & fortiter repugnat: sed Tartari numero prævalent, eumque ad naves redigunt, quibus consensis insulam repetit, fortissima suorum manu vim Tartarorum sustinente. Evasisse Maouenlungum, in cujus nece, aut captivitate victoriam ponebant, impotentissimè tulêre Tartari, quasi nihil actum esset tàm cruenta victoria: imò suspicantur, Coreanos ancipites evadendi monstrasse viam. Sic impetum convertunt in Coreanos, perfidiæ reos, ad internecionem, & quatuor Coreæ provincias Borealiores, Tartariæ confines, depopulantur, invitissimo suo rege, qui amicos parabat, satis inimicorum apud Sinas inventurus.

Rex Coreæ ut præsidio suis esset, & vim omnem abstineret, exercitum cogit, & ad

fauces montium , tertio à regia milliari consider, Tartaros excepturus. Reparat exercitum & Maouenlungus, in Tartaros iturus: Tartari ut pervaderent, in Coreanos impetum faciunt, adest magnis itineribus Maouenlungus, & terga Tartarorum cædit. Verum enimverò necessitas imposita aut vincendi, aut cadendi ita divìdit Tartaros, ut à fronte & à tergo duos exercitus hostiles sustinerent, quanto ardore fortassis nunquam pugnatum fuit. Cecidêre eo conflictu Tartarorum quinquaginta millia, Coreanorum septuaginta millia, & pænè omnes Sinæ, quòd in eos maximè incubuissent Tartari, ut pervaderent. Nemo victor avebat; Coreæ tamen rex copias restaurat, & provincias à Tartaris devastatas facilè recipit, cùm vacuas reliquissent, in Niuche regressi.

Quicquid ageret Sinicus Imperator, Tartaris ut resisteret, non tamen vel adscitis Lusitanis , rei tormentariæ peritis septem, qui suos artem docerent etiam, efficere potuit, ut penitus excederent: latrociniis omnia erant infesta, variante armorum sorte, orientalior utrique pars, quam

vici-

viciniorem primùm corripuerant, ipſis manſit, à progreſſu ulteriori per regionem Leaotung eatenus repulſi.

Zungchinius Imperator infeliciſſimus dici poterit, ob perfidiam ſuorum nefariam: is Yuenum ducem cum ampliſſima poteſtate mittit in regionem Leaotung, ut inducias vel pacem pangeret, aut bellum redintegraret: quam neceſſitatem adferebant latrones per medium Imperium exorti, longè graviores Tartaris. Delectus ex omnibus Yuenus, rei militaris peritus, & eloquentia pollens, ſi quisquam alius, ut dementâſſe videretur & Imperatorem & ſacrum Senatum, qui ſummam rerum integram ſuſtinere & collapſam reſtaurare poſſet. Neque in eo erratum, ſi fidem ſubdolum & vaferrimum ſciviſſet ingenium.

Is Maouenlungum, terrorem Tartarorum, & flagellum, jam ingenti auri vi & ampliſſimis ſpebus (neque enim una ſufficiebat) perverſus, ſibi vult familiarem eſſe, & intimorum conſiliorum conſcium: convivam propinato veneno tollit, & pacem cum Tartaris facit turpiſſimam, exi-

pſorum arbitrio, quam Imperator ratam habere non potuit, ſacer Senatus reſcidit. Ille autem, ut perfidiam ſanctè coleret, Tartaris aliam, quàm ipſe cuſtodiret, viam oſtendit anno C. 1630. in provinciam Peking irrumpendi, ſecuros eſſe jubens de ſuo exercitu. Irruunt Tartari, vaſtant provinciam, & de tergo nihil ſolliciti, obſident Regiam cum Imperatore.

Imperator nullis rationibus adduci poteſt, ut Boreales relinquat partes, & fugam in Auſtrales intendat: Repulſantur Tartari ab invaſione ſæpius, non ſine clade notabili, cumque viderentur pertinacius rem acturi, jubetur Yuenus regionem Leaotung eatenus relinquere, donec Pekingenſi foret conſultum: adeſt cum exercitu, ad mœnia admoto, ſed ne videretur Imperium in ſummum deducere diſcrimen, & prælio committere, hoſtem nullus ferit; in eo ſui ipſius accuſator, quòd ſuaderet pacem à ſe commiſſam ſervandam.

Zungchinius Imperator, ſe deceptum intelligens, mentem nulli præfectorum aperit, quòd Yueni patrocinium jam du-

dum ſuſcepiſſent, conſulturum ſeſe ſimulat de ſummâ rerum, de familiæ ſalute, de militiâ diſponendâ: virum ſagaciſſimum Yuenum advocat in urbem: paret proditur, etiam per murum tranſlatus, ne quid Tartari molirentur, ſi partâ aliquâ reclusâ reſciſcerent, ſummum ducem ab exercitu abeſſe, ſed reverà, ne ipſum cohortes ſequerentur corruptæ: Supplicii maturus nihil trepidat, fautoribus ſummis nihil præmonentibus. In conſpectum Imperatoris deductus, apprehenditur, & poſt brevem quæſtionem trucidatur.

Imperator hoc periculo defunctus, videt Tartaros diſcedere in provinciam Xantung, & ſpoliis graves revertuntur in regionem Leaotung. Tantum potuit proditoris mors. Bellum ſanè ducebatur, multoties irrumpentibus Tartaris in Sinas, verùm ita, ut multoties rejicerentur, & præter ſpolia non pauca referrent & vulnera & funera, uſque ad annum 1636. quo moritur Thienzungus, rex Tartarus, longiore vitâ dignus, ob manſuetudinem & laudatos mores: filium tamen reliquit ſucceſſorem Zungteum, qui adoleſcens

inter

inter Sinas ignotus vixerat, ut mores, literas, doctrinam ac ſermonem Sinenſium accuratè perdiſceret.

Jam regnum adeptus, ut reliqua ſibi ſubjiceret non minus amore, quàm armis, deceſſorum crudelitatem in tractandis Sinis deteſtatus emendavit, captivos demeruit, Duces & præfectos comitate ſuos fecit, maximè eos, qui ex Sinæ uſu fortè neceſſario, ob multorum perfidiam, neci erant addicti, ſi quid ſecius in illorum administratione cecidiſſet, ſi prælii alea fuiſſet ſiniſtra, ſi populi deficerent, miles tumultuaretur: quæ tamen reipublicæ vulnera non ſemper ex avaritiâ præfectorum infliguntur, & vel inconſtantiam rerum humanarum, vel occultam Numinis gubernationem arguunt. ab iracundo & rigido Imperatore tutum erat tranſire ad manſuetum, & aſyli aſſertorem. Plurimi ſeſe dedunt duces & præfecti, humaniter excipiuntur, vel regulorum dignitatibus fulgent, & fidelem, ſi fas eſt dicere, Tartaro contra Sinas operam navant.

Bellum ſanè languere cœpit, cùm artes prævalerent armis: Occidentalis pars Leaotung

otung munimentis tenebatur validis, excubabat in confiniis exercitus ingens, qui & insulâ Cu occupatâ intercludebat partem Orientalem. Summa pernicies à latronibus obtigit, qui nervis imperii succisis, parta servare impotentes, sese Tartaris sponte offerebant. Primi lationum motus ex provincia Suchuen consurrexêre, qui audaciâ per fortunam prosperam auctâ, multas civitates diripuêre, & metropolim Chingtu ad extrema redigêre, quam tamen Penthesilea, ab imperatore in patriā remissa, fortiter asseruit, latronibus in montana dispersis.

In provinciâ Queicheu alii exorti sunt latrones, quibus ducem se præbuit Dynasta quidem, quòd causa cecidisset in judicio, & præfectos injustæ sententiæ authores neci quæreret: is quidem proregis exercitum profligavit, & vindictam in hostes exercuit, sed postmodum inferior armis cessit, temporis opportunitatem præstolaturus.

Famem acerbam induxerant locustarum agmina in provinciis Xensi & Xantung; unde plurimæ cohortes & manipuli

furum

furum coierunt, qui nullo labore victum & opes invenientes, quamplurimos habuêre sequaces. Exigebat interea Imperator tributa, tanquam per annos fertilissimos, in stipendia militis plurimum erogans, & præfecti tardius malo obviabant serpenti: numerati tandem octo justi exercitus latronum per provincias, quorum Duces ad ipsum adspirabant Imperium, primùm digladiati invicem pro votis, quæ cælum haberet rata, tandem duo superfuêre, quos cæsorum ducum cohortes secuti sunt, Licungzus in provinciis Xensi ac Honan; & Changhienchungus, provinciis Suchuen & Huquang gravis.

Tartari spectabant tragædiam otiosi, exanguibus superventuri: Licungzus anno 1641. in provinciam Honan transit, & nobilissimam metropolim Caifung obsidet, à valido præsidio & tormentis bellicis repulsus, provinciam populatur, & milite perdito auctus; urbem circumsidet, fame domandam: quæ ultra sextum mensem tolerata, corium antiquum, cadavera humana, & alia nefanda in cibum vertebat, donec Imperatoris exercitus adventaret. sed

Cro-

Croceus in canalem compactus altior fluit urbe; itaque agger secto lapide munitus refoditur anno 1642. redundant aquæ, per autumnales auctæ pluvias, non tàm in obsidium, quod tempestivè sublatum, quàm in pernitiem & suffocationem nobilissimæ urbis, cùm jam nulla vis Croceo fluvio incumbenti obicem reponere posset. Ita res optimè cogitatæ, non raro pessimè cadunt.

Latronum Dux Licungzus regis titulum sumit, & subactâ paulatim geminâ provinciâ, magnum commeatum in metropolim Sigan comportat, tantundem Imperatoris militi subtrahens, & Imperatoris nomen, regio deposito, usurpat, familiæ & Epochæ Thienxunæ fundator, ut qui Cælo obediret, jussus populum ab avaro Imperatore & injustis præfectis liberare. Et ut verbis facta accommodaret, præfectos necat, expræfectos pecuniâ emungit, tributa remittit, insolentiam militis castigat, & omnia ad captandam popularem auram instituit.

Accedebant & factiones in Regia, inde ab Imperatore Thienkio gliscentes, ob

nimiam Eunuchi Gueii potentiam, qui præfectos; quavis de causa versabat, & necabat, nisi summum deferrent cultum. Obstiterat, quamvis frustra, Zungchinii dignitati: & is, cùm dissidia in rempublicam redundantia tollere vellet, non paucos præfectorum & Eunuchorum exasperavit, nam Eunucho speciosum detulit munus, ut nempe sepulcra imperatorum inspiceret, ne quid vitii contraxissent; in viâ consequitur eum Cursor, auream capsulam deferens ab Imperatore; quâ reclusâ apparuit loquens byssinus, gloriosum apud Sinas mortis genus innuens.

Tum demum Eunuchi clientes & fautores occulta agitare cum latronibus & Tartaris consilia, militem rarum, aut intempestivè submittere, mandata eludere. Hâc spe fretus Licungzus, provinciam Xensi firmat, in Ortum tendit, Croceum exiguâ manu servandum, superat, & primo impetu urbem opulentissimam Kiangcheu corripit, quam fortunam reliquæ sequuntur, bellicarum molestiarum timidæ, & inconsultuis: metropolis Taiyuen repugnat aliquot dies, & acerbè tractatur victa. Zung-

Zungchinius Imperator, jam certus, Latrones Croceum trajecisse, & Xansi provinciæ imminere, quæ Regiam attineret, ingentem contrahit exercitum, cui Colaum præficit, ut latrones debellaret, vel saltem sustineret: sed major pars exercitus transtulit signa ad latrones, & Colaus laqueo sese induit. Tum Imperator init consilium de deserendis Borealibus, & ad Australes partes in Nanking, antiquam regiam, demigrandi, sed fidi, & infidi obstabant: hi, ut ante proditionem detectam Imperatorem traderent; ab illis, ne imperium ea fuga ulterius turbaretur, cùm præsidio ingenti esset stipatus, & præsens cæteras provincias in officio cõtinere posset, quæ subitanea submitterent auxilia.

Latronum dux, suetus peregrinantium consilia expiscari, & in suum commodum vertere, plurimos fidissimorum suorum personatos mittit in Regiam, ad exercendam mercaturam, tabernas conducerent, & negotiarentur, donec ipsus exercitum admoneret, tum demum tumultum, quasi spoliati, aut quavis injuria affecti excitarent. Huic astutiæ assuit corruptionem præfecti militaris, qui omnia in pejus ruere

re cernens, de urbe tradenda pactus fuit. Ad volat creditu citius latronum exercitus: stabat præsidium in procinctu, expedita visebantur tormenta curulia, quæ explosa illa parte, in quam impetus erat designatus, pulverem ignemque sine globo, sine noxa expuunt: panditur à conscis porta mense Aprili, anno 1644. ante diluculum, & irrumpunt latronum agmina.

Præsidiarii incorrupti pugnam audēt, sed emissitiis per urbem tumultuantibus, & proditoribus omnia miscentibus, non erat cui obedirent. Licungzus elato animo Regiam petit, Eunuchos defensores dejicit, & primum palatii murum occupat, Imperatore rerum omnium adhuc ignaro, ex dolo Eunuchorum infidorum, qui fugam sic præpediebant. Certiores igitur, nullam fugiendi patere viam, de summa rerum eum admonent, edocentque rogantem, vel rimas esse interclusas; tum sanguine suo ad Licungzum scribit, petitque, ut de præfectis perduellibus pœnas sumeret, populo innocenti parceret, quandoquidem cœlitus videretur regnare; Fi-

re: Filiam nubilem, ad evitandum ludibrium gladio trajicit: in pomarium digressus, ex vittâ laqueum facit, & semet ex pruno suspendit, ultimus familiæ, cui latro exordium, latro finem dedit. Neque alium finem sibi regina, & fidissimi Eunuchorum elegêre. Sic loca delitiarum funestata, & fructus tulêre arbores nefandos. Civium & ministrorum eadem væsania, & mortis præcipitatio, ne alii cogerentur servire, aut animam immolare.

Licungzus palatium occupat, solium insilit, & quòd titubaret omninosè brevitatem tyrannidis indicat. Postridie cadaver Imperatoris jubet concidi in partes minutissimas, ob tyrannicè administratam rempublicam. Tertiâ die duos puerulos Zungchinii ante mœnia in campo securi subjicit: major non inventus, voluntariam invenerit mortem. Præfectos tormentis enecat, aut pecunia mulctat, urbem militi dat diripiendam, palatio sibi servato. Us decrepitæ ætatis præfectus inducitur ut ad filium Usangueium, exercitus summum ducem adversus Tartaros in Leaotung, in partes latronis pertraheret:

Solum cœlum ac fatum permutant imperia, periit Sinicum, Taimingæ familiæ, datum est Licungzo: cedendum est necessitati: possumus eo uti vel tyranno, vel benefico: promittit tibi regalem Dignitatem: ex tua responsione dependet vita mea. scis quid debeas vitæ auctori tuæ. Respondit filius: fidem imperatori non servatam, nemini tutam: si pater eam exuerit, filium vel inde patrem non agnoscere, mortem potiorem servitio tyrannico.

Tum demum perversa fuêre omnia: Usangueius missa utraque epistola cum splendidissimis donis, & spe plurimarum virginum, traducit Tartaros in suas partes: adsunt octoginta millia expedita ex præsidiis, donec plura ex regno concitentur: vestem Tartaricam & Sinæ illi sumunt, ad augendum terrorem. & sic tigrides immittuntur ad exigendos canes. Licungzus expeditionis istius factus certior, expilat palatium, & Sigan metropolim provinciæ Xensi regiam transfert. Thesauri & supellex octiduo per quatuor palatii portos, curribus, equis, camelis & bajulis vix ex-

por-

portata. Ultimum agmen velocitatem Tartarorum non effugit, qui Croceum nō putârunt trajiciendum, donec Pekingensem constituissent provinciam. Imperârat familia Taiminga annos 280. sub sedecim imperatoribus, & extinguitur cum omni gloriâ, opulentiâ aut perditâ, aut in transportatione à Tartaris interceptâ.

Fatalia hæc fuisse omnia vel inde patet, Zungleum Tartarorum regem, in ipso progressu in Sinas obiisse, nec Imperium Sinicum adeptum esse, quamvis viam suis straverit. Filium sexennem moriens dat proceribus regem: curam belli fratribus committit, & maximo nata personam pupilli. Sed ubi Usangueius cogitat aliquem regulum familiæ Taimingæ in Imperatorem adsciscere, & amplissimis muneribus Tartaros ad sua remittere, præmeditati illi respondent: Latrones superesse plurimos, qui Sigan constituerint Regiam, non consultum reipublicæ iri, si intempestivè recederent, quibus non liceret quovis tempore tam valida submittere auxilia: latrones extinguendos: præmiorum nullam esse sollicitudinem. Iret ipsus cum

iparte Tartarorum in Licungzum, dum ipsi latrones in provincia Xantung delerent.

Oratio hæc ex necessitate credita, & astutè ficta fuit, dum evocati ex Niuche, Niulhan, Yupi Tartari adventarent. Cum ipsis adest, filius regis sexennis, qui coronatur Imperator Sinæ, & ex solio avito graviter perorat: Non sua virtute, sed patruorum ad Ducum fide sibi imperium obtigisse: firmarent solium, quod Licungzo titubâsset, & imperium absolverent, divitias imperii, & dignitates regales haberent præmium. Sic sancit familiam Taicinga & Epocham, tutorem dicit Amavanus, id est, patrem regem, huic summam administrandi belli committit is prudentia & fortitudine insignis, comitate & justitia præfectorum animos capiebat, ut Tartaris accederent, vel iisdem honoribus relicti, vel majoribus aucti.

Sed cùm Usangueius polleret multis rationibus, & Tartarorum consilia turbare posset, necessitate, cùm malis esset impervius artibus, videbatur astringendus: mittuntur legiones cum diplomatibus,

quæ

quæ eum regem Pingsi, Occalus pacificatorem, dicerent; sub tributo, & Xensi metropoli collocarent. Sic fides vim passa est. Ipsus Tartaris adjutus, latrones exturbat, & Sigan occupat, sed ne noceret, à militia remotus, ad quietem componitur. Licungzus creditur in conflictu cecidisse: Tartari nihil prorsus immutant in ratione administrandæ reipublicæ, vestem tantùm & tonsuram Tartaricam imperant, unde non leves & sæpius iterati timultus. Militiam sibi servarunt, non exclusis tamen Sinicis; ad tribunalia cum Sinis mixti.

Ubi in partes Australes Imperatoris mors, & Tartarorum inundatio permanavit, præfecti capias & naves revocant, & Hungquangum, ex familia Imperatoria regem Imperatorem dicunt, Zungchinii consobrinum, Vanliei nepotem. Is pacem à Tartaris impetrare nequit, qui toto imperio aut cessuri, aut potituri erant: & novo infortunio conflictatur, ubi Nanking adolescens pro filio majori Zungchinii sese venditat, multis Eunuchis applaudentibus. Hinc distractio animorum & armo-

rum, cùm adolescens imposturæ accusatus in carcerem detruditur. Occasione ea usi Tartari trajiciunt Croceum fluvium, infinito numero Sinarum ex opposita ripa sponte dilapso , & provinciam Hanking occupant, sola urbs Tangcheu resistére ausa, propugnatore Zuo Colao, Colai laudati filio, internecione periit, etiam flammus, ne aër corrumperetur, in ruinas data.

Et crudelitate & comitate subacti præfecti urbesque: superandus erat Kiang fluvius, qui Sinas facit Boreales & Australes, ad Nanking regiam capessendam. Oppositum littus tegebat dux Hoangchoangus numerosa classe, & ostendit, Tartaros vinci posse , & Thienus ex Leaotung oriundus, perfidiæ mancipium, Sinicis ducibus immistus, sagitta perimit Hoangchoangum: fugiendi initium facit, & novo Imperatori Hungquango comes ulterioris fugæ, eundem comprehensum, Tartaris tradit mense Junio, anno 1645. nondum absoluto anno imperii. Conquisiti ad necem regis consanguinei, & exercitus alius in mediterranea missus, alius in maritima, ubi

ubi omnia prona ad deditionem, omni ope destituta. Eligitur à Sinarum principibus Louangus in Hangcheu. Ad sunt post triduum Tartari, miles propugnaturus flagitat stipendium, Louangus ex mœnibus sese offert victimam pro populo, transiit & capitur, mactaturque: miles tumultuatus jubetur rus progredi, & acinace, sagittis, aquisque tollitur, sive pugnans, sive fugiens. Omnia sese submittebant Tartaris; sed ubi capillos poni imperant, & milites & cives exasperant, qui Tartaros ejectos per integrum annum distinuerunt, lecto Lu Imperatore, ex Taiminga familia: dum Chekiangi & Fokienses Thangum ejusdem familiæ sibi imponunt. Altercantur hi de sanguinis gradu proximiore, & numero urbium possessarum. Lu electo tenebat, cum classe, ad prohibendos transitu Tartaros, defensiori attentus: illi ad montes vadum inveniunt, terrent agrestes, illi militem & regem; qui in Cheuxan insula trajicit, & regnum condit, plurimis ad ipsum confugientibus.

Neque labore aut sanguine vocarunt reliquarum provinciarum subjugationes:

Fokien asperrimis montibus clausa, cujus aditus paucissimi servarent, incustodita permittitur, Tartaris à Chinchilungo, famosissimo piratâ, destituta, ut extincta Taiminga familia imperium invaderet, cùm ter mille naves umbraret suas, & à Lunguvo rege militiæ esset præfectus. Sed Tartari rem odorati, eum dicunt Pingnan regem, Austri pacificatorem: & officii ac honoris causa regulum Tartarorum provincia abeuntem, prosecutum, vel invitum usque in Peking Regiam trahunt, omni libertate privatum & potentia; nisi quid filius & fratres classe audeant.

Sinæ Junglieum, familiæ Taimingæ, in provincia Quangtung faciunt Imperatorem: prorumpunt ex montibus, & rem strenuè agunt, sed novi Tartarorum exercitus submissi, nullum respirandi concedunt otium, & angustiarum cura neglecta plurimum nocuit bonis consiliis; tum æmulationes præfectorum, qui modò vestem Tartaricam suggillabant, modò gratiam aulicam pervertebant. Factus & Junglieus imperator, cui Kinus & Lihuzus fidelem præstitêre operam, Tartaris aliquoties

ties gravissimè cæsis. Kinus, lata fossa circumdatus in urbe, propter famem perrumpit cum suis in montes. Tartari, ut Australes provincias in obsequio continerent, tres creant regulos Tartaricos, quibus militiam sub tributo committerent. Boreales turbabat, Hous circa annum 1649. tum Kiangus, ob sponsam raptam frustra repetebat à regulo transeunte præfectus, accitis occidentalibus Tartaris in auxilium: unde regiam Peking conjicit in formidinem, adeò ut Amavangus Imperatoris tutor, expeditionem susciperet contra eum, rem nunquam ausus committere prælio; sed auxiliares Tartaros subtraxit muneribus & spe matrimonii, Kiangumque fossa decem leucarum circumclusit triduana opera, & perrumpentem stravit.

Anno 1650. 24. Nov. capitur Quancheu expeditione præfecti, qui exinde in munere perstitit; Junglieus fugit, omnia cedunt Tartaris. Corea hactenus tributaria, ut capillos servaret, jam mavult, armis de eis decertare. Moritur Anavangus anno 1651. cujus fratres de tutela Impera-

peratoris contendunt: sed Imperator sedecim annorum clavum reipublicæ arripit. In urbe Chingtu trucidata sexcenta millia civium, per Changhienchungum, immanissimum tyrannum, in provinciã Suchuen, satis arguunt, quam populosæ sint urbes, quàm miserè nunc desolatæ.

CONCLVSIO.

NOs finem hîc facimus, & Europæ motus ad istos Sinicos comparare supersedemus; certi nihilominus, & nostram illîc esse actam fabulam, aut illorum istîc. Dirigimus autem oculos in ipsum Numen, quod arbitratur omnia etiam minima. Desierat quondam apud Persas progenies regia, Mergydis ultimi ex Cyro rege filii interitu, magnaque inter principes disceptatio erat de regni successione. Inter se enim complures virtute ac nobilitate adeò pares esse videbantur, ut difficilis ex eis esset apud populum electio. Quocirca in hanc sententiam itum est, ut religioni committeretur: pactique simul sunt, ut ad diem dictam omnes ante regiam

giam primo manè equis veherentur, & cujus equus primus contra Solis ortum hinnitum dedisset, is rex esset; Persæ enim Solem præcipuum Deorum omnium esse opinabantur, & eidem Deo albos equos sacrificabant. Cùm ergò ad statutum tempus convenissent, Darii equus statim hinnitum edidit, & segnibus tacitisque aliis felix auspicium, omenque Domino primus emisit. Tantâ autem moderatione reliqui usi sunt, ut religioni confestim cedentes, equisque desilientes Darium regem salutarent. Populus itaque omnis Principum judicium secutus, quasi Deo benevolente eum Regem constituit. Neque mentem immutârunt aut hic, aut illi postquam equisonis industria emanavit, qui priori vesperâ heri equum in eodem admiserat loco, ut memoria voluptatis proximæ per loci speciem excitata repetitionem hinnitu reposceret: cùm neque id equisoni absque Numine potuerit in mentem venire, aut effectum sortiri.

De Pribislao Krantzius: Bohemis imperabat Libussu unica Regis filia, quæ moriente patre virgo cepit administrare

paternam ditionem tàm prudenter, ut rex diu nullus desideraretur in eâ gente. Ita circumspexit omnia, ita justitiâ insignis erat, ut nemo sub illâ quæreretur, se suo destitutum: adeò scelerum ultrix, ut impunè nemo peccaret. Mansissent proceres sub fœminâ longius, sed mortalem prospicientes, semen regium ex illâ desiderare videbantur. Dum tamen nemo evidet interpellare super eâ re fœminam, sumsere audaciam nonnulli ex majoribus, ut voluntatem procerum, & totius populi consensum atque desiderium explicarent.

Illa, torvo primùm vultu intuita referentes: quid est, inquit, quod vobis desit in hoc rerum statu, ut Regem desideretis? At illi nihil, si te immortalem haberemus; nunc quoniam communi omnes sorte sumus defecturi, cùm te carere jam debeamus, semen ex te regium mitigaret populi desiderium, & ingentem nominis tui affectum. Dissimulabat aliquamdiu casta mulier populi de se desiderium: tàm illam delectabat thorus sine socio, tàm cælibatus illi inhærebat. Sed cùm illi finem non

face-

facerent, illà oraculo commonita, jussit ornari candidum equum gradarium, cui proficiscens insidere solebat. Illum sequi præeuntem proceres jubet, sessore vacuũ: & apud quem is consisteret quiescens, qui de ferrea mensa cibum caperet, regem mox consalutarent: nam illum dignaretur thoro maritum, quem fata, quæ nos Providentiam appellamus, jumento imperantia monstrarent.

Sedulò implent, quod jusserat regina; sternunt jumentum, & permisso illi fræno liberum sinunt præire. Illi porro sequuntur, observantes quò vadat. Abibat in agros, viam non parvam, nec per solita gradiebatur itinera; sed compendia quærere visus; ibat indirectum per nemora, per dumeta, per agros, donec ipsa jam meridie deprehenderet hominem labore fessum, se ad refectionem in agro, quem araverat, reponentem. Verterat aratrum, & ferrum ex sulco splendescens in planitiem positũ, pro mensa habebat. Cùm hominem cerneret jumentum, ecce stetit immobile, nusquam divertens, aut circumspiciens. Aderant dicti primores, qui id observa-

bant. Ubi vident hominem aratri ferro uti pro disto, recolunt quid de ferreâ mēsa illis regina mandâsset observandum: Voto se potitos interpretantur, & gaudent. mox sciscitantur de nomine, Pribislao, inquit ille, mihi nomen est.

Illi verò, Surge protinus, & conscende stratum tibi jumentum. pertrahuntque ad reginam insinuantes, quid repererint. Illa fato monstratum virum circumplectitur, & pro regiâ dignitate, suis nudatū vestibus, ornat & thoro dignatur. Nec mobile fuit dispar hoc conjugium, ut nec principatus: nam quietam & sine ullâ contentione vitam cum uxore traduxit, & insuper Rempublicam retinuit, & feliciter administravit. Leges enim non paucas, si Fulgosio fides, tulit, quibus Bohemi in alta pace viverent. Atque istis meritis ita affecti fuêre Bohemi, ut in primario Urbis templo ligneas soleas, quibus arans utebatur, diutissimè servarint, easque ceu rem sacram, novis regibus, dum diademate ornarentur, præferrent.

Nec silentio involvenda est Alvilda, Siuardi Gothorum regis scitæ pulchritu-

dinis

dinis filia. Eam cùm deperiret, & conjugem sibi dari peteret Danorum regis filius, abnuit virginis mater. quo audito suam deplorans fortunam Alvilda, animum licet amatoris memorem ad martē adjicit, capit militaria munia, piraticam aggreditur, (illo ævo non indecens exercitium) imò piratarum princeps efficitur. Quid inde ? fors tulit, ut dum regis filius piratas persequitur, in classem Alvildæ incideret, manum ignorans cum ignorante conserit, dubio satis marte, Dum fervet prælium, galea decussa capiti puellam prodit, & ex hoste protinus dedit amatorem. Siquidem regnis juvenis, ubi agnovit notos vultus, receptui cani jussit, pugnamque inhiberi, & insiliens puppi, virginem, an viraginem amplexatur, fortunam incusans, quæ talem objecisset hostem, malle tamen sic occurrisse, quàm omninò incognitam præteriisse. Itaque amatâ sua potitur in mari, quam in regiâ consequi non poterat; quæ & consors Imperii fit, Deo sic præter maternum votum disponente: hæc Crantzius.

Jam nihil moramur expositos, Simiramidem,


midem, Cyrum, Oedipum, Romulum; sed admiramur divinæ munimenta providentiæ, maximè in imperiis & constituendis & commutandis, ubi tot consideramus instrumenta, quæ bona retunduntur, mala perurgent; utraque à suo ad ultimum Numinis scopum diriguntur. Intercurrunt justitiæ divinæ gravissima exempla, emicant virtutum rara specimina, tanquam stellæ singulares, per noctem nubilosam, abundat perfidiæ seges & messis. Quantum facit ad imperium, ministrorum fides in utramque partem! quæ sors, tyrannorum & principum. per quæ artes popularium animos devinciendi aut alienandi. Singulorum ne hîc fata pertendunt, an revolutione astrorum vim patitur genus humanum? Ajunt, octingentorum annorum circulos induxisse mutationes imperiorum immanes: sic Carolum Magnum propagâsse legem Christianorum, eversis & postmodum restitutis dynastiis; & alterâ octingentesimâ retrò, Augustum descripsisse orbem, Evangelio de Sion exeunte. Quid si id per tumultus Sinicos in Orien-

Orientem penetraret, uti Martinus Martinii Tridentinus demonstrat?

Sed ut rem propius inspiciamus, seculum hoc mutationes imperiorum traxerit ex illa maxima sive revolutione, sive conjunctione astrorum fatali periodo octingentorum annorum: præmonuisse videntur astra nova, & signa varia, adeò ut sydereì mystę quidam omnem quam hactenus Europa sustinuit calamitatem, parasceven augerentur, ad longam Catastrophen, quam Comicam optamus, tragicam deprecati.

F I N I S.

SYLLA-



SYLLABVS CApitum.

XLI. Am-

FINIS.

